This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600028641R

X 8. 11

Bibliotheca Collegii Universitatis in Acad: Oxon:

D.d. P.O. Papillon. M:A: e Coll. Univ.
1884

2946 d 17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M. TULLII CICERONIS OPERA,

CUM DELECTU COMMENTARIORUM.

EDEBAT

JOSEPHUS OLIVETUS,

Academiæ Gallicæ XL Vir.

TOMUS SEPTIMUS,

In quo EPISTOLÆ ad Familiares.

EDITIO TERTIA, EMENDATISSIMA.

GENEVÆ,

Apud FRATRES CRAMER.

M. DCC. LVIII.

Digitized by Google

BODLEIAN 21·9 1918 LIBRARY

Digitized by Google

JOSEPHUS OLIVETUS
LECTORI.

PLINIUS, de suis ipse præfatus epistolis, *Collegi*, inquit, *non servato temporis ordine, neque enim historiam componebam*. Atque in eadem fuisse sententia videtur, sive Tiro, ut volunt, sive quisquis demum is fuit, qui Ciceronianas * edidit primus: cui multum profectò debet literata posteritas: at paulo plus debitura tamen, si ordine alio digestas accepisset, magísque cùm ad intelligentiam, tum ad memoriæ diuturnitatem accommodato. Nam si quid lectori negotium facessere interdùm videtur, hinc maximè orta est difficultas, quòd præpostera dispositione aliæ antecedunt, quæ subsequi alias debuerant. Et quoniam eæ non tantùm in privatis Tullii rebus, sed multo etiam magis in publicis Romæ negotiis versantur; nemini

* Tironem patroni sui Ciceronis epistolas, eo, quo passim leguntur, ordine collocasse proditum est. Id ego non libenter credo: libenter enim eum, quem Cicero ipse & vehementer dilexit, & laudavit sæpe ut literatum, ac diligentem, gravi negligentiæ culpâ libero. Feramus illud, atque etiam probemus consilium, quòd eas epistolas, quæ ad unum scriptæ sunt, puta ad Lentulum, Cœlium, Appium, aliósve, simul omnes voluerit conjungere, & rationem habere personarum potius, quàm temporum: cùm satis constet, si tempora spectentur, interponi debuisse multas: sed peccasse eum in iis ipsis, quas eidem inscriptas aggregabat, nec vidisse ordinem, quem vel adscripta cuique dies, vel argumentum ostendebat, magnopere miror. Quid, quòd in iis disponendis, quas ad ipsum scripserat Cicero, item ut in aliis peccavit? quod vitium quia non licet excusare; libenter, ut dixi, Tirone absoluto, quemvis alium condemnaverim. MANUTIUS, *proœmio ad Comment. in lib. 14. Epist. Famil.*

Digitized by Google

eſt, opinor, dubium, quin majori conjunctam utilitati oblectationem habuiſſet apta diſtributio, quæ univerſam illorum temporum hiſtoriam exhiberet, ſummi artificis penicillo aut expreſſam, aut ſaltem adumbratam.

At enim negligi potuit vetus ordo, novúſque ac melior deſcribi. Primùm, ſi ita eſſet, tamen fieri non oporteret. Epiſtolas, quæ ſunt eodem tempore, de eodem ſcriptæ argumento ac negotio, eſſe alias ab aliis diſtractas, incommodum eſt, agnoſco. Eſt in ordinis mutatione remedium: fateor; ſed quale in omni mutatione, quæ ſi utilitate juvat aliquando, ſemper novitate conturbat. Et quid putamus cauſæ aliud fuiſſe, cur *Familiares* quæ dicuntur, cùm aliquis è Germania literator * jam olim vulgarit ordine *chronologico* digeſtas: tamen extiterit hactenus nemo, qui vel æmulandam ejus diligentiam, vel editionem adoptandam, cenſuerit? Teſtimonia enim ex his epiſtolis adducunt ſcriptores innumeri, aut locos indicant, quibus inſpectis ſit opus. Parúmne igitur magna quærendi difficultas oritur ex ordinis mutatione? Atque, ut hominum ingenia ſunt, è centenis, quos legendi ſtudium delectet, quotum ſperamus fore tam animoſum, & cui tantum

* Non deſunt equidem ſpecioſæ rationes, quibus inductus vir clariſſimus, *Adamus Theodorus Siberus*, novum ordinem ſecundùm annos & conſules ut inveniret, induſtriâ non contemnendâ laboravit. Juſto modo etenim temporibus diſpenſatis, quanta lux rebus & hiſtoriis accedat, nemo eſt literarum diſciplinis imbutus, qui ignoret: ſi modò diſpenſari ſeries per annos & tempeſtates ubique poſſit. Quot verò in epiſtolis Ciceronis ſunt, de quibus dubitant eruditi, utrùm civile bellum anteceſſerint, an ardente illo, aut propè finito, ſint conſcriptæ? & quoties à doctiſſimis viris argumento, quod prænotarunt, adjectum eſt, *Incerto anno?* &, ſi etiam tempus videtur deprehenſum eſſe, fortaſſe tamen non diſtinctè innoteſcit, ut annum definire, & conſules nominare, aut partem anni, vel menſem poſſis exprimere. Hoc enim oportet fieri, ſi ad tempus epiſtolæ, quo ſcripta unaquæque fuit, cum cura & induſtria ſunt ordinandæ. Ex quo conſequitur, Siberianum ordinem pro certo qui tradunt aliis, vel etiam accipiunt; utroſque ab eo, quod certum probatúmque ſit, in multis longiùs aberrare. CELLARIUS, *præfat. in Epiſt.* Fam. *ſive, ut inſcripſit*, ad Diverſos.

Digitized by Google

tum ſuppetat otii, ut loci alicujus inveniendi voluptatem bene credat emi diuturnâ inveſtigandi moleſtiâ?

Quòd ſi nondum illos mutationis inſtituendæ ſuaſores revocare hæc ratio ab ea cogitatione potuit; velim, perpendant ipſi ſecum, ídne poſtulent, cui efficiendo par ſit humana vis aut ſagacitas. Epiſtolis in multis, video equidem, impreſſa eſt certa temporis notatio: ſed quid plurimis item aliis facias, in quibus vix leve quidpiam, plerumque nihil deprehendas, unde aliquam ducere vel tenuem conjecturam liceat? Tullium ergo, aut ejus cuſtodem ſcriniorum, & ſtudiorum adjutorem, excitemus Tironem ab inferis, ut ſciſcitemur de multis, quæ illi habent ſecum, *ſervántque ſepulcro.* Nam quòd Sigonius, ac Manutius, Romanarum rerum apprimè gnari, atque in Ciceronianis ſupra modum curioſi, ad hanc inveſtigationem omne ſtudium contulerunt: tamen, quæ fuit illorum hominum vel prudentia, vel modeſtia, continuerunt ſe, ne quid novarent in vulgatis. Quorum verecundiam hoc æmulari me decet magis, quo diligentiam minùs poſſum.

Quanquam in hac editione proviſum & illud eſt, ne omnis deſideretur ea utilitas, quam afferret novus epiſtolarum ordo, per annos & Conſules diſtributus. Tabulam enim columellis diſtinctam exhibebo, quâ demonſtretur, quo quæque ſit numero ad hiſtoricam rerum notitiam legenda. Neque tamen in multiplici conjectionum copia errorem omnem præſtare auſim. Id ſelegi, quod propiùs viſum eſt ad veri ſpeciem accedere. Ita & conſequentur, quod volebant, hiſtoriarum curioſi; & manebit librorum atque editionum veterum uſus.

Digitized by Google

Alterum fuit quoddam postulatum de Commentariorum situ & collocatione: in quo nimis pugnax contra monitores amicos esse nec volui, nec debui. Proinde, etsi illud semper æquè comprobo, quod initio in explicanda consilii mei ratione scripsi, eam suppellectilem universam in extrema voluminis parte, ubi ab volentibus atque egentibus visatur *, stare meliùs, quàm si per singulas fusa paginas, sollicitet invitos, atque à contextus perpetuitate revocet: non recusavi tamen, quin id facerem in Epistolis, quod feci jam antea in Fragmentis, hoc est, iisdem paginis Ciceronem, ejúsque interpretes conjungerem. Quippe minùs verendum, ne media fortè in epistola, cùm breviculæ sint, lectorem constantia deficiat: neque hîc ea est, quæ aliis in libris, argumentorum rationúmque continuatio, unde averti animum non oporteat. Sed tamen hoc monere non desinam, commentariis perinde utendum esse, ac medicamentis, parcè ac sobriè, ubi necessitas jubet. Non enim horum assuetudo corpori plus officit, quàm ingenio usus illorum frequentior.

His autem sexdecim libris, qui hoc volumine continentur, nullam fuisse olim communem inscriptionem colligebat Victorius ex veterum Grammaticorum instituto ac more: qui cùm loca quædam hinc depromunt, librum quemque non aliter designant, quàm ejus nomine, ad quem prima scribitur epistola. Hoc etsi reducere sategit ille salutis Tullianæ restitutor, incommodum erat satis, ut molestè nemo ferre debeat, esse mutatum. Criticis dolet mutatum esse parum

* De Editione Parisiensi id quidem intelligendum est.

Digitized by Google

parum feliciter. Quædam editiones titulum præferunt, *Epiſtolæ Familiares*: aliæ, *Epiſtolæ ad Familiares*. Atenim neque in pleriſque ineſt ea forma, & proprius *character*, qui familiare genus epiſtolarum diſcernit à cæteris: neque plurimi eorum, ad quos ſunt miſſæ, Ciceronis erant familiares. Propterea nonnullis recentioribus placuit inſcriptio, *Ad diverſos*. Quæ meliùs fortaſſe convenit. Verùm id libuit ſequi, quod erat in exemplo Gruteriano, & offendi magis uſitatum.

Ad extremum, ne quid prætermittam, quod lectori eſſe declaratum oporteat: de illa, quam promiſi, & proxima ſtatim pagina offeret, Epiſtolarum annali Tabula, erant tamen duo, quæ admonere debueram. Ac primò quidem, eas omitti epiſtolas, de quarum anno quod affirmarent, vel ariolarentur, viri docti non habuerunt. Deinde, in putandis annis id me retinuiſſe, quod Franciſcus Fabricius in *Ciceronis Hiſtoria per Conſules deſcripta* conſtituerat. Non, quòd hanc ego rationem Varronianâ veriorem eſſe exiſtimem: neque enim id meum eſt, neque hoc loco diſceptandum. Sed, cùm tenui admodum diſcernantur limite, & ab altera Cicero ad alteram tranſiſſe aliquando videatur; diſcedere à Fabricio nolui, ne lectores conturbem, ſi qui volent (velle autem debent omnes) intelligendis meliùs Epiſtolis lumen ab ejus Hiſtoria mutuari.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLARUM
CHRONOLOGIA.

Romanus numerus librum designat: Arabicus epistolam.

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*	*Ad Familiares.*	*Ad Q. Fratrem.*
685	39	I. 5. 6. 7.		
686	40	I. 8. 9. 10. 11. 3.		
687	41	I 4.		
688	42	I. 1.		
689	43	I 2.		
691	45		V. 7. Pompeio. 1. *Metellus.* 2. Metello. 5. C. Antonio.	
692	46	I. 12. 13. 14. 15. 16. 17.	V. 6. P. Sextio.	
693	47	I. 18. 19. 20. II. 1. 2.		I. 1.

Digitized by Google

Anno U. C.	Anno Cicer.	Ad *Atticum.*	Ad *Familiares.*	Ad *Q. Fratrem.*
694	48	II. 3.		
		4.		
		5.		
		6.		
		8.		
		7.		
		9.		
		12.		
		10.		
		11.		
		13.		
		14.		I. 2.
		&c. *ad ult.*		
695	49	III. 3.		
		2.		
		4.		
		1.		
		5.		
		6.	XIV. 4. Terentiæ.	
		7.		
		8.		I. 3.
		9.		
		10.		4.
		11.		
		12.		
		14.		
		13.	2. Terentiæ.	
		15.	1. Terentiæ.	
		&c. *ad ult.*	3. Terentiæ.	
696	50	IV. 1.	V. 4. Metello.	
		2.		II. 1.
		3.		
697	51	IV. 4.	I. 1. Lentulo.	II. 2.
			2. Lentulo.	
			3. Lentulo.	3.
			4. Lentulo.	4.
		5.	5. Lentulo.	5.
		6.	6. Lentulo.	6.
		7.	V. 12. Luccio.	7.
		8.	3. *Metellus.*	8.

Digitized by Google

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*	*Ad Familiares.*	*Ad Q. Fratrem.*
698	52	IV. 10.	I. 7. Lentulo.	II. 9.
		11.	8. Lentulo.	10.
		9.	VII. 1. Mario.	11.
		12.	XIII. 48. Sextilio.	
		13.		
699	53	IV. 14.	V. 8. Craſſo.	II. 12.
		15.	VII. 5. Cæſari.	13.
			6. 7. 8. 17. 9. 10. 16. } Trebatio.	14. 15. 16.
		16.		III. 1.
		17.		2.
		18.		3.
			I. 9. Lentulo.	&c. *ad ult.*
			10. Valerio.	
700	54		VII. 11. 12. 13. 15. 18. } Trebatio.	
			II. 1. 2. 3. 4. 5. } Curioni.	
			V. 17. Sextio.	
			VII. 14. Trebatio.	
			II. 6. Curioni.	
701	55		VII. 2. Mario.	
			V. 18. T. Fadio.	
			XIII. 75. Titio.	
702	56	V. 1.	III. 1. 2. 3. } Appio.	
		&c. *ad ult.*	VIII. 1. *Cælius.*	
			III. 4. Appio.	

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*	*Ad Familiares.*			****
702	56		XIII.	1.	Memmio.	
				2.	Memmio.	
			II.	8.	Cælio.	
			VIII.	2.	*Cælius.*	
				3.	*Cælius.*	
			III.	5.	Appio.	
			VIII.	4.		
				5.	*Cælius.*	
				9.		
			XV.	9.		
				7.	Marcello.	
				8.		
				12.	Paulo.	
				2.	Senatui.	
				3.	Catoni.	
				1.	Senatui.	
			III.	6.	Appio.	
			VIII.	8.	*Cælius.*	
			II.	9.	Cælio.	
			III.	8.	Appio.	
			II.	10.	Cælio.	
			VIII.	10.	*Cælius.*	
			II.	7.	Curioni.	
			VII.	32.	Volumnio.	
			XIII.	53.		
				56.	Thermo.	
				55.		
				61.		
				62.		
				63.	Silio.	
				64.		
				65.		
				9.	Craſſipedi.	
				47.	Silio.	
703	57		XV.	4.	Catoni.	
				10.	Marcello.	
		V. 21.		13.	Paulo.	
			VIII.	6.	*Cælius.*	
				7.	*Cælius.*	
			III.	7.	Appio.	

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*	*Ad Familiares.*	* * * *
703	57		XV. 14. Caſſio.	
		VI. 1.	II. 14. Cælio.	
		2.	XIII. 58. Titio.	
		3.	59. Curtio.	
		4.	III. 9. Appio.	
		5.	II. 11. Cælio.	
		7.	XIII. 54. Thermo.	
		6.	57. Thermo.	
		8.	II. 13. Cælio.	
		9.	18. Thermo.	
			III. 10. Appio.	
			IX. 25. Pæto.	
			II. 19. Cælio.	
			12. Cælio.	
			III. 11. Appio.	
		VII. 1.	XV. 5. *Cato.*	
		2.	VIII. 11. *Cælius.*	
		3.	II. 17. Salluſtio.	
		4.	VIII. 13. *Cælius.*	
		5.	III. 12. Appio.	
		6.	XV. 6. Catoni.	
		7.	11. Marcello.	
		8.	III. 13. Appio.	
			II. 15. Cælio.	
			VIII. 12. *Cælius.*	
			14. *Cælius.*	
			XIV. 5. Terentiæ.	
			XVI. 1. Tironi.	
			2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. } Tironi.	
704	58	VII. 9.	XVI. 10. Tironi.	
		&c. *ad ult.*	V. 20. Rufo.	
			XIV. 14. Tulliæ.	
			18. Tulliæ.	
			XVI. 11. Tironi.	
			9. *Q. Frater.*	

Anno U. C.	Anno Cicer.	Ad Atticum.	Ad Familiares.			****
704	58	VIII. 1.	VIII.	15.	*Cælius.*	
		&c. *ad ult.*	XVI.	13.		
		IX. 1.		14.	Tironi.	
		&c. *ad ult.*		15.		
		X. 1.	IV.	1.	Sulpicio.	
		&c. *ad ult.*	VIII.	16.	*Cælius.*	
			VI.	2.	Sulpicio.	
			II.	16.	Cælio.	
			V.	19.	Rufo.	
			XIV.	7.	Terentiæ.	
705	59	XI. 1.	VIII.	17.	*Cælius.*	
		&c. *ad* 9.	XI.	9.	*Dolabella.*	
			XVI.	8.		
				21.		
				6.		
				12.	Terentiæ.	
				19.		
				9.		
				17.		
706	60	XI. 9.				
		10.				
		11.				
		12.				
		13.	XIV.	16.		
		14.		11.		
		15.		15		
		16.		10.		
		17.		13.	Terentiæ.	
		18.		24		
		25.		23		
		23.		22		
		19.		20.		
		24.				
		20.				
		21.	XV.	21.	Trebonio.	
		22.				

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*		*Ad Familiares.*			* * *
707 *	61			CASSSIS I.			
				IV.	14.	Plancio.	
				IX.	1.	Varroni.	
				XV.	15.	Cassio.	
				VI.	22.	Domitio.	
				IV.	15.	Plancio.	
		XII.	1.	XIII.	29.	Planco.	
			2.	VI.	1.	Torquato.	
			3.	XIII.	78.	Allieno.	
			4.		79.	Allieno.	
			5.	VI.	3.	Torquato.	
				V.	1.	Mescinio.	
				VI.	21.	Toranio.	
					20.	Toranio.	
					4.	Torquato.	
				IX.	3.	Varroni.	
					2.	Varroni.	
					4.	Varroni.	
					5.	Varroni.	
					7.	Varroni.	
					6.	Varroni.	
					16.	Pæto.	
				VII.	33.	Volumnio.	
				IX.	18.	Pæto.	
				Classis II.			
				IX.	19.	Pæto.	
					17.	Pæto.	
			6.		20.	Pæto.	
			10.	VII.	3.	Mario.	
			11.	VI.	2.	Torquato.	
			7.	IV.	23.	Pæto.	

* Epistolarum hujus anni alias constat eo tempore scriptas esse, quo Cæsar *bellum gessit in Africa*: alias, *postquam in urbem rediit*: reliquas, *post ejus profectionem ad bellum Hispaniense*. Frustrà in earum ordinanda collocatione accuratius aliquid requiras; ubi nulla neque diei est, neque mensis assignatio. Includentur ergo triplicem in classem, quam tria illa offerunt tempora. Quartam habebunt *commendatitiæ*. Porrò hic annus menses habuit quindecim, dies 445. Calendas intercalares *priores*, & *posteriores*. Priores conferantur in diem 27. Septembris, ut nos numeramus: posteriores, in 30. Octobris. Cæsar ex Africa, bello confecto, ad urbem venit die 26. Julii,

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*	*Ad Familiares.*			* * * *
707	61			3.	Sulpicio.	
				13.	Nigid. Fig.	
			XIII.	68.	Serv. Isaur.	
			VI.	11.	}	
				10.	} Trebiano.	
				12.	}	
			IV.	7.	Marcello.	
			VI.	13.	Ligario.	
			IV.	8.	}	
				9.	} Marcello.	
				10.	}	
			VI.	14.	Ligario.	
			VII.	28.	Curio.	
			IV.	11.	*Marcellus.*	
			VI.	6.	Cæcinæ.	
			IX.	15.	Pæto.	
				26.	Pæto.	
			VII.	27.	Gallo.	
			IV.	4.	Sulpicio.	
			VI.	12.	Ampio.	
				Classis III.		
		16.	VI.	8.	Cæcinæ.	
		9.		9.	Furfanio.	
		12.		7.	*Cæcina.*	
		13.		5.	Cæcinæ.	
		14.	XIII.	66.	Servil. Isaur.	
		15.	V.	18.	Cassio.	
		18.	VI.	21.	~~Toranio.~~	
		17.		20.	Toranio.	
		19.				
		20.				
		&c. *ad ult.*				
				Literæ commendatitiæ.		
			XIII.	10	}	
				11.	}	
				12.	} Bruto.	
				13	}	
				14.	}	

Digitized by Google

Anno U. C.	Anno Cicer.	Ad Atticum.	Ad Familiares.		* * *
707	61				
			17.		
			18		
			19		
			20		
			21		
			22.	Sulpicio.	
			23		
			24.		
			25.		
			26.		
			27.		
			28.		
			66.		
			67.		
			69	Servilio	
			70.	Isaurico.	
			71.		
			72		
			30.		
			31.		
			32		
			33		
			34.	Acilio.	
			35.		
			36.		
			37		
			38.		
			39.		
708	62				
			VI. 18.	Leptæ.	
			XV. 18.		
			16	Cassio.	
			11.		
			19.	*Cassius.*	
			IX. 10.		
			13.	Dolabellæ.	
			11.		
		XIII. 26.	XIII. 15.	Cæsari.	
		1.	16.	Cæsari.	
		2.	IV. 5.	*Sulpicius.*	

Anno

Anno U. C.	Anno Cicer.	*Ad Atticum.*	*Ad Familiares.*	* * *
708	62	27.	V. 13. Luceio.	
		28.	IV. 6. Sulpicio.	
		29.	XVI. 22.	
		30.	17.	
		31.	20 } Tironi.	
		32.	19	
		33.	10	
		3.	18.	
		6.	16. *Q. Frater.*	
		&c. *ad* 26.	IV. 6. Sulpicio.	
		XII. 8.	10. Marcello.	
		XIII. 35.	12. *Sulpicius.*	
		34.	V. 14. *Luceius.*	
		36.	15. Luceio.	
		&c. *ad ult.*	9. *Vatinius.*	
			IX. 8. Varroni.	
			XIII. 77. Sulpicio.	
			VI. 19. Leptæ.	
			VII. 24. Gallo.	
			25. Gallo.	
			XII. 17. Cornificio.	
			XIII. 4. Valerio.	
			5. Valerio.	
			7. Cluvio.	
			8. Rutilio.	
			XII. 18. Cornificio.	
			V. 11. Vatinio.	
			VII. 29. *Curius.*	
			V. 10. *Vatinius.*	
			IX. 12. Dolabellæ.	
709	63		VII. 30. Curio.	
			XIII. 50. Aucto.	
			XII. 19. Cornificio.	
			VII. 31. Curio.	
			IX. 1. *D. Brutus.*	
			XVI. 24. Tironi.	
			VI. 17. Bithynico.	
		XIV. 1.	XVI. 23. Trroni.	
		&c. *ad ult.*	IX. 14. Dolabellæ.	
			XII. 16. *Trebonius.*	

Anno U. C.	Anno Cicer.	Ad Atticum.		Ad Familiares.			Ad Brutum.
709.	63			XV.	20.	Trebonio.	
				XI.	27.	Matio.	
					2.	*Brutus, & Cass.*	
		XV.	1.	XII.	1.	Cassio.	
			2.	XI.	28.	*Matius.*	
			3.		29.	Oppio.	
			4.	VII.	20.	Trebatio.	
			8.		19.	Trebatio.	
			5.	XI.	3.	*Brutus, & Cass.*	
			9.	X.	1.	Planco.	
			10.	V.	16.	Titio.	
			11.	XI.	4.	*D. Brutus.*	
			12.		16.	D. Bruto.	
			13.		17.	D. Bruto.	
			7.	XII.	2.	Cassio.	
			14.	X.	2.	Planco.	
		&c.	*ad ult.*	XII.	3.	Cassio.	
		XVI.	1.		23.	} Cornificio.	
			5.		21.	}	
			4.		26.	}	
			2.		27.	}	
			3.	XI.	5.	} D. Bruto.	
			6.		7.	}	
			7.		6.	}	
			8.	XII.	22.	Cornificio.	
			9.	XVI.	27.	Tironi.	
			11.		21.	*Cicero Filius.*	
			10.		25.	*Cicero Filius.*	
			13.	VI.	16.	*Bithynicus.*	
		&c.	*ad ult.*				
710	64			XII.	24.	Cornificio.	
				XI.	8.	D. Bruto.	
				X.	3.	Planco.	
				XII.	4.	Cassio.	
				X.	28.	Trebonio.	
				XII.	5.	Cassio.	
				X.	4.	*Plancus.*	1.
				IX.	24.	Pæto.	
				XII.	10.	Cassio.	2.
					11.	*Cassius.*	

Digitized by Google

Anno U. C.	Anno Cicer.	* * *	*Ad Familiares.*			*Ad Brutum.*
710	64		X.	5.	Planco.	
				31.	*Pollio.*	3.
				6.	Planco.	
				8.	*Plancus Senat.*	4.
			XII.	7.	Cassio.	
			X.	27.	Lepido.	5.
				7.	*Plancus.*	
				10.	Planco.	6.
				12.	Planco.	
			XII.	28.	Cornificio.	7.
				29.	Cornificio.	
				6.	Cassio.	8.
			X.	30.	*Galba.*	
				9.	*Plancus.*	10.
				11.	*Plancus.*	
			XI.	9.	*D. Brutus.*	11.
			XII.	25.	Cornificio.	
			XI.	10.	*D. Brutus.*	9.
				11.	*D. Brutus.*	
			XII.	12.	*Cassius.*	
			X.	11.	*Plancus.*	
				14.	Planco.	
			XI.	22.	D. Bruto.	12.
			X.	15.	*Plancus.*	
				17.	*Plancus.*	
				16.	Planco.	
			XII.	30.	Cornificio.	13.
			XI.	18.	D. Bruto.	
				19.	*D. Brutus.*	
			X.	34.	*Lepidus.*	
				25.	Furnio.	15.
				18.	*Plancus.*	
				21.	*Plancus.*	
				22.	Planco.	14.
			XI.	15.	D. Bruto.	
			X.	13.	Planco.	
				19.	Planco.	18.
			XI.	12.	D. Bruto.	
			X.	33.	*Pollio.*	
				26.	Furnio.	16.
			XI.	14.	D. Bruto.	
				20.	*D. Brutus.*	

Digitized by Google

Anno U. C.	Anno Cicer.	***	Ad Familiares.	***
710	64		23. *D. Brutus.*	
			X. 20. Planco.	
			XII. 14. *Lentulus Cicer.*	
			15. *Lentulus Senat.*	
			X. 35. *Lepidus Senat.*	
			XI. 13. *D. Brutus.*	
			26. *D. Brutus.*	
			21. D. Bruto.	
			24. D. Bruto.	
			X. 23. *Plancus.*	
			32. *Pollio.*	
			XII. 8. Cassio.	
			9. Cassio.	
			13. *Cassius.*	
			XI. 25. D. Bruto.	
			XII. 10. Cassio.	
			X. 29. Ampio.	
			24. *Plancus.*	

Digitized by Google

M. TULLII CICERONIS EPISTOLÆ AD FAMILIARES.

LIBER I.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D.

EGO omni officio, ac potiùs pietate erga te 1
cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquam ſatisfacio. Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me [1] meritorum, ut quoniam tu, [2] niſi perfectâ re, de me non conquieſti, ego quia non idem in tua cauſa efficio, vitam mihi eſſe acerbam putem. In cauſa hæc ſunt. Ammonius, regis legatus, apertè pecuniâ nos oppugnat. Res agitur per eoſdem [3] creditores, per quos, cùm tu aderas, agebatur. Regis causâ ſi

ARGUMENTUM. Rex Ægypti Ptolemæus, à ſuis ejectus, ut ab Romanis reſtitueretur, cupidè largitionibus laboravit. Obſtabat Sibyllinum carmen, quod vetabat Ægyptium exercitu juvare. Quidam cenſuerunt, ut Lentulus, Ciliciæ proconſul, ſine exercitu reduceret: alii, ut Pompeius. Quid actum de his in ſenatu fuerit, Cicero perſcribit. *Anno* U. C. *697*. CELLARIUS.

1. *Meritorum*] Meritum Lentuli maximum erga Ciceronem fuit, cùm eum, lege Clodia pulſum, quòd cives Romanos, conjurationis in patriam convictos, capitali ſupplicio, contra veteres leges, morémque majorum, indictâ causâ affeciſſet, conſul ſextodecimo ejus exilii menſe revocavit. *Orat. poſt Redit.* MANUTIUS.

2. *Niſi perfectâ re, de me*] Lambinus & Grævius ſic diſtinguunt: *niſi perfectâ re de me, non conquieſti.*

3. *Creditores*] Qui non ſolùm id agebant, ut rex reſtitueretur, quò creditas ei pecunias

Digitized by Google

qui ſunt qui velint, qui pauci ſunt, omnes rem ad Pompeium deferri volunt. Senatus [4] religionis calumniam non religione, ſed [5] malevolentiâ, & illius regiæ largitionis invidiâ comprobat. Pompeium & hortari, & orare, & jam [6] liberiùs accuſare, & monere, ut [7] magnam infamiam fugiat, non deſiſtimus. Sed planè nec precibus noſtris, nec admonitionibus [8] relinquit locum. Nam cùm in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palàm ſic egit cauſam tuam, ut neque eloquentiâ majore quiſquam, neque gravitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit, cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, & amoris erga te ſui. [9] Marcellinum [10] tibi eſſe iratum ſcis. Is, hac regiâ causâ exceptâ, cæteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. Quod dat, accipimus: quod inſtituit [11] referre [12] de religione,

nias exigere poſſent: verùm etiam apertè pecunias pro Pompeio contra Lentulum ſuppeditabant, quod regem cupere intelligebant. Vide ep. 2. lib. 2. ad Q. Fr. Man.

4. *Religionis calumniam*] Sibyllæ verſus Ægypti regem cum exercitu reduci vetabant: cujus oraculi verba apud Dionem lib. 39. hæc ſunt: *Si rex Ægypti, auxilio indigens aliquo, venerit, amicitiam quidem ei ne denegaveritis; ne tamen eum multitudine aliqua juveritis: ſin aliter, & labores, & pericula habebitis.* Cicero, qui reductionem regis, Lentuli gratiâ, vehementer cuperet, *Calumniam religionis* appellat, id eſt, malitioſam & fictam de Sibyllinis verſibus orationem. Idem.

5. *Malevolentiâ*] Duas cauſas affert, quare præceptum Sibyllæ de non reducendo cum exercitu rege ſenatui placeret: malevolentiam, quia de legatis Ægyptiis, mandato regis clàm interfectis, percrebuiſſet; regiæ largitionis invidiam, quia, cùm Ammonius quorundam ſenatorum animos apertè pecunia corrumperet, ea largitio turpiſſimam infamiæ notam ordini inureret univerſo. Idem Hîc *invidiam* eſſe arbitror offenſionem Invidiam id habere dicitur, aut invidioſum eſſe, quod homines non libenter vident. Anonymus.

6. *Liberiùs accuſare*] Levius eſt quàm, liberè accuſare. Nam interdum efficacitatis minùs habent, quæ comparandi adverbia Grammatici appellant, quàm quæ ſimpliciter, ſine ulla comparatione enuntiantur. *Accuſatio* autem extra judicium etiam in privatis rebus, atque adeò inter amore conjunctiſſimos, locum habet. Itaque lib. 3. Off. *Accuſabit patrem filius nefaria de patria cogitantem*: pro, reprehendet. Man.

7. *Magnam infamiam*] Triplicem; vel ingrati animi, qui Lentulo, cujus erga ſe officia cùm in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palàm commemoraverat, reductionem regis Alexandrini, præſertim ei jam à ſenatu decretam, conaretur eripere; vel immoderatæ ambitionis, qui ſummis jam perfunctus honoribus, triúmque triumphorum gloriâ circumfluens, frumentaria etiam curatione, ſumma cum poteſtate, paulo antè ornatus, tamen his non contentus, honorem præterea, quicunque eſſet, Ægyptiæ legationis appeteret; vel etiam avaritiæ, quòd regis muneribus, magnam ab ipſo reſtituendi cupiditatem præ ſe ferentis, corruptus exiſtimari poſſet. Idem.

8. *Relinquit locum*] *Non relinquere locum precibus*, duobus modis accipitur: vel cùm is, cujus gratia & auctoritas prodeſſe nobis poteſt, ita ſe geſſit, ut eum rogare non oporteat; ut in hoc loco: vel cùm ita meriti ſumus, ut precibus nihil proficere poſſe videamur: cujus generis habemus exemplum apud Terentium in And. *Quid cauſæ eſt, quin hinc in piſtrinum rectâ proficiſcar viâ?*

ne, & sæpe jam retulit, ab eo deduci non potest. Res ante idus acta sic est: nam hæc idibus manè scripsi. Hortensii, & mea, & [13] Luculli sententia [14] cedit religioni de exercitu: teneri enim res aliter non potest: sed ex illo [15] senatus-consulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem reducas: quod [16] commodo rem facere possis: ut exercitum religio tollat, te [17] auctorem senatus retineat. [18] Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompeium: censet enim etiam ex iis, qui cum imperio sunt. M. [19] Bibulus tres legatos ex iis, qui privati sunt. Huic assentiuntur reliqui consulares, præter [20] Servilium, qui omnino reduci negat oportere; & [21] Volcatium, qui [22] Lupo referente, Pompeio decernit; & [23] Afranium, qui assentitur Volcatio: quæ res

---

viâ? Nihil est preci loci relictum: jam perturbavi omnia. Locum igitur precibus vel aliena humanitas, vel nostra adimit improbitas. MAN.

9. *Marcellinum*] Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, consulem hoc anno cum L. Marcio Philippo. IDEM.

10. *Tibi esse iratum scis*] Si *regi esse iratum scis*, legas, ut quidam volunt, non erit quærendum, an qui una in re sit alicui iratus, induci possit ut in cæteris se ejusdem defensorem fore ostendat. CORRAD.

11. *Referre*] *Referre* ad senatum, de quo sententiæ dicerentur. MANUT.

12. *De religione*] De Sibyllinis versibus, reduci regem cum multitudine vetantibus. ID.

13. *Luculli*] Marci, non Lucii, qui perierat anno superiore. IDEM.

14. *Cedit religioni de exercitu*] Antea tamen, reducendum cum exercitu regem, Cicero censuerat: habuit enim orationem pro Ptolemæo reducendo. IDEM. Vide Tomo nostro VI. p. 607. *hujusce Edit.*

15. *Illo S. C.*] Quod factum est in Ciceronis sententiam, ut Pompeius annonæ procurationem susciperet, & P. Lentulus, cui provincia Cilicia obvenerat, regem reduceret. CORRAD.

16. *Commodo*] Quòd id ille maximè propter loci vicinitatem & opportunitatem commodè & aptè facere posset. Nam Lentulus in iis locis erat, ut ipsi propè in conspectu Ægyptus esset. VICTORIUS. Censet Manutius, *commodo* adverbium esse, & poni pro *commodè*. Quod satis redarguunt illæ locutiones, quas ipse aliique è Cicerone afferunt: *quod tuo commodo fieri possit*, *quod è tuo commodo facere poteris*. Hæ sunt integræ locutiones, pro quibus concisè & breviter dixit, *quod commodo facere possis*. Terent. verò in Adelph. act. 1. scen. 2. *Dum erit commodum*. GRÆVIUS.

17. *Auctorem*] Ut restituti regis honor, & gloria penes te sit: quod jam senatus decreverat. Auctor is est, cujus auctoritate & sententiâ aliquid fit. MANUTIUS.

18. *Crassus*] M. Licinius Crassus, nunc quidem in Pompeium malè animatus: quod indicat epist. 3. lib. 2. ad Q. Fr. Sed anno sequenti, consules iterum creati, in gratiam redierunt. Plutarch. IDEM.

19. *Bibulus*] M. Calpurnius Bibulus, plebeii generis, Cæsaris in ædilitate, prætura, consulatu collega, ejusdémque inimicissimus, Pompeio etiam, ob Cæsaris affinitatem, hoc tempore infensus: ideo privatos decernebat, ut eum excluderet. ID.

20. *Servilium*] P. Servilium Vaciam Isauricum, qui cum Appio Clodio Pulchro consul fuit. CORRADUS.

21. *Volcatium*] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Æmilio Lepido consul fuit. ID.

22. *Lupo referente*] P. Rutilio Lupo, qui fuit tribunus plebis. IDEM.

23. *Afranium*] L. Afranium, qui cum Q. Cæcilio Metello Celere consul fuit. ID.

Digitized by Google

auget suspicionem Pompeii voluntatis. Nam advertebantur Pompeii familiares assentire Volcatio. Laboratur vehementer. [24] Inclinata res est. [25] Libonis, & [26] Hypsæi non obscura concursatio, & contentio: omniúmque Pompeii familiarium studium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere videatur: cui qui nolunt, iidem tibi, quòd eum [27] ornasti, non sunt amici. [28] Nos in causa auctoritatem eò minorem habemus, quòd tibi debemus. Gratiam autem nostram extinguit hominum suspicio, quòd Pompeio se gratificari putant. Ut in rebus multo antè quàm profectus es, ab ipso rege, & ab intimis, ac domesticis Pompeii clàm exulceratis, deinde palàm à consularibus exagitatis, & in summam invidiam adductis, ita versamur. Nostram fidem omnes, amorem tui absentis [29] præsentes tui cognoscent. Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. Vale.

24. *Inclinata res est*] Lepida translatio. Rerum status triplex est: aut enim ita se habent, ut volumus, & *stare* tunc dicuntur; aut aliter, ac volumus, & *inclinatæ esse*: aut prorsus contra quàm volumus, & *jacére*. MANUT.

25. *Libonis*] L. Scribonii Libonis, cujus filiam Sext. Pompeius, Pompeii Magni filius, uxorem habebat. CORRAD.

26. *Hypsæi*] P. Plautii Hypsæi, qui Pompeii Magni quæstor, & postea Milonis competitor fuit. IDEM.

27. *Ornasti*] Cùm ad eum consul frumentariam curationem detulisti. MANUT.

28. *Nos*] Epistolæ clausula mirum habet artificium. Nam, quia rem inclinatam esse dixerat, veritus ne propterea Lentulo, cui omnia debebat, in aliquam negligentiæ, aut etiam ingrati animi suspicionem veniret, avertit à se omnem culpam, excusatione quinquepartita: quòd auctoritatis in regia causa minùs habeat, quia pro benè de se merito contendat: quòd gratiam suam Pompeii gratia major extinguat: quòd multi ad Pompeium, ab ejus domesticis, & à rege ipso corrupti, rem deferri velint: quòd consulares, ob regiam præcipuè largitionem, totum consilium de restituendo rege improbent: postremò, quòd nonnulli, quorum Lentulus auctoritatem, dignitatem, voluntatémque defenderat, non tam virtutis ejus memores essent, quàm laudis inimici. Quod perfidiæ vitium & hîc perspicuè notat, & in seqq. epist. 7. 8. 9. IDEM.

29. *Præsentes*] Huic lectioni favet id quod est in epist. 6. hujus libri: *Tantùm habeo polliceri, me tibi absenti præsentibúsque tuis satisfacturum.* Alii legunt, *tui absentis, præsentisque tuis*, &c.

M. T. C. S. D. P. LENTULO PROCOS.

2. IDIBUS Januariis in senatu nihil est confectum, propterea quòd dies magna ex parte consumptus est [1] altercatione Lentuli

ARG. Significat quid deinceps actum in senatu sit in causa regia Idibus Januariis: quæ sententiæ dictæ: quo Pompeius, quo ejus familiares animo: & quæ tribuni frustrà moliti sint. *Anno* U. C. 697.

1. *Altercatione*] De rege reducendo: cùm Cani-

Digitized by Google

tuli consulis, & Caninii tribuni plebis. Eo die nos quoque multa verba fecimus: maximéque visi sumus senatum commemoratione tuæ voluntatis erga illum ordinem commovere. Itaque postridie placuit, ut breviter sententias diceremus. Videbatur enim reconciliata nobis voluntas senatus esse: quod cùm dicendo, tum singulis appellandis, rogandisque perspexeram. Itaque cùm sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres legati regem reducerent: secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia [2] divideretur. Quatenus de religione dicebat, [3] cuique rei jam obsisti non poterat, Bibulo assensum est: de tribus legatis frequentes [4] ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cùm [5] Lupus, tribunus plebis, quod ipse de Pompeio retulisset, intendere [6] cœpit, antè se oportere [7] discessionem facere, quàm consules. Ejus orationi vehementer

Caninius Pompeio rem deferri vellet; consul regem neque cum exercitu reduci, neque ab iis, qui cum imperio essent. Ita Pompeium excludebat, qui cum imperio erat. MANUT.

2. *Divideretur*] Qui de religione, & de tribus legatis simul deliberandum censebat: quod si esset factum, utrumque simul rejici, aut utrumque simul probari necesse erat. Quam consuetudinem egregiè Pedianus expressit his verbis: *Cùm aliquis in dicenda sententia duas pluréſve res complectitur, eæ si non omnes probantur, postulatur, ut dividatur, id est, de rebus singulis referatur.* MANUTIUS.

3. *Cuique rei jam obsisti non poterat*] Satis implicata sententia videtur, sed, ut arbitror, explicabitur hoc modo. Quatenus de religione loquebatur, & in quo jam obsisti non poterat; Bibulo assensum est. Obsisti autem ideo non poterat, quia factum jam erat S. C. regem cum multitudine reduci, periculosum reip. videri. IDEM.

4. *Ierunt in alia omnia*] Ire in alia omnia, & discedere, & transire, pro dissentire, veteres dicebant. De quo Festus his verbis: *Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.* IDEM.

5. *Lupus*] Obscurus hic locus est; neque enim apparet causa hæc, an occasio tantùm fuerit postulati tribunitii; & si causa, quæ causa hujus causæ Suspicor autem rem invidiosè magis (ut Oratorum mos est in iis, quibus adversantur) quàm simpliciter à Cicerone propositam. Et accipiendum, non quasi omnino tribunus pleb. jus vindicet ante consules, quod absurdum verba sonant; sed quia quam consules tertiam fecerant sententiam (satis ostendentes eò se non valde inclinare, & sperantes ex duabus prioribus utique alteram victuram, ita ut ad tertiam non perveniretur) quia igitur, quam illi tertiam fecerant sententiam, eadem erat relatio tribuni plebis Lupi, hic contendisse videtur, quoniam de prima sententia concessisset ipse consulibus, & ea irrita esset; nunc oportere se discessionem facere, & præponi relationem tribuni, qui esset magistratus populi Romani: sententia Hortensii nihil aliud tum, quàm consularis viri. J. F. GRONOVIUS.

6. *Intendere*] Sic antiqui libri, quos viderim, omnes; non, *contendere*. MAN. Omnino *contendere* malim, quàm *intercedere*, atque adeò quàm *intendere*. LAMBIN.

7. *Discessionem facere*] Perrogatis omnibus sententiis, cùm tres, aut quatuor controversiæ invenirentur: oportuit in aliquam earum S. C. fieri. Fiebat verò in eam, quam

Digitized by Google

ter ab omnibus reclamatum eſt. Erat enim [8] iniqua, & nova. Conſules neque [9] concedebant, neque valde [10] repugnabant. Diem conſumi volebant: id quod eſt factum. Perſpiciebant enim in Hortenſii ſententiam [11] multis partibus plures ituros: quanquam [12] apertè Volcatio aſſentirentur. Multi [13] rogabantur, atque idipſum conſulibus [14] invitis: nam ii Bibuli ſententiam valere cupierunt. Hac controverſiâ uſque ad noctem ductâ, ſenatus dimiſſus: & ego eo die caſu apud Pompeium cœnavi: nactusque tempus hoc magis idoneum, quàm unquam antea, quòd poſt tuum diſceſſum is dies [15] honeſtiſſimus nobis fuerat in ſenatu, ita ſum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. Quem ego ipſum cùm audio, prorſus eum libero omni ſuſpicione cupiditatis: cùm autem ejus familiares omnium ordinum video, perſpicio, id quod jam omnibus eſt apertum, totam rem iſtam jampridem à certis hominibus, non invito rege ipſo, conſiliariiſque ejus, eſſe corruptam. Hæc ſcripſi ante diem XVI. kal. Febr. ante lucem. Eo die ſenatus erat futurus. Nos in ſenatu, quemadmodum ſpero, dignitatem noſtram, ut poteſt

quam plures laudaſſent. Pronuntiatis igitur differentibus opinionibus ſenatorum, in ſingulas diſcedebatur, ut quam plures probarent, cognoſceretur. Hinc apud Feſtum: *Pedarius ſenator appellatur, quòd nunquam diceret, ſed, cùm diſcederetur, tranſeundo tantùm ad eum, cujus ſententiam probabat, quid videretur indicaret.* ZAMOSCIUS, de Senatu Rom.

8. *Iniqua & nova*] Quia ſemper conſulum jus fuit ſententiam primam, poſtremam pronuntiare, quamcunque libuiſſet: atque hæc eorum præcipua vis & poteſtas in ſenatu. J. F. GRONOV.

9. *Concedebant*] Scilicet, ſui juris ſuæque dignitatis causâ. IDEM.

10. *Repugnabant*] Libidinis ergò, & voluntatis ſuæ, & in præſenti cauſa, ne ſtatim Hortenſianam ſententiam, à qua abhorrebant, pronuntiandam haberent. IDEM.

11. *Multis partibus plures*] Qui ſic explanant, vidiſſe conſules in Hortenſii ſententiam plures ituros à multis partibus, id eſt, hinc illinc, parum omnino agnoſcunt puriſſimam & ornatiſſimam locutionem, qua elegantiſſimi ejus ætatis viri ſuis in ſcriptis eleganter uſi ſunt. *Multis partibus plures.* Multo plures. Eodem modo Cælius ep. 9. lib. 8. *Turpe tibi erit, Patiſchum Curioni decem pantheras miſiſſe, te non multis partibus plures.* In Academicis: *Quibus efficitur, ſolem multis partibus majorem eſſe quàm terram.* Lib. 3. de Fin. *Multis partibus malis*, pro *multo malit.* MAN.

12. *Apertè*] Simulabant Pompeii causâ: ſed conſules, oratione Ciceronis reconciliatam Lentulo ſenatûs voluntatem intelligentes, diem conſumi paſſi ſunt, ne diſceſſio fieret. IDEM.

13. *Rogabantur*] A tribuno Lupo ſcilicet de diſceſſione facienda. J. F. GRONOV.

14. *Invitis*] Quod credibile eſt & ipſos & factionem illorum demonſtraſſe, Lupo & Lupinæ factioni obſtrependo. IDEM.

15. *Honeſtiſſimus*] Id eſt, auditus fueram ab applaudentibus, aſſurgentibus, acclamantibus, mirificas dantibus ſignificationes favoris. IDEM.

Digitized by Google

poteſt in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur eſſe conſecuti, ut ne quid agi cum populo aut ſalvis auſpiciis, aut ſalvis legibus,[16] aut denique ſine vi poſſit. De his rebus pridie, quàm hæc ſcripſi, ſenatûs[17] auctoritas graviſſima[18] interceſſit: cui cùm[19] Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta. Eam ad te miſſam eſſe arbitror. De cæteris rebus, quidquid erit actum, ſcribam ad te: & ut quàm rectiſſimè agantur omnia, meâ curâ, operâ, diligentiâ, gratiâ providebo. Vale.

16. *Aut denique ſine vi*] Cur hoc tertium addit? Ut oſtendat, ſi tribunos pleb. nec auſpicia, nec interceſſio deterreat, populum tamen ipſum novas leges non eſſe probaturum. Itaque præter vim, qua tribuni plebis nonnunquam in ferendis legibus utebantur, nihil timendum. De hac ipſa vi ſic in epiſt. 2. lib. 2. ad Q. Fratr. *Suſpicor Caninium per vim rogationem perlaturum.* De eadem, & ſimul de populi ſtudio erga Lentulum, epiſt 4. *Ego tibi à vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum, præſtare nihil poſſum: vi exceptâ, poſſum confirmare, te, & ſenatûs, & populi Romani ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum.* Vis autem illa ſignificatur, cùm ſeditioſi tribuni pleb. ut ſuas rogationes perferrent, eam populi partem, quæ bene de republica ſentire videbatur, armis foro excluderent, operas autem ad ſuffragia ferenda inducerent. Deſcribitur hæc vis cùm in aliis orationibus, tum in Phil. 1. his verbis: *Forum ſepietur, &c.* MANUTIUS.

17. *Auctoritas*] Cùm ſenatus legitimus, id eſt, quo loco, quo die, quo numero, à quo magiſtratu oporteret, habitus, aliquid vel de publica, vel de privata re decreverat; tum ſi ex collegio tribunorum plebis nemo intercedebat, rata ſenatûs voluntas erat, & S. C. dicebatur; eóque nomine inſcriptum publicis tabulis conſignabatur: ſin autem vel ſenatus non legitimus aliquid decreverat, vel tribunus plebis interceſſerat; infirmum ac prorsùs irritum decretum illud erat, nec S. C. ſed *ſenatus auctoritas* vocabatur: propterea quòd auctoritatem quandam publicis tabulis teſtata ſenatûs voluntas habere videbatur. ID.

18. *Interceſſit*] *Intercedere*, modò eſt impedire, ut infrà: *Cui cùm Cato & Caninius interceſſiſſent, &c.* modò intervenire, ut hîc. IDEM

19. *Cato*] Cato hic Marcellino & Philippo coſſ. tribunus plebis, diverſus fuit à Catone Uticenſe, cùm ille M. prænomine, hic noſter C. diceretur, adoleſcens audax; nec imparatus ad dicendum. Periit paulo pòſt per tumultum occiſus, cùm Pompeium privatus Dictatorem appellaſſet. Vide Cic. ad Q. Frat. lib. 1. Liv. epit. lib. 105. Feneſtellam apud Nonium Marcellum in voce *rumor.* GLANDORPIUS.

M. T. C. P. LENTULO S. D.

AULO Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, 3
& ampla, &[1] expedita habet, multos annos utor valde fami-

ARG. A. Trebonii negotia, quæ in provincia Cilicia habebat, proconſuli Lentulo diligentiſſimè commendat. *Anno* U. C. 697.

1. *Expedita*] Impedita enim, ne tibi moleſtiam afferrem, haud libenter tibi commendarem. MANUTIUS.

familiariter. Is cùm antea semper & suo splendore, & nostrâ, cæterorúmque amicorum commendatione gratiosissimus in provincia fuit: tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostrámque necessitudinem vehementer confidit his meis literis se apud te gratiosum fore: quæ ne spes eum fallat, vehementer rogo te: commendóque tibi ejus omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: in primísque, ut quæ [2] T. Ampius de ejus re decreverit, ea comprobes, omnibúsque rebus eum ita tractes, ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuisse. Vale.

2. *T. Ampius*] Qui ante Lentulum Ciliciæ præfuerat, prætorius, non consularis. MAN.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D.

4 ANTE diem XVI. kal. Feb. cùm in senatu pulcherrimè staremus, quòd jam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie ejus diei fregeramus, unumque certamen esset relictum, sententia Volcatii, res ab adversariis nostris extracta est [1] variis calumniis. Causam enim frequenti senatu, [2] in magna varietate, magnáque invidia eorum, qui à te causam regiam aliò transferebant, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus [3] Curionem: Bibulum multò [4] justiorem; penè etiam amicum. Caninius, & Cato negarunt se legem ullam ante comitia esse laturos.

ARG. Conquestus de adversariorum calumniis, quæ peracta in senatu fuerint eodem die, quo superiorem epistolam ante lucem scripserat, significat, obtinendæ causæ spe adjectâ, nisi vis, quam solam timet, interverterit. *Anno* U. C. *697*.

1. *Variis calumniis*] *Varias calumnias* vocat Cicero varias causas fictè inductas, varia figmenta, cùm nihil verum, nihil ex animo loquerentur, sed tantùm ut rem ducerent, diémque dicendo extraherent. Sic 1. lib. 2. ad Fratrem: *Per obtrectatores Lentuli res calumniâ extracta est.* MANUT.

2. *In magna varietate*] Varietatem sententiarum dicit. Sententias autem quinque variè decernentium exposuit in prima epistola; Hortensii, de reductione regis uni Lentulo mandanda; Crassi, de tribus legatis, etiam ex iis qui cum imperio essent; Bibuli, de tribus item legatis, sed ex iis tantùm, qui privati essent; Servilii, ne rex reduceretur; Volcatii, ut reduceretur à Pompeio. IDEM.

3. *Curionem*] C. Scribonium Curionem, consularem, & triumphalem, patrem ejus, ad quem epistolæ mittuntur lib. 2. IDEM.

4. *Justiorem*] Hujus mutationis illa Bibulo causa fuit, quòd, cùm ipse de tribus legatis obtinere non potuisset, malebat Lentulo rem deferri, quàm Pompeio, quem Cæsaris, inimicissimi sui, generum, fautorémque & amplificatorem dignitatis, ornari non libenter videbat. IDEM.

Digitized by Google

turos. Senatus haberi ante kalendas Februarii [5] per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt: neque menſe Februario toto, niſi perfectis, aut [6] rejectis legationibus. Hæc tamen opinio eſt populi Romani, à tuis invidis, atque obtrectatoribus nomen inductum [7] fictæ religionis, non tam ut te impedirent, quàm ut ne quis propter exercitûs cupiditatem Alexandriam vellet ire. Dignitatis autem tuæ nemo eſt quin exiſtimet habitam eſſe rationem [8] ab ſenatu. Nemo eſt enim qui neſciat, quo minùs diſceſſio fieret per adverſarios tuos eſſe factum: qui nunc populi nomine, re autem verâ ſceleratiſſimo latrocinio, ſi quæ conabuntur agere, ſatis proviſum eſt, ut ne quid ſalvis auſpiciis, aut legibus, aut etiam ſine vi agere poſſint. Ego neque de meo ſtudio, neque de nonnullorum injuria ſcribendum mihi eſſe arbitror. Quid enim aut me oſtentem? qui ſi vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum aſſecutus: aut de aliorum injuriis querar? quod ſine ſummo dolore facere non poſſum. Ego tibi à vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum, præſtare nihil poſſum. Vi exceptâ, poſſum confirmare, te & ſenatûs, & populi Romani ſummo ſtudio, amplitudinem tuam retenturum. Vale.

5. *Per legem Pupiam*] Quæ comitialibus diebus haberi ſenatum vetabat. Ad Q. Fratrem, II. 2. & 12. IDEM.

6. *Rejectis*] In aliud tempus dilatis. Menſe autem Februario poſtulata & legationes provinciarum audiri ſolitas confirmat Cic. in Verr. I. 35. II. 31. Item ad Atticum I. 14. J. F. GRONOVIUS.

7. *Fictæ religionis*] Non enim eos religio movebat: ſed ſpecie religionis malevolentiam ſuam tegebant. *Religionis calumnia* vocatur in epiſt. 1. MANUT.

8. *Ab ſenatu*] Non enim ſenatus, ſed adverſariorum tuorum culpâ, ne diſceſſio fieret, commiſſum eſt. IDEM.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D.

TAMETSI mihi nihil fuit optatius, quàm ut primùm abs te ipſo, deinde à cæteris omnibus, quàm gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer: tamen afficior ſummo dolore, ejuſmodi tempora poſt tuam profectionem conſecuta eſſe, ut & meam, 5

ARG. Scribit de C. Catonis promulgatione, de ſtatu regiæ cauſæ, de ſuo Seliciique conſilio, cujus non inhonorum eventum ſperat. *Anno* U. C. 697.

Digitized by Google

& cæterorum erga te [1] fidem, & benevolentiam absens experirere. Te videre & sentire, eandem fidem esse hominum [2] in tua dignitate, quam ego [3] in mea salute sum expertus, ex tuis literis intellexi. Nos cùm maximè consilio, studio, labore, gratiâ de causa regia niteremur, subito [4] exorta est nefaria Catonis [5] promulgatio, quæ nostra studia impediret, & animos [6] à minore cura ad summum [7] timorem traduceret. Sed tamen in hujusmodi perturbatione rerum quanquam omnia sunt metuenda, nihil magis quàm [8] perfidiam timemus: & Catoni quidem, quoquo modo se res habeat, profectò resistimus. De Alexandrina re, causâque regia tantùm habeo polliceri, me tibi absenti, tuísque præsentibus cumulatè satisfacturum. Sed vereor, ne aut eripiatur [9] causa regia nobis, aut deseratur: quorum utrum minùs velim, non facilè possum existimare. Sed, si res coget, est [10] quiddam tertium, quod neque Selicio, nec mihi displicebat: ut neque [11] jacêre regem pateremur, nec, nobis repugnantibus, ad eum deferri, ad quem propè jam delatum existimatur. A nobis agentur omnia diligenter: ut nec, si quid obtineri poterit, non contendamus: nec, si quid non obtinuerimus, [12] repulsi esse videamur. Tuæ sapientiæ, magnitudinísque animi est, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam in virtute,

1. *Fidem & benevolentiam*] Cùm referuntur ad *meam*, retinent suam nativam significationem: si ad *cæterorum*, notat perfidiam & malignitatem. J. F. Gronov.

2. *In tua dignitate*] De qua agitur in regia causa. Manutius.

3. *In mea salute*] Cùm ab amicis proditus in exilium abii. Idem.

4. *Exorta est*] Præter expectationem: quia Cato & Caninius negaverant se ullam legem ante comitia esse laturos. Idem.

5. *Promulgatio*] Ut Lentulus è Cilicia revocaretur. Vide ad Q. Fr. I. 3. Idem.

6. *Minore cura*] De reducendo Regè.

7. *Timorem*] Ne imperium tibi abrogetur. Corradus.

8. *Perfidiam*] Si enim in officio manserint amici, qui suam nobis operam ad impediendas tribunorum plebis rogationes polliciti sunt, nihil timemus. Manut.

9. *Causa regia*] Facilè & ipse crediderim *causa regia* esse glossema, ut Lambinus & Manutius rectè viderunt; verùm ejicere illa verba, & eradicare invitis omnibus, quotquot visi adhuc sunt, codicibus antiquis, non ausim, & id sanè temerarium est. Fecerunt tamen illi duumviri. Sed ego sequor libros exaratos manu, Victorium & Gruterum. Grævius.

10. *Quiddam tertium*] Quid hoc sit, planè non exponit: sed videtur significare: si Lentulus regem non reducat, neque sibi, neque Selicio displicere, ut à quovis alio potiùs, quàm à Pompeio, reducatur. Man.

11. *Jacere*] A nemine restitui. Idem.

12. *Repulsi*] Pertinet ad illud tertium, quod sibi non displicere dixit: rege enim ad Pompeium delato, Lentulus repulsam tulisse videretur; sin, utroque rejecto, alia quapiam ratione reduceretur, jacturam existimationis suæ Lentulus in eo nullam faceret. Idem.

te, atque in rebus gestis tuis, atque in tua gravitate positam existimare. Si quid ex iis rebus, quas tibi fortuna largita est, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id majori illis fraudi, quàm tibi futurum. A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi: utórque ad omnia Q. Selicio: neque enim prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide majòre esse judico, neque amantiorem tui.

[13] Hìc quæ agantur, quæque acta sint, ea te & literis multorum, & nuntiis cognoscere arbitror: quæ autem posita sunt in conjectura, quæque mihi videntur fore, ea puto tibi à me scribi oportere. Posteaquam Pompeius apud populum ante diem VIII. idus Februarii, cùm pro Milone diceret, clamore [14] convicióque jactatus est, in senatúque à [15] Catone asperè & acerbè nimiùm magno silentio est accusatus, visus est mihi vehementer esse [16] perturbatus. Itaque Alexandrina causa, quæ nobis adhuc integra est ([17] nihil enim tibi detraxit senatus, nisi id, quod per eandem religionem dari alteri non potest) videtur ab illo planè esse deposita. Nunc id speramus, ídque molimur, ut, cùm rex intelligat, sese id, quod cogitabat, ut à Pompeio reducatur, assequi non posse: &, nisi per te sit restitutus, desertum

13. *Hìc quæ agantur*] Disjungendum à superioribus, ut sit alia epistola: quod ex ipso cognoscitur argumento: dixit enim in superiore, propè delatum esse regem ad Pompeium: in hac, Alexandrinam causam ab eo depositam, significat. Præterea, cur de Catone eadem iterentur? cur ita concludat epistolam: *Tu fac animo forti, magnóque sis*: cùm eum jam ad animi magnitudinem cohortatus in eo loco sit: *Tuæ sapientiæ, magnitudinísque animi est?* Et omnino cùm tota res alia videtur, tum agnoscitur epistolæ principium in his verbis: *Hìc quæ agantur, quæque acta sint, ea te, &c.* Aut hoc est alterius epistolæ initium: aut quæ sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superior epistolæ pars: sæpe autem accidit, ut literas non continua, sed crebrò repetita scriptione conficiamus, singulis diebus novi aliquid appingentes: id quod in epistolis ad Atticum scriptis sæpissimè factum videmus. IDEM.

14. *Convicio*] Cùm enim Clodius de loco superiore (ut ait Plutarchus) interrogaret suos in concione stantes, quis esset, qui plebem fame necaret? respondebant operæ, Pompeius; quis Alexandriam ire cuperet? Pompeius. Ad convicium impetus accessit: nam in oratione pro Milone: *Reo, inquit, Milone ad populum, accusante P. Clodio, cùm in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus esset, quæ tum non modò occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit?* IDEM. Vide ad Q. Fr. II. 3.

15. *Catone*] Caio Catone, Tribuno plebis, de quo suprà. IDEM.

16. *Perturbatus*] Non tam, quòd asperè & acerbè accusatus esset à Catone, quàm quòd senatorum omnium magno silentio. ID.

17. *Nihil enim tibi detraxit senatus*] Dederat tibi, ut regem reduceres: id postea non detraxit, sed exercitum: quem non tam tibi, quàm omnino omnibus ademptum existimare debes. IDEM.

Digitized by Google

se atque abjectum fore, proficiscatur ad te. Quod sine ulla dubitatione, si Pompeius paulum modò ostenderit sibi placere, faciet. Sed nosti hominis tarditatem, & taciturnitatem. Nos tamen nihil, quod ad eam rem pertineat, prætermittimus. Cæteris injuriis, quæ propositæ sunt à Catone, facilè, ut spero, resistemus. Amicum ex consularibus neminem tibi esse video, præter Hortensium, & Lucullum: cæteri sunt partim obscuriùs iniqui, partim non dissimulanter irati. Tu fac animo forti magnoque sis, speréſque fore ut fracto impetu [18] levissimi hominis tuam pristinam dignitatem & gloriam consequare.

18. *Levissimi*] Ideo dixit epist. 2. lib. 1. ad fratrem: *Cato adolescens, nullius consilii.* Et Fenestella: *Cato adolescens, turbulentus, & audax.* Manut.

M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.

6 QUÆ gerantur, accipies ex Pollione: qui omnibus negotiis non interfuit solùm, sed præfuit. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maximè scilicet consolatur spes, quòd valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas & consiliis tuorum amicorum, & ipsa die, quæ debilitat cogitationes & inimicorum, & proditorum. Facilè secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis. Nam etsi minore in re violatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit: tamen est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, [1] si ea non timuerim, quæ ne tu quidem unquam timenda duxisti. Sed præsta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Illustrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum injuria. A me omnia summa in te studia, officiaque expecta. Non fallam opinionem tuam. Vale.

M. T.

Arg. Et à temporis medela, & à suo exemplo solatur Lentulum in tardo speratæ rei progressu, & ad animi magnitudinem adhortatur. *Anno* U. C. 697.

1. *Si ea non timuerim*] Fore, ut nos victi perpetuò jaceremus. Corradus.

Digitized by Google

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D.

LEGI tuas literas, quibus ad me scribis, gratum tibi esse, 7
quòd crebrò certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te benevolentiam facilè perspicias: quorum alterum mihi, ut te plurimùm diligam, facere necesse est, si volo is esse, quem tu me esse voluisti: alterum facio libenter, ut, quoniam intervallo locorum & temporum disjuncti sumus, per literas tecum quàm sæpissimè colloquar. Quod si rariùs fiet, quàm tu expectabis, id erit causæ, quòd non ejus generis meæ literæ sunt, ut eas audeam temerè committere. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus rectè dem, non prætermittam. Quod scire vis, qua quisque in te fide sit & voluntate, difficile dictu est de singulis. Unum illud audeo, quod antea tibi sæpe significavi, nunc quoque, re perspectâ & cognitâ, scribere: vehementer quosdam homines, & eos maximè, qui te & maximè debuerunt, & plurimùm juvare potuerunt, invidisse dignitati tuæ: simillimámque in re dissimili tui temporis nunc, & nostri quondam fuisse rationem: ut, quos tu reipublicæ causâ læseras, palàm te oppugnarent; quorum auctoritatem, dignitatem, voluntatémque defenderas, non tam memores essent virtutis tuæ, quàm laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te anteà, cognovi Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum, [1] ex magistratibus autem L. Racilium & fide, & animo in te singulari. Nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuæ, propter magnitudinem beneficii tui, fortasse

ARG. Varia hæc responsoria epistola habet. Post moratum exordium agit de amicorum fide: de Alexandrina causa: de suis consiliis: de constantia tenenda: de reip. statu: de Tulliæ nuptiis: de Lentuli filio. *Anno* U. C. 698.

1. *Ex magistratibus L. Racilium*] Loquitur de magistratibus anni superioris: dixit enim, *Quo quidem tempore*: & infra, *Temporibus illis*, id est, Marcellino & Philippo consulibus. Racilius autem eodem anno, quo Lupus, tribunus plebis fuit, ut constat ex epistola prima lib. 2. ad Q. Fratrem. Lupum verò tribunum plebis fuisse, Marcellino & Philippo consulibus, planè cognoscitur ex epist. 1. & 2. Non potest igitur hoc anno Racilius tribunatum plebis gerere: cùm epistola scripta sit Pompeio & Crasso II. coss. post decretum Cæsari stipendium, & auctum legatorum numerum: quæ facta esse Pompeii & Crassi secundo consulatu, Appianus & Dio docent. MANUT.

taſſe pleriſque [2] officii majorem auctoritatem habere videatur, quàm ſententiæ. Præterea quidem de conſularibus nemini poſſum aut ſtudii erga te, aut officii, aut amici animi eſſe teſtis. Etenim Pompeium, qui mecum ſæpiſſimè, non ſolùm à me provocatus, ſed etiam ſua ſponte de te communicare ſolet, ſcis temporibus illis [3] non ſæpe in ſenatu fuiſſe. Cui quidem literæ tuæ, quas proximè miſeras, quod facilè intellexerim, perjucundæ fuerunt. Mihi quidem humanitas tua, vel ſumma potiùs ſapientia, non jucunda ſolùm, ſed etiam admirabilis viſa eſt. Virum enim excellentem, & tibi tua præſtanti in eum [4] liberalitate devinctum, nonnihil ſuſpicantem, propter aliquorum [5] opinionem ſuæ cupiditatis, te ab ſe abalienatum, illâ epiſtolâ retinuiſti. Qui mihi cùm ſemper tuæ laudi favere viſus eſt, etiam ipſo [6] ſuſpicioſiſſimo tempore Caniniano: tum verò, lectis tuis literis, perſpectus eſt à me toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & commodis cogitare. Quare ea quæ ſcribam ſic habeto, me, cum illo re ſæpe communicata, de illius ad te ſententia atque auctoritate ſcribere: Quoniam ſenatus-conſultum nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi [7] adempta ſit: eaque, quæ de ea ſcripta eſt, auctoritas, cui ſcis [8] interceſſum eſſe, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quàm conſtantis ſenatus-conſultum eſſe videatur; te perſpicere poſſe, qui Ciliciam, Cyprumque teneas, quid efficere, & quid conſequi poſſis: &, ſi res facultatem habitura videatur, ut Alexandriam, atque Ægyptum tenere poſſis, eſſe & tuæ, & noſtri imperii dignitatis, Ptole-

2. *Officii*] Favere me tibi, fortaſſe homines arbitrantur, non quòd ita ſentiam, ſed quòd beneficio tuo vinctus, ingratus eſſe non poſſim. Man.

3. *Non ſæpe in ſenatu fuiſſe*] Poſtquam à C. Catone accuſatus fuerat, & à Clodio conviciis agitatus. Vide ſup. ep. 5. Cellar.

4. *Liberalitate*] Liberalis in Pompeium Lentulus fuerat, cùm de frumentaria curatione ad eum deferenda & egerat conſul, & obtinuerat. Epiſtolâ primâ Cicero dixit. *Quòd eum ornaſti.* Manutius.

5. *Opinionem ſuæ cupiditatis*] Ortam ex eo, quòd ejus familiares omnes de re Alexandrina ei mandanda vehementer contenderant. epiſt. 1. & 2. Idem.

6. *Suſpicioſiſſimo*] Quo ſuſpicio maxima fuit, Caninium tribunum plebis, inductum à Pompeio, rogationem ferre voluiſſe, ut Ptolemæus ab eo, cum duobus tantùm lictoribus, reduceretur. Idem.

7. *Adempta ſit*] Quæ tibi data eſt eo S. C. quod, te conſule referente, factum eſt. Id.

8. *Interceſſum*] A tribunis plebis, ex quo fieri non potuit S. C. ſed remanſit ſenatûs auctoritas. Idem.

9. *Redeat in regnum*] Non à te reducatur, ne contra ſenatûs voluntatem committas; ſed, Alexandriâ prius à te pace, præſidiiſque firmatâ, ipſe redeat. Idem.

Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco rege collocato, te cum classe, atque exercitu proficisci Alexandriam: ut, cùm eam pace præsidiisque firmaris, Ptolemæus [9] redeat in regnum: ita fore ut per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit: & sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllæ placere dixerunt. Sed hæc sententia sic & illi, & nobis probabatur, ut ex eventu homines de tuo consilio existimaturos videremus: [10] si cecidisset ut volumus, & optamus, omnes te sapienter, & fortiter: sin aliquid [11] esset offensum, eosdem illos & cupidè & temerè fecisse dicturos. Quare quid assequi possis, non tam facile est nobis, quàm tibi, cujus propè in conspectu Ægyptus est, judicare. Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri; non esse cunctandum: si dubium; non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore ut absens à multis; cùm redieris, ab omnibus collaudere. Offensionem esse periculosam propter interpositam auctoritatem, religionémque video. Sed ego te ut ad certam laudem adhortor, sic à dimicatione deterreo, redeóque ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui judicium non tam ex consilio tuo, quàm ex eventu homines esse facturos. Quòd si hæc ratio rei gerendæ [12] periculosa tibi esse videbitur, placebat illud, ut, si rex amicis tuis, qui per provinciam imperii tui pecunias ei credidissent, [13] fidem suam præstitisset; & auxiliis eum tuis, & copiis [14] adjuvares. Eam esse naturam, & [15] rationem provinciæ tuæ, ut illius reditum vel adjuvando confirmares, vel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid

---

10. *Si cecidisset ut volumus*] Infrà idem aliis verbis: *Si rem istam ex sententia gesseris.* Translatum videtur à talis, modò ut volumus, modò contrà quàm volumus cadentibus. IDEM.

11. *Esset offensum*] Si difficultatem res habuisset, & Alexandrinis regem recusantibus, ventum esset ad arma. IDEM.

12. *Periculosa tibi videbitur*] Visa est. Non enim consilium illud Ciceronis, & Pompeii secutus est Lentulus. IDEM.

13. *Fidem suam præstitisset*] Non opinor hoc dici: pecuniam persolvisset: non enim solvendo rex erat, priùs quàm in regnum reduceretur: sed cavisset de fide sua: effecisset aliquo modo, ut ejus fides in dubium illis venire non posset. Epist. 9. *Ut fidem fratris mei præstarem.* Epist. 11. l. 5. *Quamcunque ei fidem dederis, præstabo.* De Divin. lib. 2. *Spectare vetat fortunam virtus, dum præstetur fides.* IDEM.

14. *Adjuvares*] Non, ut ipse cum classe, atque exercitu Alexandriam proficiscaris, ut eam pace, præsidiisque firmes: quæ ratio rei gerendæ periculosa videri potest: sed ut ipsum Ptolemæum, in regnum redeuntem, auxiliis tuis, & copiis adjuves. IDEM.

15. *Rationem*] Alii, *regionem.*

Digitized by Google

quid causa, quid tempus ferat, tu facillimè optiméque perspicies: quid nobis placuisset, ex me potissimùm putavi te scire oportere.

Quod mihi [16] de nostro statu, de Milonis familiaritate, de levitate, & imbecillitate Clodii gratularis, minimè miramur, te tuis, ut egregium artificem, præclaris operis lætari: [17] quanquam est incredibilis hominum perversitas (graviori enim verbo uti non libet) qui nos, quos favendo in communi causa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt: quorum malevolentissimis obtrectationibus nos scito de vetere illa nostra diuturnáque sententia propè jam esse depulsos, non nos quidem ut nostræ dignitatis simus obliti, sed ut habeamus rationem aliquando etiam salutis. Poterat utrumque præclarè, si esset fides, si gravitas in hominibus [18] consularibus: sed tanta est in plerisque levitas, ut eos non tam constantia in republica nostra delectet, quàm splendor offendat. Quod eò libentiùs ad te scribo, quòd tu non solùm temporibus iis, quæ per te sum adeptus, sed etiam olim nascenti propè nostræ laudi, dignitati, virtutique [19] præfuisti: simúlque quòd video, non ut antehac putabam, novitati esse invisum meæ: in te enim homine omnium nobilissimo similia invidorum vitia perspexi, quem tamen illi esse in principibus facilè sunt passi, evolare altiùs certè noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam: multum enim interest, [20] utrùm laus imminuatur, an salus deseratur. Me meæ tamen ne nimis pœniteret,

---

16. *De nostro statu*] Quòd pristinâ fruar & dignitate, & gratiâ. MANUT.

17. *Quanquam*] Excusatio, quòd se in tuenda republica ad Pompeii maximè voluntatem conformet, temporibus admonitus, & quorundam invidiâ, qui tamen eum in reditu juverant, compulsus. Erant enim factiones in repub. duæ: in una Cæsar, Pompeius, Crassus, de sua potentia laborantes; à quibus dissentire, periculosum Cicero videbat: in altera optimates; qui licet de rep. optimè sentirent, Ciceroni tamen, novo homini tantam gloriam, ac dignitatem adepto, invidebant, atque etiam obtrectabant. Quos in ep. 9. significat his verbis: *Certorum hominum sermones referebantur ad me: qui, cùm illa sentirent in rep. quæ ego agebam, sempérque sensissent; me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsarémque mihi inimicissimum futurum gaudere se aiebant.* Notat autem maximè Bibulum, Catonem, Domitium Ahenobarbum, Marcellinum, Cæsari Pompeióque infensos. IDEM.

18. *Consularibus*] Quos sæpe carpit lib. 4. epist. ad Att. IDEM.

19. *Præfuisti*] Alii, *favisti.* Victorius, quia neutrum extat in mss. neutrum agnoscit, locúmque ut mutilum notavit.

20. *Utrùm laus imminuatur*] Tantùm enim de tua dignitate agitur, mea verò salus afflicta est. Ep. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit.* MANUT.

Digitized by Google

ret, tuâ virtute perfectum est. Curasti enim, ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quàm demptum de fortuna videretur. Te verò moneo cùm beneficiis tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam à pueritia inflammatus fuisti, omni curâ atque industriâ consequare: magnitudinémque animi tui, quam ego semper sum admiratus, sempérque amavi, ne unquam inflectas cujusquam injuriâ. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio [21] liberalitatis, magna memoria consulatûs tui. Hæc profectò vides quanto expressiora, quantóque illustriora futura sint, cùm aliquantum ex provincia, atque [22] ex imperio, laudis accesserit. Quanquam te ita gerere volo, quæ per exercitum, atque imperium gerenda sunt, ut hæc multo antè meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, sentiásque id, quod quia semper sperasti, non dubito quin adeptus intelligas, te facillimè posse obtinere summum, atque altissimum gradum civitatis. Quæ quidem mea cohortatio ne tibi inanis, aut sine causa suscepta videatur, illa me ratio movit, ut te ex nostris eventis communibus admonendum putarem, ut considerares in omni reliqua vita quibus crederes, quos caveres.

[23] Quod scribis te velle scire, qui sit reipublicæ status: summa dissensio est, sed contentio dispar. Nam [24] qui plus opibus, armis, potentiâ valent, profecisse tantùm mihi videntur [25] stultitiâ, & [26] inconstantiâ adversariorum, ut etiam auctoritate jam plus valerent. Itaque perpaucis adversantibus, omnia, quæ ne

21. *Liberalitatis*] Quòd officia libenter in omnes conferas: ut suprà: *Tua præstanti in eum liberalitate tibi devinctum.* Vel ad ædilitatem respexit, in qua Lentulus summam liberalitatem ostenderat: quam Cicero effert laudibus libro 1. Off. MAN.

22. *Ex imperio*] Hoc addit, quia multis imperium, quod vel augendæ, vel tuendæ reip. causâ dabatur, & ipsis, & reip. dedecori, damnóque fuit. IDEM.

23. *Quod scribis*] Hîc ellipsis est. Integrum foret: ut respondeam ad id, *quod scribis.* Nihil frequentius Ciceroni, inquit Jac. Perizonius in Sanctii Minerv. IV. 5. quàm progredi respondendo per voculam *Quod* ad alteram partem epistolæ illius, cui respondet. OLIVETUS.

24. *Qui plus opibus, armis, potentiâ valent*] Cæsar, qui Galliam cum exercitu administrabat; Pompeius, & Crassus, cum Cæsare sentientes, qui consulatum gerebant. MANUTIUS.

25. *Stultitiâ*] Stulti enim, qui à senatu & ordinem equestrem, & Pompeium abalienaverint. Epist. 8. IDEM.

26. *Inconstantiâ*] Quòd in gratiam redierint cum P. Clodio, quem oderant anteà. Ex quo dum Clodium ad suas partes adjungunt propter Cæsarem, Ciceronem à publica causa propter Clodium removerunt. ID.

Digitized by Google

per populum quidem ſine ſeditione ſe aſſequi poſſe arbitrabantur, per ſenatum conſecuti ſunt. Nam & [27] ſtipendium Cæſari decretum eſt, & [28] decem legati: & ne [29] lege Sempronia ſuccederetur, facilè perfectum eſt. Quod ad te breviùs ſcribo, quia me ſtatus hic reipublicæ non delectat: ſcribo tamen, ut te admoneam, quod ipſe literis omnibus à pueritia deditus, experiendo tamen magis, quàm diſcendo cognovi; tu rebus tuis integris diſcas, neque ſalutis noſtræ rationem habendam nobis eſſe ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute. Quod mihi [30] de filia & de Craſſipede gratularis, agnoſco humanitatem tuam: ſperóque & opto nobis hanc conjunctionem voluptati fore. Lentulum noſtrum, eximia ſpe ſummæ virtutis adoleſcentem, cùm cæteris artibus, quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui fac erudias: nulla enim erit hac præſtantior diſciplina: quem nos, & quia tuus, & quia te dignus eſt filius, & quia nos diligit, ſempérque dilexit, in primis amamus, carúmque habemus.

27. *Stipendium*] Et ſtipendium, & legatorum numerum, & ſupplicationes ſenatus decernebat ſine populi ſuffragio. Man.

28. *Decem legati*] Quorum operâ in bello uteretur, quíque ſingulis legionibus, ſinguli præeſſent. Vide Or. de Prov. Conſ.

29. *Lege Sempronia*] C. Gracchus, Tiberii frater, in ea lege, quam de provinciis tulit, tria comprehendit, unum, ut ſenatus conſulares provincias decerneret, id eſt eas, in quas conſules, magiſtratu functi, ſorte proficiſcerentur; alterum, ut quotannis; tertium, ut, cùm decerneretur, intercedere nemini liceret. Idem.

30. *De filia, & de Craſſipede*] Cui Tulliam poſt reditum ab exilio pridie nonas Aprilis deſpondit, mortuo jam, ut in Quæſtura oſtendimus, C. Piſone. Corradus.

M. T. C. P. Lentulo Procos. S. D.

8 DE omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompeius ſuſceperit, optimè ex M. Plætorio cognoſces: qui non ſolùm interfuit his rebus, ſed etiam præfuit: neque ullum officium erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit. Ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces: quæ quales ſint, non facile

Arg. De ſtatu rerum publico conqueritur: Lentulum ſolatur ſpe exigua cauſæ regiæ, aut propemodum extinctæ: certiorem ſpem ſupplicationum facit, ut dolorem Lentuli leniat. *Anno* U. C. 698.

Digitized by Google

facile est scribere. Sunt quidem certè in [1] amicorum nostrorum potestate, atque ita ut nullam mutationem unquam hac hominum ætate habitura res esse videatur. Ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi præcepisti, & ut me [2] pietas utilitásque cogit, me [3] ad ejus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adjungendum [4] putasti. Sed te non præterit, quàm sit difficile, sensum in republica præsertim rectum & confirmatum deponere. Veruntamen ipse me conformo ad ejus voluntatem, à quo [5] honestè dissentire non possum: neque id facio, ut forsitan quibusdam videor, simulatione. Tantum enim animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me valet, ut quæ illi utilia sunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia jam & recta & vera videantur. Neque (ut ego arbitror) errarent, ne adversarii quidem ejus, si cùm pares esse non possent, pugnare desisterent. Me quidem etiam illa res consolatur, quòd ego is sum, cui vel maximè concedant omnes, ut vel ea defendam, quæ Pompeius velit, vel taceam, vel etiam, id quod mihi maximè lubet, ad nostra me studia referam literarum: quod profectò faciam, si mihi per ejusdem amicitiam licebit. Quæ enim proposita fuerant nobis, cùm & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in republica capessenda; ea sublata tota: sed nec mihi magis, quàm omnibus. Nam aut assentiendum est nulla cum gravitate [6] paucis, aut frustrà dissentiendum. Hæc ego ad te ob eam causam maximè scribo, ut jam de tua quoque ratione meditere. Commutata tota ratio est senatûs, judiciorum, rei totius publicæ. Otium nobis exoptandum est: quod ii, qui potiuntur rerum, præstaturi videntur, si quidam homines patientiùs eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam

1. *Amicorum*] Pompeii & Cæsaris: addo etiam Crassum; cum quo, rogatus à Pompeio, & Cæsare, à Publio præterea, ipsius Crassi filio, redierat in gratiam. Epist. sequenti, & epist. 8. lib. 5. & apud Plutarchum in Crasso. MANUTIUS.

2. *Pietas, utilitásque*] *Pietas*, erga optimè de me meritum: *utilitas*, cùm habendam mihi rationem aliquando etiam salutis intelligam. IDEM.

3. *Ad ejus rationes*] Ad ea, quæ illi utilia sunt, quæque ille vult. Pompeium significari, satis constat. IDEM.

4. *Putasti*] Cùm de me ageres. IDEM.

5. *Honestè dissentire non possum*] Cùm is auctor fuerit salutis meæ. IDEM.

6. *Paucis*] Si pauci, quo modo ab iis frustrà dissentitur? quia pauci quidem principes, Cæsar, Pompeius, Crassus; sed factio eorum maxima. IDEM.

Digitized by Google

lam conſularem fortis & conſtantis ſenatoris nihil eſt quòd cogitemus: amiſſa eſt [7] culpâ eorum, qui à ſenatu & ordinem conjunctiſſimum, & [8] hominem clariſſimum abalienarunt. Sed ut ad ea, quæ conjunctiora rebus tuis ſunt, revertar; Pompeium tibi valde amicum eſſe cognovi: eo tu conſule, quantum ego perſpicio, omnia quæ voles obtinebis: quibus in rebus me ſibi ille [9] affixum habebit: neque à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. Neque enim verebor ne ſim ei moleſtus: cui jucundum erit etiam propter idpſum, quòd me eſſe gratum videbit. Tu velim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior ſit, quàm meæ res omnes. Idque cùm ſentiam, ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum: re quidem ipſâ ideo mihi non ſatisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modò referendâ, ſed ne cogitandâ quidem gratiâ conſequi poſſum. Rem te valde bene geſſiſſe rumor erat. Expectabantur literæ tuæ: de quibus eramus jam cum Pompeio locuti: quæ ſi erunt allatæ, noſtrum ſtudium extabit in conveniendis magiſtratibus, & ſenatoribus. Cætera, quæ ad te pertinebunt, cùm etiam plus contenderimus, quàm poſſumus, minùs tamen faciemus, quàm debemus.

7. *Culpâ eorum*] Catonem ſignificat: qui publicanis, queſtis in ſenatu, ſe cupiditate prolapſos, nimis magno publica conduxiſſe, ut locatio induceretur, poſtularant, adverſatus eſt, & ita equites à ſenatu alienavit, & concordiam ordinum à Cicerone in conſulatu conſtitutam, opinione falſus, diſſolvit. Qua de re plura epiſtolarum ad Attic. libro I. LAMBINUS.

8. *Hominem Clariſſimum*] Pompeium, quem abalienaverant à ſenatu, qui ea, quæ ille, devicto Mithridate, regibus, dynaſtis, & civitatibus in Aſia conceſſerat, confirmari à ſenatu non permiſerant: quorum princeps fuit L. Lucullus, qui ſororem M. Catonis Serviliam in matrimonio habebat, adjuvantibus Catone, & Metello Celere conſule: ex quo Pompeius, uxore ducta Cæſaris filia, facilè impetravit, ut is conſul acta ſua confirmaret. Appianus lib. 2. bell. civ. Dio lib. 37. Suetonius. MAN.

9. *Affixum*] Ab eo non diſcedam.

M. T. C. P. [1] LENTULO IMPERATORI S. D.

9 PERJUCUNDÆ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam benevolen-

ARG. Excuſabundus reſpondet Lentulo, qui quæſierat, cur in gratiam cum Cæſare, Vatinio, & Craſſo rediiſſet. Rationes conſilii ſui multis verbis exponit, & de Cæſare qui-

Digitized by Google

volentiam, cùm illud ipsum gravissimum & sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur? Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantiâ quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt. Tibi autem multo notior, atque illustrior meus in te animus esset, si [2] si hoc tempore omni, quo dijuncti fuimus, & unà, & Romæ fuissemus. Nam in eo ipso, quod te [3] ostendis esse facturum, quódque & in primis potes, & ego à te vehementer expecto, in sententiis senatoriis, & in omni actione, atque administratione reipublicæ floruissemus. De qua ostendam equidem paulo pòst, qui sit meus sensus, & status: & rescribam tibi ad ea, quæ quæris. Sed certè & ego te auctore, amicissimo ac sapientissimo, & tu me consiliario, fortasse non imperitissimo, fideli quidem & benevolo certè, usus esses: quanquam tuâ quidem causâ te esse imperatorem, provinciámque bene gestis rebus cum exercitu victore obtinere, ut debeo, lætor: sed certè qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores, & [4] præsentiores præsens capere potuisses. In eis verò ulciscendis, quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationem salutis meæ, partim invidere propter illius actionis amplitudinem & gloriam, mirificum me tibi comitem præbuissem: quanquam ille perennis [5] inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus, in te potissimum fractam illam, & debilitatam vim suam contulit, [6] nostram vicem [7] ultus est ipse sese. Est enim ea conatus,

 quibus

quidem, de Vatinio, de Crasso denique. Tandem de scriptis suis respondet, & de Q. Fratris negotio; quibus addit de Appii spe succedendi, & de publicanis non offendendis. *Anno* U. C. *699*.

1. *Lentulo imp.*] Re bene gesta, qui ab exercitu imperator erat appellatus, literas suas imperatoris nomine inscribebat: quod Cicero fecit epist. 10. libro secundo. Similiter, qui ad eum scribebant, imperatorem appellabant: propterea superiores literæ inscribuntur, *Lentulo proconsuli*, victoriâ nondum certâ; hæ verò, *imperatori*, cùm planè cognita res esset. MANUTIUS.

2. *Hoc tempore omni*] Triennium. Nam ante biennium Lentulus, consulatu functus, iverat in Ciliciam, mansitque ad Calvinum, & Messalam consulem: quo anno successit ei App. Clodius. IDEM.

3. *Ostendis*] Verbis significas. Sic ep. 2. *Cæteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.* IDEM.

4. *Præsentiores*] Alii, *præstantiores*.

5. *Inimicus*] C. Cato, qui vim suam in Lentulum potissimum contulit, cùm de abrogando illi imperio legem promulgavit. CORRADUS.

6. *Nostram vicem*] Quod ad nos pertinuit, quod ipsi facere debuimus. Sic *Dolco tuam vicem*, veteres dicebant, pro, quod ad te perti-

Digitized by Google

quibus patefactis, nullam sibi in posterum, non modò dignitatis, sed [8] ne libertatis quidem partem reliquit. Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quàm etiam in tuis, tamen [9] in molestia gaudeo, eam fidem cognosse hominum, non ita [10] magna mercede, quàm ego [11] maximo dolore cognoram. De qua ratione tota jam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea, quæ quæris. Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Cæsare, & cum Appio esse in gratia: téque id non reprehendere adscribis. Vatinium autem scire te velle ostendis, quibus rebus adductus defenderim & laudarim. Quod tibi ut planiùs exponam, altiùs paulo rationem consiliorum meorum repetam necesse est. Ego me, Lentule, [12] initio rerum, atque actionum tuarum, non solùm meis, sed etiam reipublicæ restitutum putabam: &, quoniam tibi incredibilem [13] quendam amorem, & omnia in te ipsum summa, ac singularia studia deberem; reipublicæ, quæ te in me restituendo multùm adjuvisset, eum certè me animum merito ipsius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio civium, non aliquo erga me singulari beneficio debitum præstitissem. Hac

pertinet: & Plautus in Captiv. *Neque ullum pol de hac re negotium est, Quin malè occidam, oppetámque pestem, heri vicem mei.* Manutius.

7. *Ultus est ipse sese*] Se ipse punivit, pœnas ipse sibi eas intulit, quas inferre nos debuimus. Idem.

8. *Ne libertatis quidem*] Ut ei ne liberum quidem sit in publico versari; vel quòd scelus aliquod insigne committere voluerit, vel quòd revocatus in judicium sit; cùm defendente Scauro, hoc ipso anno, ut Pedianus docet, Quintili mense absolutus esset. Certè cùm propter alia flagitia, tum eo nomine invisum esse optimatibus oportuit, quòd tribunus pleb. intercesserat, ne Consules Marcellinus, & Philippus comitia consularia habere possent. Ex quo senatus, ad mœrorem indicandum, vestem mutavit. Epitome Liviana libro 105. Idem.

9. *In molestia gaudeo*] Figura quædam ex mistione contrariorum orationi venustatem concilians: quæ nisi pluribus ostendatur exemplis, fortasse non facilè dabitur imitandi facultas. Nobis autem, hunc interpretandi laborem suscipientibus, id maximè propositum fuit, ut adolescentes, pro viribus ingenii nostri, commodiore quâdam quasi viâ ad aliquam eloquentiæ laudem perduceremus. Duplex igitur hæc figura est. Aut enim cum significatione doloris, & molestiæ, conjungitur gaudium, & consolatio: aut contrà, gaudii consolationísque significationem dolor, & molestia sequitur. Primum genus hoc exemplo declaratur, *in molestia gaudeo.* Et epist. 14. libro secundo ad Q. Fr. *Se effecturum, ut ego in medio dolore, ac desiderio tui; te, cùm à me abesses, potissimùm secum esse lætarer.* Nec dissimile illud epist. 6. *Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maximè scilicet consolatur spes, quòd valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas.* Aut illud epist. 15. libro primo ad Atticum: *In ista incommoditate alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi.* Aut epist. 26. lib. 11. *In maximo meo dolore, hoc solatio utor.* Alterum genus agnoscitur epist. 21. lib. 15. *Sed tamen in ea voluptate, hunc*

Digitized by Google

Hac me mente fuiſſe, & ſenatus ex me, te conſule, [14] audivit, & tu in noſtris ſermonibus, collocutionibusque ipſe vidiſti. Etſi jam primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus: cùm, te agente [15] de reliqua noſtra dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam. Nam neque [16] de monumentis meis ab iis adjutus es, à quibus debuiſti: neque de vi nefaria, quâ cum fratre eram domo expulſus, neque hercule in iis ipſis rebus, quæ, quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia neceſſariæ, tamen à me minimi putabantur in meis damnis, ex auctoritate ſenatus [17] reſarciendis, eam voluntatem, quam expectaram, præſtiterunt. Quæ cùm viderem, (neque enim erant obſcura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quàm erant illa grata, [18] quæ fecerant. Itaque quanquam & Pompeio plurimùm, te quidem ipſo prædicatore, ac teſte, debebam, & eum non ſolùm beneficio, ſed amore etiam, & perpetuo quodam judicio meo diligebam: tamen non reputans quid ille vellet, in omnibus meis ſententiis de republica priſtinis permanebam. Ego [19] ſedente Cn. Pompeio, cùm,

---

hunc accepi dolorem. Epiſt. 8. lib. 16. *In magna conſolatione, ingens ineſt ſollicitudo.* Epiſt. 9. lib. 1. ad Q. Fr. *Nunc mihi jucunditatis plena epiſtola hoc aſperſit moleſtiæ.* Pertinere videtur ad hoc genus & illud epiſt. 16. lib. 2. *Hæc aſperſi, ut ſcires, me tamen in ſtomacho ſolere ridere.* MANUT.

10. *Non ita magna mercede*] Quod explanavit epiſt. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quàm mea ſalus afflicta ſit.* Et epiſt. 7. *Multum intereſt, utrùm laus imminuatur, an ſalus deſeratur.* IDEM.

11. *Maximo dolore*] Afflicta ſalute, cùm ejectus patriâ ſum. IDEM.

12. *Initio actionum tuarum*] Pro, initio reditûs mei; qui actio tua fuit. IDEM.

13. *Quendam*] Hoc verbo amoris magnitudo tanta declaratur, quantam verbis exprimere non licet. Sic enim loquimur, ubi conceptam animo ſententiam enunciare, atque oſtendere pro voluntate non poſſumus. Epiſtolâ primâ libro ſecundo: *Incredibilis quædam exſpectatio.* In hac, infrà: *Commemoranda quædam, & divina Cæſaris liberalitas.* IDEM.

14. *Audivit*] Cùm ſententiam dicerem: non enim reputans, quid Pompeius vellet, aut ſocer ejus Cæſar, in omnibus meis ſententiis de rep. priſtinis permanebam. IDEM.

15. *De reliqua noſtra dignitate*] Ut dejecto P. Clodii monimento in meis ædibus collocarer. CORRAD.

16. *De monumentis*] Domo, porticu Catuli, & fortè etiam monimento, de quo lib. 1. epiſt. ad Q. Fratrem mentionem facit. IDEM.

17. *Reſarciendis*] Quod enim Clodius everterat, id cùm ſenatus publico ſumptu ædificandum cenſuiſſet, æſtimarunt conſules de conſilii ſententia, quanti fuiſſet ædium ſuperficies: neque hoc ſolùm, ſed quanti etiam fuiſſent villæ, Tuſculana, & Formiana, everſæ ab eodem Clodio. Quam Cicero æſtimationem in domo non improbat, in villis accuſat epiſt. 2. lib. 4. ad Attic. MANUT.

18. *Quæ fecerant*] Pro ſalute mea. IDEM.

19. *Sedente Cn. Pompeio*] In judicio, cùm defenderet Sextium Cicero. IDEM.

cùm, ut [20] laudaret P. Sextium, [21] introiſſet in urbem, dixiſsétque teſtis Vatinius, me fortunâ & felicitate C. Cæſaris commotum illi amicum eſſe cœpiſſe, dixi me eam [22] Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, victoriiſque anteferre: dixique [23] eodem teſte, alio loco, [24] eoſdem eſſe, qui Bibulum exire domo prohibuiſſent, & qui me coegiſſent. Tota verò [25] interrogatio mea nihil habuit aliud, niſi reprehenſionem illius tribunatus: [26] in quo omnia dicta ſunt libertate, animóque maximo, [27] de vi, [28] de auſpiciis, [29] de donatione regnorum. Neque verò hac in cauſa modò, ſed conſtanter ſæpe in ſenatu. Quin etiam, Marcellino, & Philippo conſulibus, nonis Aprilis mihi eſt ſenatus aſſenſus, ut de agro Campano, frequenti ſenatu, [30] idibus Maii referretur. Num potui magis [31] in arcem illius cauſæ invadere, aut magis obliviſci [32] temporum meorum, meminiſſe actionum? Hac à me ſententiâ dictâ, magnus animorum factus eſt motus, cùm eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum nunquam putaram. Nam hoc ſenatus-conſulto in meam ſententiam facto, Pompeius, cùm mihi nihil oſtendiſſet ſe eſſe offenſum, [33] in Sardiniam, & in Africam profectus eſt, eóque itinere [34] Lucam ad Cæſarem venit. Ibi multa de mea ſententia queſtus eſt Cæſar, quippe qui etiam Ravennæ Craſſum antè vidiſſet, ab eóque in me eſſet incenſus.

20. *Laudaret*] Laudatione judiciali.

21. *Introiſſet*] Quod ut ei ſalvis legibus liceret, à ſenatu impetraverat. Alioqui, cùm eſſet cum imperio frumentariæ curationis cauſâ, urbem introire non poterat. MAN.

22. *Bibuli*] Quem Vatinius Tribunus pleb. & Cæſar Conſul exire domo prohibuerant, ne Cæſaris acta impediret. IDEM.

23. *Eodem teſte*] Pompeio. IDEM. Vel, cùm iterum alio in judicio teſtis Vatinius adversùs clientem meum eſſet. J. F. GRON.

24. *Eoſdem eſſe*] His verbis nec ipſi Pompeio pepercit. Is enim pro Cæſare conſule contra Bibulum, ejus collegam, omni non ſolùm ſtudio, ſed etiam contentione dimicavit. Plutarchus, & alii. MANUTIUS.

25. *Interrogatio*] Extat Tomo VI.

26. *In quo*] Ita Victorius, Grævius, Cellarius, & referunt ad Vatinii tribunatum. Alii verò *in qua*, & ad Ciceronis interrogationem referunt. OLIVETUS.

27. *De vi*] Qua Bibulum obnunciantem foro expulit, atque etiam in vincula ducere conatus eſt. MANUTIUS.

28. *De auſpiciis*] Quibus neglectis, leges pro Cæſare Vatinius tulit. IDEM.

29. *De donatione regnorum*] Vide interrogat. in Vatinium cap. 12.

30. *Idibus Maii*] Quo tamen die relatum non eſſe, ſcribit ipſe ad fratrem epiſt. 7. lib. 2. *Quod*, inquit, *idibus*, *&* *poſtridie fuerat dictum*, *de agro Campano actum iri; non eſt actum.* Ideò autem eo die, ut ſenatus decreverat, de agro Campano non eſt actum, quia ſententiam Cicero mutavit: quod indicant ea, quæ ſequuntur. MANUT.

31. *Magis in arcem*] Magis adverſari Cæſaris, ac Pompeii voluntati. Tranſlatione uſus

Digitized by Google

sus. Sanè molestè Pompeium id ferre constabat: quod ègo cùm audissem ex aliis, maximè ex meo fratre cognovi, quem [35] cùm in Sardinia Pompeius paucis pòst diebus, quàm Lucâ discesserat, convenisset: Te, inquit, ipsum cupio: nihil oportuniùs potuit accidere: nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti. Quid multa? questus est graviter: sua merita commemoravit: quid egisset sæpissime de actis Cæsaris cum ipso meo fratre, quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: séque, quæ de mea salute egisset, voluntate Cæsaris egisse, ipsum meum fratrem testatus est: cujus causam, dignitatémque mihi ut commendaret, rogavit, ut eam ne oppugnarem, si nollem, aut non possem tueri. Hæc cùm ad me frater pertulisset, & cùm antè tamen Pompeius ad me cum mandatis [36] Vibullium misisset, ut [37] integrum mihi de causa Campana ad suum reditum reservarem, collegi ipse me, & cum ipsa quasi republica collocutus sum: ut mihi tam multa pro se perpesso, atque perfuncto, concederet, ut officium meum, memorémque in benemeritos animum, fidémque fratris mei præstarem: eúmque, quem bonum civem semper habuisset, [38] bonum virum esse pateretur. In illis autem meis actionibus, sententiísque omnibus, quæ Pompeium videbantur offendere, [39] certorum hominum, quos jam debes suspi-

usus est, ad indicandam animi sui fortitudinem accommodatâ. Nemo enim, nisi fortis, & constans in arcem invadit. IDEM.

32. *Temporum*] Calamitatum, quas modò pertuli. *Actionum*, quas olim gessi.

33. *In Sardiniam*] Ut frumentum ad urbem convehendum curaret. MANUT.

34. *Lucam*] Extremum oppidum Galliæ Cisalpinæ, quæ Cæsaris imperio cum Transalpina, & Illyrico regebatur. IDEM.

35. *Cùm in Sardinia*] Ubi, nisi fallimur, Q. Cicero pro M. fratre erat Pompeii legatus. CORRADUS.

36. *Vibullium*] Q. Vibullium, præfectum fabrûm Pompeii civili bello, ejusdémque copiarum ductorem. Epist. 2. libro octavo ad Att. & epist. Pompeii ad Ciceronem eodem libro, & epist. Cæsaris lib. 9. ad Att. idémque lib. 1. Bell civ. MANUT.

37. *Integrum*] Sunt qui Scripturam sollicitem, malíntque *integram rem servarem.* Sed ita etiam scripsit Cælius epist. 6. lib. 8. *De Dolabella integrum tibi reserves, suadeo.* CELLARIUS.

38. *Bonum virum*] Bonum civem à bono viro distinguit, quia patriæ simul & amicitiæ satisfacere non possit. Verùm, duobus propositis honestis, minori majus præferendum esse quis dubitet? Major igitur patriæ, quàm amicitiæ, habenda ratio est, quod ipse lib. 3. Off. declarat. Quanquam, cùm dicat, *Bonum virum esse pateretur*, quasi gratiæ loco postulat ab ipsa rep. quod ab ejus rationibus alienum esse, id est, quod officio boni civis adversari, non ignorat. Eandem sententiam in oratione pro Plancio posuit cap. 38. *Res verò ipsa publica si loqui posset* &c. MANUT.

39. *Certorum hominum*] Catonis in primis, Bibuli, L. Domitii. IDEM.

Digitized by Google

ſuſpicari, ſermones referebantur ad me: qui cùm illa ſentirent in republica, quæ ego agebam, ſempérque ſenſiſſent, me tamen ſatisfacere Pompeio, Cæſarémque inimiciſſimum mihi futurum, gaudere ſe aiebant. Erat hoc mihi dolendum: ſed multo illud magis, quòd inimicum meum, (meum autem? immò verò legum, judiciorum, otii, patriæ, bonorum omnium) ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fovebant, ſic me præſente oſculabantur: non illi quidem, ut mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certè ut facere ſe arbitrarentur. Hìc ego, quantum humano conſilio efficere potui, circumſpectis rebus meis omnibus, rationibúſque ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium, quam tibi, ſi potero, breviter exponam. Ego, ſi ab improbis, & perditis civibus rempublicam teneri viderem, ſicut & meis temporibus ſcimus, & nonnullis aliis accidiſſe accepimus, non modò præmiis, quæ apud me minimùm valent, ſed ne periculis quidem compulſus ullis, quibus tamen moventur etiam fortiſſimi viri, ad eorum cauſam me adjungerem, ne ſi ſumma quidem eorum in me merita conſtarent. Cùm autem in republica Cn. Pompeius princeps eſſet, vir is, qui hanc potentiam, & gloriam maximis in rempublicam meritis, præſtantiſſimíſque rebus geſtis eſſet conſecutus, cujúſque ego dignitatis, ab adoleſcentia fautor, in prætura autem, & in conſulatu adjutor etiam extitiſſem: cúmque idem auctoritate, & ſententiâ per ſe, conſiliis, & ſtudiis, tecum me adjuviſſet: meúmque inimicum unum in civitate haberet inimicum: non putavi famam inconſtantiæ mihi pertimeſcendam, ſi quibuſdam in ſententiis paulùm me immutaſſem, meámque voluntatem ad ſummi viri, de méque optimè meriti dignitatem aggregaſſem. In hac ſententia complectendus erat mihi Cæſar, ut vides, in conjuncta & cauſa & dignitate. Hìc multùm valuit cùm vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Q. fratri cum Cæſare fuiſſe, tum humanitas ejus,

---

40. *Literis, & officiis*] Literis ad M. Ciceronem miſſis, officiis in Quintum collatis: qui tunc erat Cæſaris legatus in Gallia. Infrà, & ad Att. IV. 18. MANUT.

41. *In hac mente*] Hoc eſt, in hoc propoſito: cùm ita ſentirem. Atque hæc eſt Victoriana lectio, quam Camerarius ſic interpretatur. Man. & Lamb. *in hanc mentem*; non ita bene. OLIVETUS.

42. *Apud Platonem*] De Leg. IV.

ejus, ac liberalitas, brevi tempore & [40] literis, & officiis perspecta nobis, & cognita. Vehementer etiam res ipsa publica me movit, quæ mihi videbatur contentionem, præsertim maximis rebus à Cæsare gestis, cum illis viris nolle fieri: &, ne fieret, vehementer recusare. Gravissimè autem me [41] in hac mente impulit & Pompeii fides, quam de me Cæsari dederat: & fratris mei, quam Pompeio. Erant præterea hæc animadvertenda in civitate, quæ sunt [42] apud Platonem nostrum scripta divinitus: Quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse cives. Tenebam memoriâ, nobis consulibus, ea fundamenta jacta [43] ex kalendis Januariis confirmandi senatûs, ut neminem mirari oporteret, [44] nonis Decembris tantum vel animi fuisse in illo ordine, vel auctoritatis. Idémque memineram, nobis privatis usque ad Cæsarem, & Bibulum consules, cùm sententiæ nostræ magnum in senatu pondus haberent, unum ferè sensum fuisse bonorum omnium. Postea cùm tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque respublica consules haberet, sed mercatores provinciarum, & seditionum servos, ac ministros: jecit quidam casus caput meum, [45] quasi certaminis causâ, in mediam contentionem, dissensionémque civilem. Quo in discrimine cùm mirificus senatûs, incredibilis Italiæ totius, singularis omnium bonorum consensus in me tuendo extitisset: non dicam, quid acciderit; multorum est enim, & varia culpa: tantùm dicam brevi, non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo, ut jam sit in iis culpa, qui me [46] non defenderunt; non minor est in iis, qui [47] reliquerunt: &, si accusandi sunt, si qui pertimuerunt; magis etiam reprehendendi, si qui se timere simularunt. Illud quidem certè nostrum consilium jure laudandum est, qui meos cives & à me conservatos, & me servare cupientes, spoliatos ducibus, servis armatis objici noluerim: declararíque maluerim, quanta vis esse potuisset in consensu bonorum, si iis pro me stante pugnare licuisset, cùm afflictum excitare

43. *Ex Kal. Jan.*] Dicta in Senatu oratione contra Rullum. CORRADUS.

44. *Nonis Dec.*] Quo die Senatus sumendum de conjuratis supplicium censuit.

45. *Quasi certaminis causa*] Speravit Clodius, si Ciceronem vexaret, eam fore causam bonos cum improbis committendi. IDEM.

46. *Non defenderunt*] Hortensium & Catonem, videtur significare. CORRADUS.

47. *Reliquerunt*] Ut Pompeius. IDEM.

citare potuissent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solùm, cùm de me ageres, sed etiam confirmasti, atque tenuisti. Qua in causa, (non modò non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter) usus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quàm fuerant iidem in tenendo: qua in sententia si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recuperassent. Recreatis enim bonis viris consulatu tuo, & constantissimis, atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio præsertim ad causam adjuncto, cùm etiam Cæsar, rebus maximis gestis, singularibus ornatus & novis honoribus, ac judiciis senatûs, ad auctoritatem ejus ordinis adjungeretur: nulli improbo civi locus ad rempublicam violandam esse potuisset. Sed attende, quæso, quæ sint consecuta. Primùm illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam deam, quàm [48] tres sorores, [49] impunitatem est illorum sententiis assecutus, qui, (cùm tribunus plebis pœnas à seditioso cive per bonos viros judicio persequi vellet) exemplum præclarissimum in posterum vindicandæ seditionis de republica sustulerunt: iidémque postea non meum monumentum, (non enim illæ manubiæ meæ, sed operis locatio mea

48. *Tres sorores*] Clodiam, Terentiam, & alteram cognomine Quadrantem, quas Clodius frater constuprasse dicitur. Corr.

49. *Impunitatem*] Ne quis putet hoc dici, Clodium absolutum esse judicum sententiis, in eo judicio, quod de violatis Bonæ Deæ sacris factum est: quod ante Ciceronis exilium factum erat: sed quorundam optimatum, quorum hic Cicero inconstantiam, & perfidiam accusat, sententiis, in senatu dictis, factum esse, ut judicium illud, quod Milo tribunus pl. Clodio de vi accusato intendebat, omitteretur; ex quo non absolutus Clodius, (non enim *absolutus* dicitur, de quo latæ sententiæ non sunt) sed impunitatem consecutus, quia punitus non est, verè, ac propriè dicitur. Tota verò res ita se habet. Restituto Cicerone, cùm ejus domus ex S. C. reficeretur, expulsi à Clodio fabri de area sunt: disturbata porticus Catuli, quæ ipsa quoque ex S. C. reficiebatur, & ad tectum penè pervenerat: Q. Ciceronis domus primò fracta conjectu lapidum, deinde inflammata. Neque hac una vi contentus quievit Clodius, sed, sexto pòst die, cum lapidibus, fustibus, gladiis M. Ciceronem insecutus est: sequenti autem die Milonis domum expugnare, & incendere ita conatus est, ut palàm cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Propterea Milo tribunus pl. eum de vi accusavit. Sed judicium, operâ Clodii, ejúsque amicorum, usque eò perductum est, donec habitis ædilitiis comitiis, Clodius ædilis creatus in judicium vocari non potuit. Non enim vocare in judicium eos licuit, qui magistratum gerebant. Hoc igitur queritur Cicero, & jure queritur, quòd, cùm ageretur in senatu, utrùm ante comitia judicium fieret, quod Milo, Cicero, nec pauci præterea, bene de rep. sentientes, exoptabant, an quod Clodius, ejúsque factio postulabat, ut comitia ante judicium haberentur, quo posset, magistratum adeptus,

mea fuerat) monumentum verò senatûs, [50] hostili nomine, & cruentis inustum literis esse passi sunt. Qui me homines quòd salvum esse voluerunt, est mihi gratissimum: sed vellem non solùm salutis meæ, quemadmodum medici, sed ut aliptæ etiam virium, & coloris rationem habere voluissent. Nunc, ut Apelles [51] Veneris caput, & summa pectoris politissimâ arte perfecit, reliquam partem corporis, inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solùm elaborarunt: reliquum corpus, imperfectum, ac rude reliquerunt. In quo ego spem fefelli non modò invidorum, sed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, & fortissimo viro, meóque judicio, omnium magnitudine animi, & [52] constantiâ præstantissimo, Q. Metello Lucii filio, quondam falsam opinionem acceperunt, quem post reditum dictitant fracto animo, & demisso fuisse. [53] Est verò probandum, qui & summa voluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque sanè redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse: in quo cùm omnes homines, tum M. illum [54] Scaurum, singularem virum, constantiâ & gravitate superasset. Sed, quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur, de me idem cogitabant, abjectiore animo me futurum: cùm respublica majorem

adeptus, pœnam effugere; S. C. factum sit, ut post comitia judicium fieret: in quibus positam esse Clodii, nocentissimi hominis, salutem, licebat intelligere. Hac de re sic in oratione pro Sextio: *Volitat ædilis, accusat eum, qui aliqua ex parte ejus furorem exsultantem repressit: hic accusare eum moderatè, à quo ipse nefariè accusatur, per senatûs auctoritatem non est situs.* Non licuisse Miloni per senatûs auctoritatem Clodium accusare, demonstrat. In oratione autem de provinciis, *Qui meum*, inquit, *inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt.* Præterea epist. 3. lib. 4. ad Att. & lib. 2. ad Q. Fr. *Impunitatem igitur Clodius assecutus est, quia judicium fieri de eo, ædile creato, non licuit. Optimatum verò sententiis, quia comitia fieri ante judicium voluerunt.* Nec tamen omnes notat optimates, sed tantùm eos, qui judicium de Clodio à Milone accusato fieri noluerunt. Nam bonos aliquot in senatu pro Milone, id est pro rep. sensisse, satis ostendit iis verbis, quæ jam recitavimus ex oratione de provinciis. Cùm enim dixit: *Qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt*, optimatum duo genera significat, eos, qui Clodium texerunt, & eos, qui repugnarunt. CORR.

50. *Hostili nomine*] Clodii nomine. CORR.

51. *Veneris caput*] Apelles inchoavit & aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam suam priorem: invidit mors peracta parte, nec, qui succederet operi ad præscripta lineamenta, inventus est. *Plin.* XXXV. 10.

52. *Constantiâ*] Cùm in L. Saturnini legem de agro Gallico dividendo, per vim latam, jurare noluit, & in exilium abire, quàm de sua sententia decedere, maluit. Plutarchus in Mario. MANUTIUS.

53. *Est verò probandum*] Ironia: quæ negandi vim habet, cùm affirmare verba tamen ipsa videantur. Sic Virgilius lib. 4. Æneid. *Egregiam verò laudem*, &c. IDEM.

54. *Scaurum*] Patrem ejus, pro quo extat mutilata Ciceronis oratio. IDEM.

Digitized by Google

jorem etiam mihi animum, quàm unquam habuissem, daret: quæ declarasset, se non potuisse me uno cive carere: cúmque Metellum unius tribuni plebis rogatio, me universa respublica, duce senatu, comitante Italiâ, promulgantibus omnibus, referente consule, comitiis centuriatis, cunctis ordinibus, [55] hominibus incumbentibus, omnibus denique suis viribus recuperasset. Neque verò ego mihi postea quidquam assumpsi: neque hodie assumo, quod quemquam malevolentissimum jure possit offendere. Tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus, operâ, consilio, labore desim. Hic meæ vitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem & speciem hujus vitæ intuentur: [56] sollicitudinem autem & laborem perspicere non possunt. Illud verò non obscurè queruntur in meis sententiis, quibus ornem Cæsarem, quasi desciverim à pristina causa. Ego autem, cùm illa sequor, quæ paulo antè proposui, tum hoc non in postremis, de quo [57] cœperam exponere. Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est: nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus: idémque non solùm fronte atque vultu, quibus simulatio facillimè sustinetur, declarant ii, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur: sed etiam sensu sæpe jam [58] tabellâque docuerunt. Itaque tota jam sapientium civium, qualem me & esse & numerari volo, & sententia & voluntas mutata esse debet. Id enim jubet idem ille [59] Plato, quem ego vehementer auctorem sequor, *Tantum contendere in republica, quantum probare tuis civibus possis: Vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere.* Atque hanc quidem ille causam

---

55. *Hominibus*] Vocem hanc delendam esse, conjicit Grævius ex mss.

56. *Sollicitudinem, & laborem*] Quibus eum splendorem, eámque speciem tueor. GRÆV.

57. *Cœperam exponere*] Cùm enim sententiam Platonis posuisset de corruptis principum exemplo civibus, eam ut probaret, ita longè digressus est, inductâ commemoratione sui consulatûs, ut à proposito nonnihil aberrasse videatur. Itaque narrationem interruptam, ab alio tanquam orsus principio, retexit. MANUT.

58. *Tabella*] In judiciis: cùm absolverunt, quos damnari oportuit. Nec dubito, quin hîc Cicero Sex. Clodii, nocentissimi hominis, absolutionem significet, quem senatorum urna copiosè absolvit, ad quos dirigitur hæc tota narratio. Vide epist. 6. lib. II. ad Q. Fr. IDEM.

59. *Plato*] In Critone.

Digitized by Google

ſam ſibi ait non attingendæ reipublicæ fuiſſe: quòd cùm offendiſſet populum Athenienſem propè jam deſipientem ſenectute, cúmque eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet, cùm perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd neque deſipiente populo, [60] neque integra re mihi ad conſulendum, capeſſerémne rempublicam, implicatus tenebar. Sed lætatus tamen ſum, quòd mihi liceret in eadem cauſa & mihi utilia, & cuivis bono recta defendere. Huc acceſſit commemoranda quædam, & divina Cæſaris in me fratrémque meum liberalitas: qui mihi, quaſcunque res gereret, tuendus eſſet; nunc in tanta felicitate, tantísque victoriis, etiam ſi in nos non is eſſet qui eſt, tamen ornandus videretur. Sic enim te exiſtimare velim, cùm à vobis, meæ ſalutis auctoribus, [61] diſceſſerim; neminem eſſe, cujus officiis me tam eſſe devinctum non ſolùm confitear, ſed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi expoſui, facilia ſunt ea, quæ à me de Vatinio, & de Craſſo requiris. Nam de Appio quod ſcribis, ſicuti de Cæſare, te non reprehendere: gaudeo conſilium tibi probari meum. De Vatinio autem, primùm [62] reditus interceſſerat in gratiam per [63] Pompeium, ſtatim ut ille prætor eſt factus; cùm quidem ego ejus petitionem graviſſimis in ſenatu ſententiis oppugnaſſem, neque tam illius lædendi causâ, quàm defendendi, atque ornandi Catonis. Pòſt autem Cæſaris, ut illum [64] defenderem, mira contentio eſt conſecuta. Cur autem laudarim, peto à te, ut id à me néve in hoc reo, néve in aliis requiras; ne tibi ego idem reponam, cùm veneris: tametſi poſſum vel abſenti. Recordare enim, quibus laudationem ex ulti-

60. *Neque integra re*] Integra Platoni res fuit ad conſulendum; quia nunquam attigit rempubl. Quod mihi non contigit; qui cùm remp. antea tractaſſem, propterea implicatus tenebar. MANUTIUS.

61. *Diſceſſerim*] Vobis exceptis, nemo eſt, cui perinde ac Cæſari debeam. IDEM.

62. *Reditus interceſſerat in gratiam*] Reconciliatio intervenerat. CELL.

63. *Pompeium*] Quo conſule comitia habente, ſuperiore proximo anno prætor Vatinius creatus eſt, M. Catone rejecto: qui cùm ante Vatinium populi ſuffragiis prætor fieret, conſul Pompeius, auſpicia mentitus, comitia diſſolvit. Quod ei, augur cùm eſſet, jure ſacerdotii licebat. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. 39. MANUTIUS.

64. *Defenderem*] Accuſatus eſt Vatinius, ut ait Pedianus in commentarii procemio orationis pro Scauro, Appio & Domitio coſſ. id eſt, quo anno ſcripſit Cicero hanc epiſtolam: accuſatus autem à C. Licinio Calvo de ambitu, quia prætoria comitia corrupiſſet. IDEM.

Digitized by Google

[65] ultimis terris miſeris. Nec hoc pertimueris: nam à me ipſo laudantur, & laudabuntur iidem. Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille [66] ſtimulus, de quo in judicio, cùm illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in [67] Eunucho paraſitus ſuaderet militi:

Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuò. Si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comiſſatum: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit hæc
Illius formam: tu hujus contrà. Denique
Par pari referto, quod eam mordeat.

Sic petivi à judicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines & de me optimè meriti, nimis amarent inimicum meum: méque inſpectante ſæpe eum in ſenatu modo [68] ſeverè ſeducerent, modò familiariter atque hilarè amplexarentur: quoniámque illi haberent ſuum Publium: darent mihi ipſi alium Publium, in quo poſſem illorum animos, mediocriter laceſſitus, leviter repungere. Neque ſolùm dixi: ſed etiam ſæpe facio, diis hominibúſque approbantibus. Habes de Vatinio: cognoſce de Craſſo. Ego cùm mihi cum illo [69] magna jam gratia eſſet, quòd ejus omnes graviſſimas injurias, communis concordiæ causâ, voluntariâ quadam oblivione contriveram, repentinam ejus defenſionem Gabinii, quem proximis ſuperioribus diebus acerrimè oppugnaſſet, tamen ſi ſine ulla mea contumelia ſuſcepiſſet, tuliſſem: ſed cùm me [70] diſputantem, non laceſſentem læſiſſet, exarſi non ſolùm præſenti, credo, iracundiâ, (nam ea tam vehemens

65. *Ultimis terris*] Hiſpaniæ duæ fuerunt, citerior, & ulterior: hîc de citeriore accipiendum; cui præfuiſſe cum imperio Lentulum, ſuprà demonſtratum eſt iis verbis, *Cùm tu Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtineres*. Manut.

66. *Stimulus*] Quòd enim P. Clodium quidam optimates, Ciceronis inimicum, ipſo præſente amplexarentur, in manibus haberent, foverent, oſcularentur, ut ei ſtomachum facerent: propterea, ut eorum conſuetudinem imitaretur, & quaſi par pari referret, ipſe quoque, hominem optimatibus inviſum Vatinium defendit. Idem.

67. *Eunucho*] Actu III. ſcen. 1.

68. *Severè*] Quaſi de gravibus, ſeriiſque rebus cum eo deliberaturi. Manut.

69. *Magna jam gratia*] Vetus inter eos fuerat ſimultas, vel exorta Cicerone conſule, cùm Craſſus Catilinæ conſiliorum particeps eſſe putaretur, ut hiſtoriæ declarant; vel, ut ego arbitror, multo antè, cùm Cicero ab adoleſcentia ſua, ut in hac epiſtola jam dixit, Pompeii fautor extitiſſet, Craſſúmque ſæpe, ut epiſt. 12. lib. 1. ad Atticum ſcripſit, in Pompeiana laude perſtrinxiſſet: in ſuaſione quidem legis Maniliæ, laudem ſervilis belli, Craſſi virtute confecti,

Digitized by Google

hemens fortasse non fuisset) sed cùm inclusum illud odium multarum ejus in me injuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen insciente me fuisset, omne repentè apparuit. Quo quidem tempore ipso, quidam homines, & iidem illi quos sæpe nutu significationéque appello, cùm se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, méque tum denique sibi esse visum reipublicæ qualis fuissem, restitutum, cúmque ea contentio mihi magnum etiam [71] foris fructum tulisset: gaudere se dicebant, mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem causa essent, nunquam amicos futuros. Quorum iniqui sermones cùm ad me per homines honestissimos perferrentur: cúmque Pompeius ita contendisset ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam, Cæsárque per literas maximâ se molestiâ ex illa contentione affectum ostenderet: habui non [72] temporum solùm rationem meorum, sed etiam [73] naturæ: Crassúsque, ut quasi testata populo Romano esset nostra [74] gratia, penè à meis laribus in provinciam est profectus. Nam cùm mihi [75] condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Quamobrem ejus causam, quod te scribis audisse, magna illius commendatione susceptam [76] defendi in senatu, sicut mea fides postulabat. Accepisti quibus rebus adductus, quámque rem causámque defenderim: quíque meus in republica sit pro mea parte capessenda status. De quo sic velim statuas, me hæc eadem sensurum fuisse, si mihi integra omnia ac libera fuissent. Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas

ti, magna ex parte ad Pompeium transfert. Primus dies eos in gratiam reduxit, cùm Crassus in senatu, præsente Pompeio, à Mithridatico bello proximè reverso, de rebus à Cicerone consule in urbe gestis ornatissimè locutus est. Cujus orationis illustrem sententiam cùm Cicero ad Atticum scripsisset, subjunxit: *Hic dies me valde Crasso adjunxit.* Rursus odium inter eos emersit, quo anno lege Clodiâ Cicero pulsus est, Crasso Clodium adjuvante, ut in Plutarcho legimus. Iterum autem reconciliati, restituto in patriam Cicerone, intercedente Publio Crassi filio, Ciceronis amantissimo, ut idem Plutarchus. Tertiæ tum dissensionis, tum etiam reconciliationis causa hîc exponitur. MANUT.

70. *Disputantem*] In senatu. IDEM.

71. *Foris*] Vulgò, apud omnes homines: *fructum tulisset*, bonam de me hominum opinionem auxisset. IDEM.

72. *Temporum meorum*] Earum calamitatum, quas olim pertuli, quia nimium in repub. liberè sensissem. MANUT.

73. *Naturæ*] Quæ me ab omni contentione revocabat. IDEM.

74. *Gratia*] Hîc est reconciliatio. GRÆV.

75. *Condixisset*] In diem certum denunciasset. Sic enim Festus interpretatur. MAN.

76. *Defendi*] Vide lib. V. epist. 8.

Digitized by Google

opes: neque delendum, etiamsi id fieri posset, summorum civium principatum: neque permanendum in una sententia, conversis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis: sed temporibus assentiendum. Nunquam enim præstantibus in republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas: cùm verò id possis mutatâ velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis, potius quàm, eo commutato, quò velis tandem pervenire: sic, cùm omnibus nobis in administranda republica propositum esse debeat id, quod à me sæpissime dictum est, *Cum dignitate otium*: non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Quamobrem, ut paulo antè posui, si essent omnia mihi [77] solutissima, tamen in republica non alius essem atque nunc sum. Cùm verò in hunc sensum & alliciar beneficiis hominum, & compellar injuriis: [78] facilè patior ea me de republica sentire ac dicere, quæ maximè cùm mihi, tum etiam reipublicæ rationibus putem conducere. Apertiùs autem hæc ego, ac sæpiùs, quòd & Q. frater meus, legatus est Cæsaris, & nullum meum minimum dictum, non modò factum, pro Cæsare intercessit, quod ille non ita illustri gratiâ exceperit, ut ego eum mihi devinctum putarem. Itaque ejus omni & gratiâ, quæ summa est, & opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, ut meis. Nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum præsidiis quæ semper habui, nunc etiam potentium benevolentiam conjunxissem. His ego consiliis si te præsentem habuissem, ut opinio mea fert, essem usus eisdem. Novi enim temperantiam & moderationem naturæ tuæ: novi animum tum mihi amicissimum, tum nullâ in cæte-

77. *Solutissima*] Soluta, & libera Ciceronis voluntas non erat, cùm & alliceretur Pompeii, Cæsarisque beneficiis, & compelleretur optimatum quorundam injuriis. MAN.

78. *Facilè patior*] Ita loquebantur, cùm aliquid se nec admodum libenter, nec molestè tamen facere significabant. Epist. 7. lib. 5. *Si quando non mutuò respondetur officiis meis; plus apud me officii residere facillimè patior.* MANUTIUS.

79. *Menocrito*] Lentuli liberto. IDEM.

80. *In disputatione ac dialogo*] Hoc totum alienum videtur & subdititium. LAMBIN.

81. *Tres libros de temporibus meis*] Dio lib. XXXIX. Βιβλίον μέν τοι τὶ ἀπόῤῥητον, &c. Vertit Leunclavius: *Librum quendam occultum conscripsit, cujus erat inscriptio*, de suorum consiliorum rationibus. *In eum multa acerba*

cæteros malevolentiâ suffusum; contráque cùm magnum & excelsum, tum etiam apertum & simplicem. Vidi ego quosdam in te tales, quales tu eosdem in me videre potuisti. Quæ me moverunt, movissent eadem te profectò. Sed, quocunque tempore mihi potestas præsentis tui fuerit, tu eris omnium moderator consiliorum meorum. Tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curæ. Me quidem certè tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitémque habebis: neque mihi in omni vita res tam erit ulla proposita, quàm ut quotidie vehementiùs te de me optimè meritum esse lætere. Quod rogas ut mea tibi scripta mittam, quæ post discessum tuum scripserim: sunt orationes quædam, quas [79] Menocrito dabo: neque ita multæ, ut pertimescas. Scripsi etiam (nam ab orationibus disjungo me ferè, referóque ad mansuetiores Musas: quæ me maximè, sicut jam à prima adolescentia delectarunt) scripsi igitur Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros [80] in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim à communibus præceptis: ac omnem antiquorum, & Aristoteleam, & Isocrateam rationem oratoriam complectuntur. Scripsi etiam versibus [81] tres libros de temporibus meis, quos jam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem. Sunt enim testes, & erunt, sempiterni, meritorum erga me tuorum, meæque in te pietatis. [82] Sed, quia verebar, non eos, qui se læsos arbitrarentur, (etenim id feci parcè & molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipsos libros, si quem cui rectè committam invenero, curabo ad te perferendos. Atque istam quidem partem vitæ consuetudinísque nostræ totam ad te defero. Quantum literis, quantum studiis, veteribus nostris delectationibus, consequi poterimus,

 mus,

acerba contra Cæsarem, Crassúmque, aliósque nonnullos dicta congessit: metuénsque ne se vivo emanaret, obsignatum filio tradidit, cum mandato, ne eum se superstite aut legeret, aut ederet. H. VALESIUS.

82. *Sed, quia verebar*] Ἔλλειψις, figura aliquid detrahens: Nam hìc sententia desiderat, *Non misi*: ut sit; Ideò non misi eos libros ad te, quia verebar eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. MANUTIUS. Ego delendum puto τὸ *quia*, nec rationem reddi quare non miserit, sed quare non putarit edendos. *Sed verebar non eos*, id est, non edendos putavi, qui verebar. J. F. GRON.

mus, id omne ad arbitrium tuum, qui hæc semper amasti, libentissimè conferemus. Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri: rogari verò sine magno dolore vix possim. Quod de Quinti fratris negotio scribis, te priore æstate, quòd morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse: nunc autem omnia facturum ut conficias: id scito esse ejusmodi, ut frater meus verè existimet, adjuncto isto fundo, patrimonium fore suum per te constitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui nostríque studiis & exercitationibus, velim quàm familiarissimè certiorem & quàm sæpissime facias: existiméſque, neminem cuiquam neque cariorem, neque jucundiorem unquam fuisse, quàm te mihi: ídque me non mòdò ut tu sentias, sed ut omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat esse facturum. [83] Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu palàm, sese, [84] si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, [85] se paraturum cum collega, tibíque successurum: legémque curiatam consuli ferri [86] opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex senatus-consulto [87] provinciam haberet, [88] lege Corneliâ imperium habiturum, quoad in urbem introisset. Ego quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: varias esse opiniones intelligo. Sunt qui putent posse te non decedere, quòd sine lege curiata tibi succedatur: sunt etiam, qui, si decedas, à te relinqui posse qui provinciæ præsit. Mihi non tam de jure certum est, (quanquam [89] ne id quidem valde dubium est) quàm illud ad tuam sum-

83. *Appius*] Appius Pulcher, Coss. cum L. Domitio Ænobarbo. CORRAD.

84. *Si licitum*] Per tribunos pleb. CORR.

85. *Se paraturum cum collega*] *Parare*, hìc est pacisci, constituere. Mos enim fuit, ut S. C. de provinciis consularibus ita fieret, ut eas consules aut sortirentur, aut compararent inter se. MANUTIUS.

86. *Opus esse*] Convenire. *Necesse non esse*: scilicet Consuli. CORRAD.

87. *Provinciam haberet*] Non Ciliciam nominatim: quod si esset, quorsum de sortitione, aut comparatione loqueretur? sed provinciam ideò habebat, quia senatus decreverat, ut ex duabus consularibus provinciis unam Appius, alteram Domitius, vel sortientes, vel inter se comparantes, obtinerent. MANUTIUS.

88. *Lege Cornelia*] Quæ imperium, sed sine armis, dabat. Alia ejus legis sunt lib. III. epist. 6. CELLARIUS.

89. *Ne id quidem valde dubium est*] Ne de jure quidem dubitari valde potest, quin Appio, vel si tibi sine curiata lege succedat, provinciam debeas concedere. Argumento sunt hæc verba, falli eos, qui legem

Digitized by Google

summam amplitudinem, dignitatem,[90] liberalitatem, qua te scio libentissimè frui solere, pertinere, te sine ulla mora provinciam successori concedere, præsertim cùm sine suspicione tuæ cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. Ego utrumque meum puto esse, & quid sentiam, ostendere, & quod feceris, defendere.

Scriptâ jam epistolâ superiore, accepi tuas literas [91] de publicanis: quibus æquitatem tuam [92] non potui non probare. [93] Felicitate quidem, vellem, consequi potuisses, ne ejus ordinis, quem semper ornasti, rem aut voluntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum. Scis, quàm graviter inimici ipsi illi [94] Q. Scævolæ fuerint. Tibi tamen sum auctor, ut, si quibus rebus possis, eum tibi [95] ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentiæ tuæ. Vale.

gem curiatam rectoribus provinciarum omnino necessariam putarent: cùm sine ea jus dicere, & provinciæ præesse possent, imperio lege Corneliâ dato, quoad in urbem introissent. Cùm hæc scripsissem; disputationes ad me suas adversùs Nicolaum Gruchium misit Carolus Sigonius: in quibus de curiata lege, duplicique provinciarum imperio, probari idem utrique nostrum, animadverti. Sanè sum lætatus, ut animo, & voluntate, itidem nos opinione, & judicio congruere. MANUTIUS.

90. *Liberalitatem*] Sic Lambinus, sic H. Stephani editio 1577. Alii, *libertatem*.

91. *De publicanis*] Contra quos decretum ex voluntate provincialium fecerat. MAN.

92. *Non potui non probare*] Videtur alterum *non* delendum esse. J. F. GRONOV.

93. *Felicitate quidem, vellem, consequi potuisses*] Vellem, ita felix esse potuisses, nihil ut omnino contra ejus ordinis, quem semper ornasti, aut rem, aut voluntatem ageres. Quidam veteres libri, *Felicitatem*: alii, *Facilitate autem quod vellem consequi potuisses*. Sed facilitas est voluntatis: quam si Cicero requirit in Lentulo, hominem carpit amicissimum, optiméque de se meritum. IDEM. Lego: *Felicitate quadam, vellem consequi* &c. Vellem sic favisset tibi Fortuna, ut necesse non fuisset aliquid abs te statui, quo illi aut vectigalia sua deteriora, aut gratiam contemptam putarent. J. F. GRONOVIUS.

94. *Q. Scævolæ*] Auguri, P. F. Lælii Sapientis genero, Crassi oratoris socero. Fuit alter Q. Scævola, Q. F. Pont. max. multis annis junior. MANUTIUS.

95. *Ordinem*] Equestrem.

M. T. C. S. D. L. VALERIO, JURISCONSULTO.

CUR [1] enim tibi hoc non gratificer, nescio: præsertim cùm 10
his temporibus [2] audaciâ pro sapientia liceat uti. Lentulo nostro

ARG. Inter jocos significat Valerio se ejus nomine P. Lentulo gratias egisse, eúmque, ut domum redeat, hortatur. *Anno* U. C. 699.

1. *Cur enim tibi hoc non gratificer*] Cùm inscripsisset, *Valerio, Jurisconsulto*, subjunxit jocans: Nam, jurisconsultum cur te non appel-

Digitized by Google

nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim desinas jam nostris [3] literis uti, & nos aliquando revisas: & ibi malis esse [4] ubi aliquo numero sis, quàm istic ubi [5] solus sapere videare. Quanquam qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, [6] quòd nihil respondeas: partim contumeliosum, quòd malè respondeas. Sed jam cupio tecum coràm jocari. Quare fac ut quamprimùm venias, neque in Apuliam tuam accedas, [7] ut possimus, salvum venisse, gaudere. Nam illò si veneris, tanquam Ulysses, cognosces tuorum neminem. Vale.

---

appellem, nescio, etiam si jurisconsultus valde non sis. Et sanè Valerius hic non videtur jus civile, quantum opus esset, cognovisse: cùm de eo sic ad Appium scripserit: *Valerium jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam; si non est jurisconsultus.* Verùm ita familiariter eum Cicero diligebat, ut ei, quod omnino falsum non erat, id per jocum objiceret. MAN.

2. *Audaciâ pro sapientia.*] Vivimus eo seculo, quo sapiens habetur, qui plurimùm audet. Ludit in vocabulo *sapientiæ.* Nam JC. κατ' ἐξοχὴν *Sapientes.* De amicit. c. 1. & 2. II. de Off. 11. Sic Lælius sapiens, M. Cato sapiens, 11. Verr. 2. Pro Mur. 11. *& ab ipsis cautis JC. eorum sapientiam compilavit.* J. F. GRONOVIUS.

3. *Desinas literis nostris uti*] Commendatitiis. Desinas abesse & procul vagari meis commendationibus. IDEM.

4. *Ubi aliquo numero sis*] Ludit rursum in verbis; nam *aliquo numero esse* est in dignatione esse, & esse ubi plures sint similes tibi. IDEM.

5. *Solus sapere*] Significat eum ibi esse, ubi nulli sunt alii Jurisconsulti: nam Jurisconsulti, ut dictum, sapientes. IDEM.

6. *Quòd nihil respondeas*] Jocus est in his verbis & abstrusus, & elegans. Vult enim innuere, ideò nihil eum quandoque respondere, non quòd superbus sit, sed quòd eum nemo consulat, cùm homines bonum jurisconsultum non putent: ideò autem malè respondere, non quòd contumeliosus, sed quòd imperitus, & indoctus. Proprium verò jurisconsultorum fuit, hodiéque est, de jure consulentibus respondere. Similis jocus est in Trebatium epist. 16. lib. VII. *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quòd negent te percunctantibus respondere.* MANUTIUS.

7. *Ut possimus salvum venisse, gaudere*] Quòd si Romam, inquit, venies; erit, qui, te salvum venisse, gaudeat: habes enim hîc, qui te norint, & diligant: in Apuliam verò tuam si accesseris; quis erit, qui gaudeat? Hanc sententiam, illatâ figurâ παρὰ προσδοκίαν, confirmat sequentibus verbis: *Tanquam Ulysses, cognosces tuorum neminem.* Quod etsi discrepat ab Ulyssis fabula; qui suos quidem domesticos omnes, Ithacam reversus, cognovit, sed ab iis cognitus non est: tamen Cicero, nactus jocandi locum, lepidè sermonem convertit ab Ulysse ad ipsius Valerii humilitatem, ac solitudinem. Quod ideo ostendendum putavi, ne quis Ciceronem in Ulyssis fabula memoriæ vitio labi putet: cùm in eo ipso jocus appareat, quod, cùm, inductâ Ulyssis mentione, dicturus videretur, Cognosceris à tuorum nemine, traduxit sententiam, ut dixi, ad id, quo Valerii notabatur ignobilitas. Possit etiam hoc aliquis referre ad illud tempus, cùm Ulysses dormiens, à Phæacibus in litore Ithacensi expositus, mox experrectus, patriam non agnovit. *Odyss.* lib. 13. IDEM. *Cognosces tuorum neminem*: quasi significet omnes periisse. J. F. GRONOVIUS.

EPISTO-

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER II.

M. T. C. C. CURIONI S. D.

QUANQUAM me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo, tamen non tam mihi molestum fuit accusari abs te officium meum, quàm jucundum requiri: præsertim cùm in quo accusabar, culpâ vacarem: in quo autem desiderare te significabas meas literas, præ te ferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui literas non dederim. Etenim quis est tam scribendo impiger, quàm ego? A te verò bis terve summùm, & eas perbreves accepi. Quare si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed [1] de literis I

ARGUMENTUM. Accusatus à Curione negligentiæ literarum, se excusat, eíque quòd absens summam laudem consecutus sit, gratulatur, hortatúrque, ut, quam concitasset, expectationi sui respondeat, & ipsum, cujus consiliis ad hanc dignitatem pervenerit, jam propè senescentem, amore suo oblectet. *Anno* U. C. 700.

1. *De literis hactenus*] Dixi jam nihil esse in Latina lingua contemnendum; si modò eâ propriè, rectéque uti cogitamus. Quare subjungam, quæ nonnullis fortasse levia videantur: sed, quò turpiùs in minimis labimur, eò diligentior esse debet animadversio. *Hactenus*, & *adhuc*, æquè continuationem significant; sed hoc differunt, quòd, *Hactenus* de re semper usurpatur; *Adhuc* de tempore. Non enim rectè dixeris, *Hactenus ita sensi*; sed, *Adhuc ita sensi.* Contráque propriè non dicitur, *de literis adhuc*; sed, *de literis hactenus.* Etiam illud observavimus, non eandem utroque continuationem significari. Nam *Hactenus*, absolutæ rei continuationem semper indicat; *Adhuc*, interdum etiam non absolutæ: ut epist. 20. lib. II. ad Attic. *Clodius adhuc mihi denuncias periculum.* Exemplorum refertus est Cicero. MANUT.

Digitized by Google

teris hactenus: non enim vereor ne non ſcribendo te expleam: præſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Ego te [2] abfuiſſe tamdiu à nobis & doleo, quòd carui fructu jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ: & lætor, quòd abſens omnia cum maxima dignitate es conſecutus: quòdque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna reſpondit. Breve eſt quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit: tanta eſt expectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obſecrare obteſtarique non dubitem, ſic ad nos conformatus revertare, ut quam expectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere ac tueri poſſis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum [3] memoriam ulla nunquam delebit oblivio, te rogo, ut memineris, quantæcunque tibi acceſſiones fient & fortunæ, & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliſſimis atque amantiſſimis conſiliis paruiſſes. Quare hoc animo in nos eſſe debebis, ut ætas noſtra jam ingraveſcens, in amore atque in adoleſcentia tua conquieſcat. Vale.

2. *Abfuiſſe*] Erat Curio in Aſia. Manut.
3. *Memoriam ulla nunquam delebit oblivio*] Puſillum hoc; ſed ita tamen edendum, ut præeunt meliores libri: nempe Victorii, Vatic. Pall. quart. quintus. Vulgo, *nulla unquam*. Gebhard.

M. T. C. C. Curioni S. D.

2 GRavi teſte privatus ſum amoris ſummi erga te mei, patre tuo, [1] clariſſimo viro: qui cùm ſuis laudibus, tum verò te filio ſuperaſſet omnium fortunam, ſi ei contigiſſet, ut te antè videret, quàm è vita diſcederet. Sed ſpero noſtram amicitiam non egere teſtibus. Tibi patrimonium dii [2] fortunent. Me certè habebis, cui & carus æquè ſis, & jucundus, ac fuiſti patri. Vale.

M. T.

Argumentum. Patris mortem filio abſenti ſignificat, ac ſe illi parentis loco fore pollicetur. *Anno* U. C. 700.
1. *Clariſſimo viro*] Conſulatu, quem cum Cn. Octavio geſſit: eloquentiâ, & rebus geſtis in Macedonia, de qua etiam triumphavit. Corrad.
2. *Fortunent*] Epiſt. 8. lib. XI. *Eum honorem tibi deos fortunare volo*: id eſt, ne quid adverſi contingat. Manutius.

Digitized by Google

M. T. C. C. CURIONI S. D.

RUPÆ studium non defuit [1] declarandorum [2] munerum tuo nomine: sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quidquam te absente fieri, quod tibi, cùm venisses, [3] non esset integrum. Equidem quid sentiam, aut scribam ad te postea pluribus, aut, [4] ne ad eam meditere, imparatum te offendam, coràmque [5] contra istam rationem, meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam, aut certè testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim: ut, si quando (quod nolim) [6] displicere tibi consilium tuum cœperit, possis meum recordadari. Brevi tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quæ tibi naturâ, studio, fortunâ data sunt, faciliùs omnia, quæ sunt amplissima in republica, consequi possis, quàm muneribus: quorum neque facultatem quisquam admiratur, (est enim copiarum, non virtutis) neque quisquam est, quin satietate jam defessus sit. Sed aliter atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam ratio-

 nem

ARG. Rupam libertum excusat, quòd in patris funere ludos populo non promiserit, quia amicis displicuerit. Cujus consilii, coràm pluribus exponendi, jam summam perscribit, & quanta in expectatione Curio filius sit, significat. *An.* U. C. 700.

1. *Declarandorum*] Ostendendorum, promittendorum: ut epist. 8. lib. IX. *Munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.* MAN.

2. *Munerum*] Munera populo dabant, gratiam ejus aucupantes, cùm vel gladiatorum certamina præberent, vel nummos dividerent, vel epulum darent, aut aliquid ejusmodi. Curio in funebri patris munere, præter cætera, ludos dedit, & in iis pantheras: ut scripsit Cœlius epist. 6. & 7. lib. 8. Dedit etiam admirandam illam, quæ amphitheatri formam faceret, ligneam machinam, de qua Plinius XXXVI. 15. IDEM.

3. *Non esset integrum*] Ut, si consilium nostrum probares, mutare sententiam posses. Verebatur Cicero, ne, muneribus dandis, æris alieni plurimum Curio contraheret, eóque coactus, omissâ reip. causâ, cum improbis civibus, maximéque cum Cæsare, societatem, bonis exitiosam, coiret. Quod ita contigit. IDEM.

4. *Ne ad eam*] Legendum, *ne ad ea*, scilicet plura, quæ scribere poteram. Aut etiam non scribam quid de istis muneribus sentiam, ut venias ad me non præmeditatus, non commentatus; nec habeas quicquam cogitati, quo sententiam meam oppugnes. J. F. GRONOVIUS.

5. *Contra istam rationem*] Istud genus ambitionis, plebem muneribus demulcendi. IDEM. Et sanè lib. II. de Officiis (cap. 16.) pecuniarum effusiones ad multitudinem deleniendam; nec iis, quorum causâ fiunt, nec iis, à quibus fiunt, honorificas, multis verbis ostendit. MAN.

6. *Displicere*] Nec aliter cecidit. Nam; cùm, præstitutâ die, creditoribus suis Curio satisfacere non posset, intercalationem, id est prorogationem temporis, à Pontificibus petiit: quam cùm non obtinuisset, addixit se, suámque sententiam Cæsari, deserto reip. patrocinio. Ep. 9. lib. 8. IDEM.

Digitized by Google

nem ſententiæ meæ. Quare omnem hanc diſputationem in adventum tuum differo. Summa ſcito in expectatione te eſſe, eáque à te expectari, quæ à ſumma virtute, ſummóque ingenio expectanda ſunt: ad quæ ſi es, ut debes, paratus, (quod ita eſſe confido) plurimis maximíſque muneribus & nos amicos, & cives tuos univerſos, & rempublicam afficies. Illud cognoſces profectò, mihi te neque cariorem, neque jucundiorem eſſe quemquam. Vale.

M. T. C. C. CURIONI S. D.

4 EPISTOLARUM genera multa eſſe non ignoras: ſed unum illud certiſſimum, cujus cauſâ inventa res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra aut ipſorum intereſſet. Hujus generis literas à me profectò non expetis. Tuarum enim rerum [1] domeſticarum habes & ſcriptores, & nuntios. In meis autem rebus nihil eſt ſanè novi. Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare, & jocoſum: alterum ſeverum, & grave. Utro me minùs deceat uti, non intelligo. Jocérne tecum per literas? civem mehercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit. An gravius aliquid ſcribam? quid eſt, quod poſſit graviter à Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de republica? Atque in hoc genere hæc mea cauſa eſt, ut neque ea, [2] quæ nunc ſentio, velim ſcribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum ſcribendi argumentum relictum eſt, utar eâ clauſulâ, quâ ſoleo; téque ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor. Eſt enim tibi [3] gravis adverſaria conſtituta, & parata, incredibilis quædam expectatio: quam tu unâ re facillimè vinces, ſi hoc ſtatueris: Quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes

---

ARG. Diverſa dicit literarum genera, quorum neutrum ſibi jam conveniat. Quapropter ad cohortationem tranſit, ut pergat Curio ad gloriam ire, quia gravis ipſi adverſaria, omnium expectatio, conſtituta ſit. *Anno* U. C. 700.

1. *Domeſticarum*] *Domeſticos* habet antiquus liber, pro *domeſticarum*; & ita opinor ex loco ſimili legendum eſſe. F. URS.

2. *Quæ nunc*] Manutio & Grutero probatur, *quæ non*, & reperitur in omnibus quatuor Mſſ. quibus uſus eſt Grævius.

3. *Gravis adverſaria*] Sic enim nobis; ut cum acerrimo inimico, cum expectatione pugnandum eſt; iis autem, qui nulla in expectatione ſunt, licet eſſe otioſis. MAN.

Digitized by Google

laudes comparantur, in iis esse laborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tuâ sponte satis incitatum esse confiderem: & hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui causâ, sed testificandi amoris mei. Vale.

M. T. C. C. CURIONI S. P. D.

HÆc negotia quomodo se habeant, ne epistolâ quidem 5
narrare audeo. Tibi, etsi ubicunque es, (ut scripsi ad te antea) in eadem es navi, tamen quòd abes, gratulor: vel quia non vides ea, quæ nos: vel quòd excelso & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum & sociorum, & civium conspectu: quæ ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissimâ & unâ omnium voce perfertur. Unum illud nescio granuléme tibi, an timeam, quòd mirabilis est expectatio reditûs tui: non quò verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat: sed, mehercule, ne, cùm veneris, non habeas jam quod cures: ita sunt omnia debilitata jam, propè & extincta. Sed hæc ipsa nescio recténe sint literis commissa: quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen, sive habes aliquam spem de republica, sive desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo civi ac viro debent, qui sit rempublicam afflictam & oppressam miseris temporibus ac perditis moribus, in veterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Vale.

ARG. Questus de publicis malis, Curioni gratulatur quòd ea non videat, & magnam ex benefactis laudem consequatur. Sed quoquo se modo respublica habeat, ad eam capessendam, vindicandámque adhortatur. *Anno* U. C. 700.

M. T. C. C. CURIONI S. P. D.

NONDUM erat auditum, te ad Italiam adventare, cùm [1] Sex- 6
tum Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te literis misi. Sed tamen cùm appropinquare tuus adventus pu-

F 2 taretur,

ARG. Curioni ex Asia adventanti, Milonis causam, consulatum petentis, diligentissimè commendat, ut gratiâ, quâ plurimum polleat, petitionem ejus adjuvet, quo ipso non tam Milonem sibi, quàm Ciceronem, devincturus sit. *Anno* U. C. 700.

1. *Sex. Villium*] Manut. *Sex. Julium*; Corradus, & Græv. *Servilium*.

Digitized by Google

taretur, & te jam ex Asia Romam versùs profectum esse constaret, magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis citò mitteremus, cùm has quàm primùm ad te perferri literas magnopere vellemus. Ego, si mea in te essent officia solùm, Curio, tanta, quanta magis à te ipso prædicari, quàm à me ponderari solent; verecundiùs à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. Grave est enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet: ne id, quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potiùs, quàm beneficii, loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa novitate meorum temporum clarissima & maxima beneficia extiterunt: éstque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximéque necessarium. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem: cùm præsertim considerem, nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando, cumulandóque illustrare posset. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi, & locavi: statuíque in eo me non officii solùm fructum, sed etiam pietatis laudem debere quærere. Neque verò cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi sit honos ejus, in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adjumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit præterea nobis requirendum. Habemus hæc omnia: bonorum studium conciliatum ex tribunatu, propter nostram (ut spero te intelligere) causam: vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatémque naturæ: juventutis & gratiosorum in suffragiis studia, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam: nostram suffragationem, si minùs potentem, at probatam tamen, & justam, & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis & auctor opus est, & [2] eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi

2. *Eorum ventorum*] Ventis comparat plebem, gratiosos in suffragiis, &c. Nam cùm secundi sint, reguntur tamen arte quadam ab eo, qui navem gubernat. MAN.

ſi gubernator: qui ſi ex omnibus unus optandus eſſet, quem tecum conferre poſſemus, non haberemus. Quamobrem, ſi me memorem, ſi gratum, ſi bonum virum, vel ex hoc ipſo quòd tam vehementer de Milone laborem, exiſtimare potes: ſi dignum denique tuis beneficiis judicas: hoc à te peto, ut ſubvenias huic meæ ſollicitudini, ut huic meæ laudi, vel (ut veriùs dicam) propè ſaluti tuum ſtudium dices. De ipſo T. Annio tantùm tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, conſtantiæ, benevolentiæque erga te, ſi complecti hominem volueris, habiturum eſſe neminem. Mihi verò tantum decoris, tantum dignitatis adjunxeris, ut eundem te facilè agnoſcam fuiſſe in laude mea, qui fueris in ſalute. Ego, ni te videre ſcirem, cùm ad te hæc ſcriberem, quantum officii ſuſtinerem, quantopere mihi eſſet in hac petitione Milonis omni non modò contentione, ſed etiam dimicatione elaborandum, plura ſcriberem. Nunc tibi omnem rem atque cauſam, méque totum commendo atque trado. Unum hoc ſic habeto, ſi à te hanc rem impetraro, me penè plus tibi, quàm ipſi Miloni, debiturum. Non enim mihi tam mea ſalus cara fuit, in qua præcipuè ſum ab illo adjutus, quàm pietas erit in referenda gratia, jucunda. Eam autem unius tui ſtudio me aſſequi poſſe confido. Vale.

M. T. C. PROCONSUL C. CURIONI, TRIBUNO PLEBIS, S. D.

SERA gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nullâ negligentiâ prætermiſſa eſt. Longè enim abſum: audio ſerò. 7
Sed tibi & gratulor, &, ut ſempiternæ laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopto: téque hortor, ut omnia gubernes & moderere prudentiâ tuâ; ne te auferant [1] aliorum conſilia. Nemo eſt, qui tibi ſapientiùs ſuadere poſſit, te ipſo: nunquam labêre, ſi te audies. Non ſcribo hoc temerè: cui ſcribam, video: novi animum, novi conſilium tuum. Non vereor, ne quid timidè, ne quid ſtultè facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties.

ARG. Ex Cilicia Curioni de tribunatu pl. gratulatur, hortatúrque ne cujus conſilium ſequatur, ſed quod rectum eſt, conſtanter faciat, nec patiatur ſibi provinciam prorogari. *Anno* U. C. 702.

1. *Aliorum*] Ut M. Antonii. CORR.

Digitized by Google

Quòd in id reipublicæ tempus non incideris, ſed veneris, (judicio enim tuo, non caſu in ipſum diſcrimen rerum contuliſti tribunatum tuum) profectò vides, quanta vis in republica temporum ſit, quanta varietas rerum, quàm [2] incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates: quid inſidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites. Sed, amabo te, cura & cogita nihil novi, ſed illud idem, quod initio ſcripſi: tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare conſilium poſſit, quàm tu, non facilè inveniri poteſt: tibi verò ipſi certè nemo melius dabit. Dii immortales, cur ego non adſum vel ſpectator laudum tuarum, vel particeps, vel ſocius, vel miniſter conſiliorum? Tametſi hoc minimè tibi deeſt, ſed tamen efficeret magnitudo & vis amoris mei, conſilio te ut poſſem juvare. Scribam ad te plura aliàs. Paucis enim diebus eram miſſurus domeſticos tabellarios: ut, quoniam ſanè feliciter & ex mea ſententia [3] rempublicam geſſimus, unis literis [4] totius æſtatis res geſtas [5] ad ſenatum perſcriberem. [6] De ſacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam difficili in re atque cauſa, cognoſces ex iis literis, quàs Tharaſoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia, meáque item in te ſingulari, rogo atque

2. *Incerti exitus*] Nihil igitur novi cogitandum, exitu rerum incerto. Timet Curionis multiplex ingenium: ne quid in repub. novi moliretur, ſpe alicujus boni propoſitâ: quod & facere ſolebant tribuni pl. & fecit ipſe Curio: cujus turbulentus in primis, ac ſeditioſus tribunatus fuit. MAN.

3. *Remp. geſſimus*] In Amano monte, ut epiſt. 10. Capto etiam Pindeniſſo, ut epiſt. ad Attic. 20. lib. V. IDEM.

4. *Totius æſtatis*] Pindeniſſum tamen non æſtate, ſed Saturnalibus, id eſt, XIV. Kal. Jan. in ſuam poteſtatem redegit: quod Attico ſcripſit epiſt. 20. libro quinto. Verùm res æſtate geſtas appellat, quòd *æſtiva* vocarentur, quæcumque æſtate cœpta eſſent, licet ante hiemem non perfecta. Sic epiſt. 9. libro tertio, *æſtiva confecta, non niſi Pindeniſſo capto*, ſignificat: cùm tamen deditio Pindeniſſi Decembri menſe facta ſit. IDEM.

5. *Ad ſenatum*] Eæ literæ non exſtant. Nam quæ leguntur libro decimo-quinto res geſtas non exponunt. Ad ſenatum autem ſcripſiſſe videtur Januarii menſis initio, ad novos conſules: quod ex epiſt. 20. libro quinto ad Att. licet intelligere. Quod cùm ita ſit; potuit hanc epiſtolam ſcribere menſe Dec. Nam, cùm Pindeniſſum XIV. Kal. Jan. captum oſtenderim, & hîc rem feliciter eſſe geſtam, ſcribatur: neceſſe eſt, Curionem jam tribunatum pleb. iniiſſe: nam tribunis pleb. primus magiſtratûs dies fuit, non Kalendæ Jan. ut aliis Magiſtratibus, ſed quarto idus Dec. ut Livius, Dionyſiúſque docuerunt. IDEM.

6. *De ſacerdotio tuo*] De Pontificatu, quem petiit, & obtinuit, patre mortuo, ut in ejus locum ſurrogaretur. De patre mentio fit in Orat. de Haruſp. reſp. cap. 6. de filio, apud Dionem lib. 40. IDEM.

Digitized by Google

que oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Præsens tecum egi, cùm te tribunum plebis isto anno fore non putarem: itémque petivi sæpiùs per literas: sed tum quasi à senatore nobilissimo, & adolescente gratiosissimo, nunc à tribuno plebis, & à Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi: quod solet esse difficilius: sed ut ne quid novi decernatur: & ut [7] senati-consultum & [8] leges defendas: eáque mihi conditio maneat, quâ profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

7. *Senati - consultum*] Frementibus Magistellis produxi hanc lectionem ex editione Victor. ac Pal. prim. Vatic. ut sæpe Livius. Vulgò *Senatus - consultum.* GEBHARD.

8. *Leges*] Quibus erat annua provincia. Et ad M. Marcellum consulem, his verbis, epist. 7. lib. 17. *Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S. C. & lege finisti.* MANUT. *Leges*, fortè Sempronia, Curiata, & Cornelia. CORR.

M. T. C. PROCONSUL M. CÆLIO S. D.

QUID? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum [1] compositiones, ut [2] vadimonia dilata, & [3] Chresti compilationem mitteres, & ea quæ nobis, cùm Romæ sumus, narrare nemo audeat? Vide quantum tibi meo judicio tribuam: nec mehercule injuriâ: [4] πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognovi. Ne illa quidem curo mihi scribas, quæ maximis in rebus reipublicæ geruntur quotidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit. Scribent alii: multi nuntiabunt: perferet multa etiam ipse rumor. Quare ego nec præterita, nec præsentia abs 8

ARG. M. Cælius, cujus est liber VIII. harum epistolarum, scripserat leviores res urbanas Ciceroni de gladiatoriis ludis, dilatione vadimonii, & furtis nonnullis, quæ ipsum nihil afficiebant. Reprehensâ ergo illâ sedulitate monet, ut severiores res, quem statum putet reip. futurum esse, perscribat. Addit, cum Pompeio fuisse, cui se ut Cælius det, hortatur, & cum Caninio Athenis. Denique sua commendat. *An.* U. C. 702.

1. *Compositiones*] Quis cum aliquo pugnasset. Inde *Par gladiatorum* dicebatur, cùm duo comparabantur, & componebantur ad certamen. Recitat Lucilii versus Cicero in libro de optimo genere Oratorum, cap. 6. *Cum Pacidiano hic componitur,* &c. Quintilianus, II. 17. *Gladiatores... inter se componuntur.* MANUTIUS.

2. *Vadimonia dilata*] *Differre vadimonium*; est prorogare diem, de quo inter litigantes convenerat, ut in judicio adessent. Nam *Vadari*, est diem judicio ex compacto constituere. IDEM.

3. *Chresti*] Vel, ut Chrestum compilaverint, id est, fraudaverint fures: vel, ut Chrestus fur alios compilaverit. J. F. GRON.

4. Πολιτικώτερον] Peritiorem administrandæ reipub. MANUT.

Digitized by Google

abs te, sed ut ab homine longè in posterum prospiciente, futura expecto; ut ex tuis literis cùm formam reipublicæ viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim. Neque tamen adhuc habeo, quod te accusem: neque enim fuit, quod tu plus providere posses, quàm quivis nostrûm; in primísque ego, qui cum Pompeio [5] complures dies nullis in aliis, nisi de republica, [6] sermonibus versatus sum: quæ nec possunt scribi, nec scribenda sunt. Tantùm habeto, civem egregium esse Pompeium, & ad omnia, quæ providenda sunt in republica, & animo & consilio paratum. Quare da te homini: complectetur, mihi crede. Jam eidem illi & boni & mali cives videntur, qui [7] nobis videri solent. Ego cùm Athenis decem [8] ipsos dies fuissem, multúmque mecum [9] Gallus noster Caninius, proficiscebar inde prid. Nonas Quint. cùm hoc ad te literarum dedi. Tibi cùm omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis, quàm ne tempus nobis provinciæ prorogetur. In eo mihi sunt omnia. Quod quando, & quomodo, & per quos agendum sit, tu optimè constitues. Vale.

5. *Complures dies*] Triduum. Vide ad Att. V. 7. Tarenti. Vide ibid. ep. 6. Quòd si quærat aliquis, quid agebat eo tempore Pompeius Tarenti? crediderim, eò se contulisse valetudinis causâ post gravem illum morbum, quo eum prope urbem Neapolim laborasse, Plutarchus, & Cicero Tusc. 1. demonstrat. Ægrotavit enim post tertium consulatum; eóque tempore Cicero in provinciam ivit. MANUT.

6. *Sermonibus... quæ*] Generis mutatio, per intellectum τῶ *de negotiis, quæ.* J. F. GRONOV.

7. *Nobis*] Mihi, & tibi. Nam ante profectionem Ciceronis in provinciam, rectè Cælius de rep. sensit: postea vel Curionis amore, vel Ap. Claudii odio, ab optimatibus ad Cæsarem descivit: quod ipse in ultima epist. lib. 8. confessus est: idque confirmant in libro de claris Orat. hæc verba Ciceronis: *Cùm ædilis curulis factus esset, nescio quo modo discessu meo discessit à sese, cecidítque postea, cùm eos imitari cœpit, quos ipse perverterat.* MANUT.

8. *Ipsos*] Neque plures, neque pauciores, planè decem. IDEM.

9. *Gallus Caninius*] Quem reum defenderat, Pompeii rogatu, iterum consulis. Epist. 1. lib. 7. Vide quæ Valerius l. 4. c. 2. de hoc, ut arbitror, Caninio scripsit. IDEM.

M. T. C. CÆLIO RUFO, ÆDILI CURULI DESIGNATO, S. D.

9 PRIMUM tibi, ut debeo, gratulor, lætórque [1] cùm præsenti, tum etiam speratâ tuâ dignitate, seriùs, non negligentiâ

ARG. Gratulatur de ædilitate obtenta, Hirro competitore dejecto, in quem veteris Poetæ verbis facetè jocatur. *Anno* U.C. 702.

1. *Cùm præsenti, tum etiam speratâ tuâ dignitate*]

Digitized by Google

tiâ meâ, sed ignoratione rerum omnium. In his enim sum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia, tardissimè omnia perferuntur. Et cùm gratulor, tum verò quibus verbis tibi gratias agam, non reperio: quòd ita factus sis, ut dederis nobis, [2] quemadmodum scripseras ad me, quem semper ridere possemus. Itaque, cùm primum [3] audivi, ego ille ipse [4] factus sum: scis, quem dicam: [5] egique omnes illos adolescentes, quos ille [6] jactitat. [7] Difficile est loqui. [8] *Te autem contemplans absentem, & quasi tecum coràm loquerer, Non, ædepol, quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris.* Quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me [9] ad illud: *Incredibile hoc factu objicitur.* Repentè verò incessi [10] *omnibus lætitiis.* In quo cùm objurgarer, quòd nimio gaudio penè desiperem, ita me defendebam: [11] *Ego voluptatem animi nimiam.* [12] Quid quæris? dum illum rideo, penè sum factus [13] ille. Sed hæc pluribus: multáque alia & de te, & ad te, cùm primùm ero aliquid otii nactus. Te verò, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modò inimicorum, sed etiam invidorem meorum: ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.

gnitate] Tum ædilitate, quam adeptus es, tum etiam reliquis honoribus, qui ædilitatem consequuntur. Prætura enim biennio post ædilitatem dabatur, consulatus biennio post præturam. MANUTIUS.

2. *Quemadmodum scripseras*] Epist. 3. lib. VIII. cùm scripsisti, *Si fio, totâ vitâ risus nobis deesse non poterit.* CORRAD.

3. *Audivi*] Te ædilem designatum, Hirrum dejectum. MANUT.

4. *Factus sum*] Suscepi personam Hirri: quia, quæ tu mihi de illo scripsisti, omnia cogitavi. IDEM.

5. *Egi*] Repræsentavi, cogitatione ipsâ mihi ante oculos posui. IDEM.

6. *Jactitat*] Jactare solitus est: quod fecit, ædilitatem petens: cùm diceret, se gratiosorum in suffragiis adolescentum operâ ædilem futurum. Epist. 6. Juventutem ostendit in suffragiis plurimum posse. Propriè enim adolescentum gratia est, virorum auctoritas. IDEM.

7. *Difficile est loqui*] Quæ de illo cogitavi, exponere non facilè possum. IDEM.

8. *Te autem contemplans absentem*] Hoc totum usque ad illud, *Quod quia*, videtur à vetere poeta sumptum. IDEO, *Contemplans*, non est, quò referatur: deest enim verbum Poetæ: cùm Cicero locum non expleverit, ut interdum solet. IDEM.

9. *Ad illud*] Ejusdem poetæ. IDEM.

10. *Omnibus lætitiis*] Eundem locum Cicero significat lib. 2. de Fin. cùm ait: *Ille Cæcilianus, qui sese omnibus lætitiis lætum esse narrat.* IDEM.

11. *Ego voluptatem*] Est versiculus non totus Trabeæ, poëtæ Comici: in Tuscul. 4. integer est, sententia certè ejus non desideratur: *Ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum errorem esse arbitratur.* VICT.

12. *Quid quæris?*] Ubi satis verborum effluxit, nec tamen omnino videmur, quod volumus, explicasse; ad hanc interrogationem confugimus, *Quid quæris?* & ad exitum statim sententia perducitur. MAN.

13. *Ille*] Tam stultus, quàm ille est.

Digitized by Google

M. T. C. Imp. M. Cælio Rufo, Æd. cur. design. S. D.

10 TU vide, quàm ad me literæ non perferantur. Non enim possum adduci, ut abs te, postea quàm ædilis es factus, nullas putem datas: præsertim cùm esset tanta res, tantæ gratulationis: [1] de te, quia quod sperabam; de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram. Atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista præclara, quæ me lætitiâ extulerunt: ex quo vereor ne idem eveniat in meas literas. Equidem nunquam domum misi unam epistolam, quin esset ad te altera: nec mihi est te jucundius quidquam, nec carius. [2] Sed balbi non sumus: ad rem redeamus. Ut optasti, ita est. Velles enim, [3] ais, tantummodò ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis. Parthos times, quia diffidis copiis nostris. Ergo ita accidit. Nam Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam angustiis & naturâ montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, satis probè ornatum [4] auxiliis, & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri. Multum est enim in his locis: Hiccine est ille, [5] qui urbem? [6] quem senatus? nosti [7] cætera. Cùm venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo [8] communis est, [9] divisus aquarum divortiis; Cassius

Arg. Querendo de tabellariis, occultè Cælium negligentiæ literarum accusat: res suas in Amano gestas narrat, &, ne provincia prorogetur, rogat: de rep. cupit certior fieri. *Anno* U. C. 702.

1. *De te, quia quod sperabam; de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram*] In ep. 4. lib. 8. Cælius de Hirro competitore suo loquens ita scripserat: *Spero te celeriter auditurum & de nobis, quod sperasti, & de illo, quod vix sperare ausus es.* Quibus verbis Cicero respondens, eadem penè repetit. Et quia scripserat Cælius, *de illo*; facetè & falsè adspirationem Cicero addidit, ut Hirri nomen, more balborum, qui, *r*, literam exprimere non possunt, enunciaret. Man.

2. *Sed balbi non sumus*] Sic ludit, quia sequitur *rem* & *redire*: quasi balbi ad rem redire metuant, quod pronunciare non possunt. J. F. Gronovius.

3. *Ais*] Lib. VIII. ep. 5.

4. *Auxiliis*] Sociorum populorum, id est; Galatarum, Pisidarum, Lyciorum, quos nominat epist. 5. lib. VI. ad Attic. Nam Dejotarum cum omnibus suis copiis ad eum venientem, certiorem Cicero fecit, non videri esse causam, cur abesset à regno. Quod ad Catonem ep. 4. lib. XV. scripsit. Manut.

5. *Qui urbem?*] Servavit ab insidiis Catilinæ, &c. Idem.

6. *Quem senatus?*] Decreto laudavit honorificentissimo, &c. Idem.

7. *Cætera*] Quæ in nos, ob res in consulatu præclarè gestas, conferri solent. Idem.

8. *Communis est*] Cùm ejus pars ad Syriam, Bibuli provinciam, altera ad Ciliciam, cui Cicero præerat, pertineret. Strabo, & alii. Idem.

Digitized by Google

Cassius [10] noster, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hostem [11] rejecerat. Bibulus provinciam acceperat. Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos. Multi occisi, capti, reliqui dissipati: castella munita, improviso adventu capta & incensa. Ita [12] victoriâ justâ *Imperator* appellatus apud Issum (quo in loco sæpe, ut ex te audivi, [13] Clitarchus tibi [14] narravit, Darium ab Alexandro esse superatum) adduxi exercitum ad [15] infestissimam Ciliciæ partem. Ibi quintum & vicesimum jam diem aggeribus, [16] vineis, turribus oppugnabam oppidum munitissimum Pindenissum, tantis opibus, tantóque negotio, ut mihi ad summam gloriam nihil desit nisi nomen oppidi: quod si, ut spero, cepero, tum verò literas publicè mittam. Hæc ad te in præsenti scripsi, ut speres te assequi id, quod optasses. Sed, ut redeam ad Parthos, hæc æstas habuit hunc exitum satis felicem: ea quæ sequitur, magno est in timore. Quare, mi Rufe, vigila, primum ut mihi succedatur: sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, [17] spissius: illud, quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur. De republica ex tuis literis, ut antea tibi scripsi, cùm præsentia, tum etiam futura magis expecto. Quare ut ad me omnia quàm diligentissimè perscribas, te vehementer rogo. Vale.

9. *Divisus aquarum divortiis*] Ut ad Syriam ab una parte, ad Ciliciam ab altera pertineret, defluentibus aquis distributus. Cùm enim aquæ dividuntur, divortium earum fit. Sic epist. 20. ad Attic. lib. 5. *Ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum divortio dividit.* Flaccus etiam Siculus in libro de limitibus, *divergia* aquarum dixit, eâdem significatione: quòd in diversas partes *vergant*, & vertantur aquæ: unde *divergium*, & *divortium*. IDEM.

10. *Cassius noster*] C. Cassius, qui postea Cæsarem occidit. Is M. Crassi quæstor in Syria fuerat: quo interfecto reliquias copiarum Antiochiam deduxit. IDEM.

11. *Rejecerat*] Vide ad Att. V. 20.

12. *Victoriâ justâ*] Certum hostium numerum esse oportuit, quæ cæso Imperatoris nomen consequerentur. MANUT.

13. *Clitarchus*] Historicus, Alexandri comes in Persica expeditione, ut ait Plinius lib. 6. cap. 31. Ejus probatum esse ingenium, fidem vituperatam, ostendit Quintilianus lib. 10. cap. 1. IDEM.

14. *Narravit*] Argutè, pro, *legisti apud Clitarchum.* IDEM.

15. *Infestissimam*] Latrociniis. IDEM.

16. *Vineis*] Instrumentum bellicum fuit, quo tecti milites audaciùs ad mœnia subibant. IDEM.

17. *Spissius*] Hæc meliores libri: alii *serius* habent. Eadem sententia. Nam *spisso*, præter densitatis notionem, etiam tarditatis est, ut multis exemplis probavit Nonius Marcellus. CELLARIUS. Et, quoniam *spissis* liquida opponuntur, factum est, ut *liquidò* pro *facilè* usurpetur. MANUT.

Digitized by Google

M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili curuli, S. D.

II PUtares-ne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent, neque solùm ista [1] vestra oratoria, sed hæc etiam levia, nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quòd mirificè sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Mirum me desiderium tenet urbis, incredibile meorum, atque in primis tui; satietas autem provinciæ: vel quia videmur eam famam consecuti, ut non tam accessio quærenda, quàm fortuna metuenda sit: vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, quia majora onera in republica sustinere & possimus, & soleamus: vel quia belli magni timor impendet, quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus. [2] De pantheris, per eos qui venari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est: & eas, quæ sunt, valde aiunt queri, quòd nihil cuiquam [3] insidiarum in mea provincia, nisi sibi, fiat. Itaque constituisse dicuntur [4] in Cariam ex nostra provincia decedere. Sed tamen sedulò fit, & in primis à Patisco. Quidquid erit, tibi erit: sed, quid esset planè, nesciebamus. Mihi, mehercule, magnæ curæ est ædilitas tua: ipsa dies me admonebat: scripsi enim hæc [5] ipsis Megalensibus. Tu velim ad me de omni reipublicæ statu quàm diligentissimè perscribas. Ea enim certissima putabo, quæ ex te cognovero. Vale.

M. T.

Arg. Prorogationis metu sollicitus ob varias causas, de pantheris, in ludos ædilis Cælii capiendis scribit: & sibi res urbanas perscribi postulat. *Anno* U. C. 702.

1. *Vestra oratoria*] Jocatur; quia Cælius quoque locum inter oratores obtinebat. Manutius. Vide infrà, ad epistolam primam libri octavi.

2. *De pantheris*] Quas Cælius petierat, ut ludis suis, id est Romanis, daret. Epist. 2. 4. 6. 7. 9. lib. 8. Idem.

3. *Insidiarum*] Ludit eleganter, & suæ laudis aliquid admiscet, quasi hæ feræ doleant se non sentire solas felicitatem provinciæ præside Cicerone, & cùm latronem aut insidiatorem nemo ibi metuat ob vigilantiam & justitiam proconsulis, sibi tranquillis esse non licere, sed insidiis patere venantium. J. F. Gronovius.

4. *In Cariam*] Quæ extra Ciceronis jurisdictionem esset. Cellarius.

5. *Ipsis Megalensibus*] Et Megalenses & Romani ludi ad ædiles curules pertinebant: ut in Dione legimus, lib. 39. Dies igitur Megalensium, qui dabantur Aprili mense, Ciceronem admonebat ludorum Romanorum, quos Cælius Septembri mense daturus erat. Manut. De ludis Megalensibus, sive Megalesiis, Livius XXIX. 14. Ovid. Fast. IV. 179. &c.

Digitized by Google

M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. D.

SOLLICITUS equidem eram de rebus urbanis: ita tumultuosæ conciones, ita molestæ [1] Quinquatrus afferebantur. Nam citeriora nondum audiebamus. Sed tamen nihil me magis sollicitabat, quàm in his molestiis non me, si quæ ridenda essent, ridere tecum. Sunt enim multa; sed ea non audeo scribere. Illud molestè fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum literarum. Quare etsi, cùm tu hæc leges, ego jam annuum munus confecero, tamen obviæ mihi velim sint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni republica, ne hospes planè veniam. Hoc meliùs, quàm tu, facere nemo potest. [2] Diogenes tuus, homo modestus, à me cum Philone [3] Pessinunte discessit. Iter habebant ad Dejotarum regem: quanquam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Urbem, urbem, mi Rufe, cole; & in ista luce vive. Omnis peregrinatio (quod ego ab adolescentia judicavi) obscura, & sordida iis, quorum industria Romæ potest illustris esse. Quod cùm probè scirem, utinam in sententia permansissem. Cum una, mehercule, ambulatiuncula, atque uno sermone nostro omnes fructus provinciæ non confero. Spero me integritatis laudem consecutum. Non erat minor ex contemnenda, quàm ex conservata provincia. Spem triumphi? inquis. [4] Satis gloriosè triumpharem, si non essem qui- 12

G 3

ARG. Appropinquante discessu ex provincia, urbem desiderat, cujus fructus provincialibus præfert: & obviam sibi literas mitti postulat. *Anno* U. C. 703.

1. *Quinquatrus*] Dictum fortasse nominandi potius, quàm ut alii putarunt, generandi casu. Mallem tamen, *Quinquatribus*: ut intelligatur dies, quo gestæ sunt res, non quo allatæ, cùm inferat, *Citeriora nondum audiebamus*. Quinquatrus autem, quinque dies festi fuerunt, Minervæ dicati. Ovid. lib. 3. Fast.

> *Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,*
> *Nomina quæ à junctis quinque diebus habent.*

Varro *Quinquatrum diem* ait appellatum, quòd erat post diem quintum Id. Mart. id est, XIV. Kal. Apr. & quanquam ex Ovidio constet, *quinquatrus* fuisse quinque dies: tamen, cùm Cicero *quinquatrus* nominat, non semper eos omnes dies, sed interdum primum duntaxat eorum significat, ut Fam. XII. 25. & ad Att. IX. 9. MANUTIUS.

2. *Diogenes tuus, cum Philone*] Diogenes Græcus, amicus Cælii, non libertus: Philo autem libertus. Epist. 7. lib. VIII. IDEM.

3. *Pessinunte*] Pessinus oppidum Phrygiæ, clarum templo Matris magnæ Deûm, cujus ad urbem Romam translata statua est, ad Ciceronis provinciam pertinuit; qui duas in majore Phrygia διοικήσεις habuit, unam ultra Mæandrum flumen, alteram citra. IDEM.

4. *Satis*] Pro omni triumpho duco, non tamdiu abesse à meis. J. F. GRONOVIUS.

Digitized by Google

quidem tamdiu in desiderio rerum mihi carissimarum. Sed (ut spero) propediem te videbo. Tu mihi obviam mitte epistolas te dignas. Vale.

M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili curuli, S. D.

13 Raras tuas quidem, (fortasse enim non perferuntur) sed suaves accipio literas. Vel quas proximè acceperam, quàm prudentes, quàm multi & officii, & consilii? Etsi omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas; tamen confirmantur nostra consilia, cùm sentimus prudentibus fideliterque suadentibus idem videri. Ego Appium (ut sæpe tecum locutus sum) valde diligo: méque ab eo diligi statim cœptum esse, ut [1] simultatem deposuimus, sensi. Nam & honorificus in me consul fuit, & suavis amicus, & studiosus studiorum etiam meorum. Mea verò officia ei non defuisse, tu es testis: quoniam κωμικὸς μάρτυς (ut opinor) occidit [2] Phania: & mehercule etiam pluris eum feci, quòd te amari ab eo sensi. Jam me [3] Pompeii totum esse scis. [4] Brutum à me amari intelligis. Quid est causæ, cur mihi non sit in optatis complecti hominem, florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis, [5] collegam meum præsertim, & in ipsa [6] collegii laude & scientiâ studiosum mei? Hæc eo pluribus scripsi, quòd mihi significabant tuæ literæ, subdubitare, qua essem erga illum voluntate. Credo [7] te audisse aliquid. Falsum est, mihi crede, si quid audisti. [8] Genus institutorum, & rationum mea-

---

Arg. De literarum infrequentia modestè questus, amicitiam Appii Cælio excusat, & rationibus defendit. Curionis inconstantiam se prævidisse, provinciam rectè confecisse, & urbis desiderio nunc unicè teneri dicit. *Anno* U. C. 703.

1. *Simultatem*] Susceptam ex eo, quòd frater ejus P. Clodius capitali odio à Cicerone diffideret. Manutius.

2. *Phania*] Appii libertus, de quo *Fam.* III. 1. Hunc autem vocat comicum testem, κωμικὸν μάρτυρα, nullam aliam ob causam, quàm ob nomen personis scenicis imponi solitum. Gron. *Obs. Eccl.* cap. 2.

3. *Pompeii*] Cujus filius filiam Appii habebat uxorem. Corradus.

4. *Brutum*] M. Brutum, Appii item generum. Idem.

5. *Collegam meum*] In auguratu. Idem.

6. *Collegii laude*] Cùm scripsit Appius de jure augurali: quos libros ad Ciceronem misit. Itaque hîc subjungit, *Studiosum mei.* Vide epist. 9. & 11. lib. III. Manut.

7. *Te audisse aliquid*] Quasi acta ejus in provincia successor rescidissem, & sic ei me parum æquum & benevolum demonstrassem. J. F. Gronov.

8. *Genus institutorum*] Est quædam diversitas

Digitized by Google

mearum, dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione provinciæ: ex eo quidam suspicati fortasse sunt, animorum contentione, non opinionum dissensione, me ab eo discrepare. Nihil autem feci unquam, neque dixi, quod contra illius existimationem esse vellem. Post hoc negotium autem, & temeritatem nostri [9] Dolabellæ, deprecatorem me pro illius periculo præbeo. Erat in eadem epistola [10] veternus civitatis. Gaudebam sanè, & [11] congelasse nostrum amicum lætabar otio. Extrema pagella pupugit me tuo [12] chirographo. Quid ais? Cæsarem nunc defendit Curio? Quis hoc putaret præter me? Nam, ita vivam, putavi. Dii immortales, quàm ego risum nostrum desidero! Mihi erat in animo, quoniam jurisdictionem confeceram, civitates [13] locupletaram, publicanis etiam [14] superioris lustri reliqua, sine sociorum ulla querela, conservaram, privatis, summis, infimis fueram jucundus, proficisci [15] in Ciliciam nonis Maii: &, cùm prima æstiva attigissem, [16] militarémque rem collocassem, decedere ex senatus-consulto. Cupio te ædilem videre, miróque desiderio me urbs afficit, & omnes mei, túque in primis. Vale.

---

sitas inter meum & illius propositum atque institutum in regenda provincia. IDEM. Hac de re scripsit ipse ad Appium, lib. III. ep. 8. & ad Att. I. 6.

9. *Dolabellæ*] Qui Appium reum fecerat. Vide lib. VIII. epist. 6.

10. *Veternus*] Nimium quoddam otium, & negotiorum intermissio. Epist. 6. lib. VIII. CORRAD.

11. *Congelasse*] Curionem Tribunum pl. adeò nihil movere, ut videatur defixus vel immobilis factus, instar aquæ congelatæ. J. F. GRONOV.

12. *Chirographo*] Cùm in reliqua epistola amanuensis operâ usus esset. MANUT.

13. *Locupletaram*] Qua ratione civitates locupletaverit, ostendit epist. 2. lib. VI. ad Attic. IDEM.

14. *Superioris lustri*] Provinciales homines vectigalia publicanis debebant superioris etiam lustri: quæ ut libenter solverent, Ciceronis operâ & auctoritate factum est. Qua de re in eadem ad Att. ep. IDEM.

15. *In Ciliciam*] Ut ibi reliquam jurisdictionem absolveret. IDEM.

16. *Militarémque rem collocassem*] Erat enim præsidium relinquendum, si quid Parthi conarentur. IDEM.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. D.

MARCO Fabio, viro optimo & homine doctissimo, familiarissimè utor, mirificéque eum diligo, cùm propter summum ingenium ejus, summámque doctrinam, tum propter singularem 14

ARG. M. Fabium commendat diligenter: de urbanis rebus literas expectat. *An.* U.C. 703.

Digitized by Google

gularem modeſtiam. [1] Ejus negotium ſic velim ſuſcipias, ut ſi eſſet res mea. Novi ego vos [2] magnos patronos: hominem occidat oportet, qui veſtrâ operâ uti velit. Sed in hoc homine nullam accipio excuſationem. Omnia relinques, ſi me amabis, cùm tuâ operâ Fabius uti volet. Ego res Romanas vehementer expecto, & deſidero: in primiſque quid agas, ſcire cupio. Nam jamdiu, propter hiemis magnitudinem, nihil novi ad nos afferebatur. Vale.

1. *Ejus negotium*] De Herculanenſi fundo, quem proſcriptum à fratre Q. Fabio eſſe, cum quo communem habebat, in Aſia audivit. Lib. IX. epiſt. 25. Cellar.

2. *Magnos patronos*] Jocatur, Cælium in magnis cauſidicis ponens, qui leviores cauſas, ut Fabii erat, non ſuſcipiunt, ſed homicidii, majeſtatis, magnorúmque criminum reos tueantur. Idem. Ut epiſt. 11. cùm dixit, *iſta veſtra oratoria*.

M. T. C. Imp. M. Cælio, Ædili curuli, S. P. D.

15 Non potuit accuratiùs agi, nec prudentiùs, quàm actum eſt à te cum Curione de [1] ſupplicatione: &, mehercule, confecta res ex ſententia mea eſt, cùm celeritate, tum quòd [2] is qui erat iratus, competitor tuus, & idem meus, aſſenſus eſt [3] ei, qui ornavit res noſtras divinis laudibus. Quare ſcito me ſperare ea [4] quæ ſequuntur: ad quæ tu te para. Dolabellam à te gaudeo primùm laudari, deinde etiam amari. Nam ea,

Arg. Ad plures Cælii epiſtolas reſpondet, præſertim XI. & XIII. libri octavi: hoc eſt de ſupplicatione, de filiæ & Dolabellæ nuptiis: quibus addit de quæſtore Cælio provinciæ præfecto: de Ocella, & aliis. *Anno* U. C. 703.

1. *Supplicatione*] Diis decernendâ, Ciceronis nomine, pro victoria.

2. *Is*] Hirrus, Ciceronis competitor in Auguratu, & Cælii in Tribunatu.

3. *Ei*] M. Catoni. Manutius.

4. *Quæ ſequuntur*] Triumphum ſignificat: qui pleriſque poſt ſupplicationem dabatur. Idem.

5. *Ea*] Vitia quædam Dolabellæ, quibus illum ſibi antea parum utilem fuiſſe, & emendatum iri pudore Tulliæ, ſcripſerat Cælius. Idem.

6. *Cui tua epiſtolæ reſpondeant*] *Reſpondere* valet hîc, conſentire, convenire. Scio, cum qua congruat hæc epiſtola. Eſt autem ordo: Scio, cui tuæ epiſtolæ reſpondeant ea, quæ ſcribis Tulliæ meæ prudentiâ temperari poſſe. Ut dandi caſu, *Tuæ epiſtolæ*, dictum ſit, non nominandi, ut acceperunt ii, qui elegantiſſimum loquendi genus non agnoverunt: unde temeritas, mutandíque libido nata eſt. Idem.

7. *Ex tuis literis*] Senſus eſt: Cujus argumentum petii & hauſi ex tuis literis.

8. *Honeſtum*] Hoc eſt: Volo Cæſaris dignitatem ſalvam & inviolatam manere. Grævius.

9. *In qua tu non valde te jactas*] In qua tu non multum laboras & contendis, non multum ejus rebus & negotiis te immiſces, ſed quieſcis quaſi. Cælius ad Ciceronem VIII. ad Fam. 10. *Curionem video dupli-*

Digitized by Google

[5] ea, quæ ſperas Tulliæ meæ prudentiâ temperari poſſe, ſcio, [6] cui tuæ epiſtolæ reſpondeant. Quid ſi meam legas, quam ego tum [7] ex tuis literis miſi ad Appium? Sed quid agas? Sic vivitur. Quod actum eſt, dii approbent. Spero fore jucundum generum nobis: multúmque in eo tua nos humanitas adjuvabit. Reſpublica me valde ſollicitat: faveo Curioni: Cæſarem [8] honeſtum eſſe cupio: pro Pompeio emori poſſum. Sed tamen ipsâ republicâ nihil mihi eſt carius: [9] in qua tu non valde te jactas. Diſtrictus enim mihi videris eſſe, quòd & bonus civis, & bonus amicus es. Ego de provincia decedens quæſtorem [10] Cælium præpoſui provinciæ. Puerum? inquies. At quæſtorem, at nobilem adoleſcentem, at [11] omnium ferè exemplo: neque erat ſuperiore honore uſus, quem præficerem. [12] Pontinius multo antè diſceſſerat. A Quinto fratre impetrari non poterat: quem tamen ſi reliquiſſem, dicerent iniqui, non me planè poſt annum, ut ſenatus voluiſſet, de provincia deceſſiſſe: quoniam alterum me reliquiſſem. Fortaſſe etiam illud adderent, ſenatum eos voluiſſe provinciis præeſſe, qui antea non præfuiſſent: fratrem meum triennium Aſiæ præfuiſſe. Denique nunc ſollicitus non ſum: ſi fratrem reliquiſſem, omnia timerem. Poſtremò non tam meâ ſponte, quàm potentiſſimorum [13] duorum exemplo, qui [14] omnes Caſſios Antonióſque [15] complexi ſunt, hominem ado-

dupliciter ſe jactaturum: primùm ut aliquid Cæſari adimat, deinde ut aliquid Pompeio tribuat. Idem.

10. *Cælium*] C. Cælium, ad quem ſcribit epiſtolam ultimam hujus libri. Man.

11. *Omnium ferè exemplo*] Plerique enim, de provincia decedentes, præponere quæſtorem ſolebant. Epiſt. 18. Idem.

12. *Pontinius*] Qui legatus fuerat Ciceronis, & Cælium honore ſuperabat, non quòd legatus, ſed quòd præturam geſſerat, atque etiam de Allobrogibus triumphaverat. Idem. Aliàs *Pontinus.*

13. *Duorum*] Pompeii, & Cæſaris.

14. *Omnes Caſſios Antonióſque*] Q. Caſſium Longinum, Pompeii in Hiſpania Quæſtorem intelligit, & M. Antonium in Hiſpania Cæſaris Quæſtorem: auctore Dione lib. XLV. Corradus.

15. *Complexi ſunt*] Sunt qui in ſenſu horum verborum tradendo non parum decepti ſint: non enim narrat Cicero, ſe idcirco Cælium præpoſuiſſe provinciæ, quòd vellet ſibi gratiam reliquorum ejuſdem familiæ conciliare, neque arbitratur Pompeium & Cæſarem id conſilium in præficiendis Quæſtoribus ſequutos fuiſſe: ſed inquit, ſe id penè feciſſe coactum exemplo potentiſſimorum virorum, qui Quæſtores ſuos omni ratione qua potuerunt, ornarunt, & illorum gratiam omni benevolentiæ genere iniverunt: id enim eſt *complexi ſunt.* Niſi enim Quæſtorem & ipſe præpoſuiſſet, timebat illum iratum, qui iniquo animo tuliſſet ſe honorem illum à Cicerone impetrare non potuiſſe, quem antea Quæſtores Caſſius & Antonius à ſuis procoſſ. & Impp. accepiſſent. Victorius.

Digitized by Google

adolescentem non tam allicere volui, quàm alienare nolui. Hoc tu meum consilium laudes necesse est: mutari enim non potest. [16] De Ocella parùm ad me planè scripseras: & [17] in actis non erat. Tuæ res gestæ ita notæ sunt, ut trans montem Taurum etiam de [18] Matrinio sit auditum. Ego, nisi quid me Etesiæ morabuntur, celeriter (ut spero) vos videbo. Vale.

16. *De Ocella*] Vide lib. VIII. ep. 7.

17. *In actis*] Quibus urbanæ res singulorum dierum scribebantur. MANUT.

18. *Matrinio*] Qua de re agatur, interpretes non docent: sed volunt hunc fuisse ædilitium Cælii scribam.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. P. D.

16 MAGNO dolore me affecissent [1] tuæ literæ, nisi jam & ratio ipsa depulisset omnes molestias, & diuturnâ desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem novum. Sed tamen, quare acciderit, ut ex meis superioribus literis id suspicarere, quod scribis, nescio. Quid enim fuit in illis præter querelam temporum, quæ non animum meum magis sollicitum haberet, quàm tuum? Nam non eam cognovi aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id ut non putem videre. Illud miror, adduci potuisse te, qui me penitus nosse deberes, ut me existimares aut tam improvidum, qui [2] ab excitata fortuna ad inclinatam & propè jacentem desciscerem: aut tam inconstantem, ut collectam gratiam [3] florentissimi hominis effunderem, à méque ipse deficerem, &, quod initio, sempérque fugi, civili bello interessem. Quod est igitur meum triste consilium? ut discederem fortasse in aliquas solitudines? Nosti enim non modò stomachi mei, cujus tu similem quondam habebas, sed etiam oculo-

ARG. Cicero ex provincia regressus, Cælio videbatur nimium ad Pompeium propendere, quod dissuasit epist. 16. lib. VIII. cui Cicero respondet, se pacem & otium malle, quàm castra sequi; etiam causas sinisterioris suspicionis ostendit, & refutat. *Anno* U. C. 704.

1. *Tuæ literæ*] Lib. VIII. epist. 16.

2. *Ab excitata fortuna ad inclinatam*] Excitatâ Cæsaris, inclinatam Pompeii: cùm Cæsar Italiam, ejecto Pompeio, teneret. MANUTIUS.

3. *Florentissimi hominis*] Cæsaris.

4. *Noménque imperii*] Nomen imperatoris, quod victoriâ meruerat: lictorésque & fasces laureati. CELLAR.

5. *De profectione*] Ad Pompeium, in Græciam. Jam enim mare transierat. MAN.

6. *Prædiola*] Propinqua mari: de quibus vide epist. 14. & 28. lib. XIV. IDEM.

Digitized by Google

oculorum, in hominum insolentium indignitate, fastidium. Accedit etiam molesta hæc pompa lictorum meorum, [4] noménque imperii, quo appellor. Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem. Sed incurrit hæc nostra laurus non solùm in oculos, sed jam etiam in voculas malevolorum. Quod cùm ita esset, nihil tamen unquam [5] de profectione, nisi vobis approbantibus, cogitavi. Sed mea [6] prædiola tibi nota sunt: in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. [7] Quòd autem in maritimis facillimè sum; moveo nonnullis suspicionem, velle me navigare: quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium. Nam ad bellum quidem quî convenit? præsertim [8] contra eum, cui spero me [9] satisfecisse: [10] ab eo, cui tamen satisfieri nullo modo potest? Deinde sententiam meam tu facillimè perspicere potuisti jam ab illo tempore, cùm in Cumanum mihi obviam venisti. Non enim te celavi sermonem [11] T. Ampii: vidisti, quàm abhorrerem ab urbe relinquenda, cùm audissem. Nónne tibi affirmavi, quidvis me potiùs perpessurum, quàm ex Italia ad bellum civile exiturum? Quid ergo accidit, cur consilium mutarem? nónne omnia potiùs, ut in sententia permanerem? Credas hoc mihi velim, quod puto te existimare, me ex his miseriis nihil aliud quærere, nisi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluisse, quàm pacem: eâ desperatâ, nihil tam fugisse, quàm arma civilia. Hujus me constantiæ puto fore ut nunquam pœniteat. Etenim memini, in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum Q. Hortensium, quòd nunquam bello civili interfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior, quòd illi tribuebatur ignaviæ: de nobis id existimari posse non arbitror. Nec me ista terrent, quæ mihi à te ad timorem

7. *Quòd .... facillimè*] Id est, quòd in maritimis prædiis libenter maneo, quòd valde delector villis meis, quæ mari propinquæ sunt: non existimantes me id facere inductione animi, suspicantur me id facere quòd navigationem expectem, & hinc avolare cupiam. CORRADUS.

8. *Contra eum*] Cæsarem. MANUTIUS.

9. *Satisfecisse*] Quòd adhuc me cum Pompeio non conjunxerim, nec interesse bello voluerim. IDEM.

10. *Ab eo*] Et in quo standum mihi esset ab eo, vel ab ejus partibus, nempe Pompeio. J. F. GRONOVIUS. Fortasse; *ad eum*, scilicet, Pompeium, cui satisfacere nunc non possum, quia nimis serò venio. GRÆV.

11. *T. Ampii*] Balbi, ad quem scribit lib. VI. epist. 12. Cujus sermo haud dubiè minax & immoderatus de bello utique gerendo. Unde Cæsariani hunc T. Ampium *Tubam belli civilis* post victoriam appellabant. J. F. GRONOVIUS.

Digitized by Google

morem fidissimè, atque amantissimè proponuntur. Nulla est enim acerbitas, quæ non omnibus, hac orbis terrarum perturbatione, impendêre videatur: quam quidem ego à republica meis privatis & domesticis incommodis libentissimè, vel istis ipsis, quæ tu me mones ut caveam, redemissem. Filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si erit ulla respublica, satis amplum patrimonium relinquam in memoria nominis mei. Sin autem nulla erit: nihil accidet ei separatim à reliquis civibus. Nam quod rogas, ut respiciam generum meum, adolescentem optimum, mihíque carissimum: an dubitas, cùm scias, quanti cùm illum, tum verò Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissimè sollicitet? & eò magis, quòd in communibus miseriis hac tantum oblectabar specula, Dolabellam meum, vel potiùs nostrum, fore ab iis molestiis, quas [12] libertate sua contraxerat, liberum. Velim quæras, quos ille dies sustinuerit, in urbe dum fuit, quàm acerbos sibi, quàm mihi ipsi socero non honestos. Itaque neque ego hunc [13] Hispaniensem casum expecto, de quo mihi exploratum est ita esse, ut tu scribis: nec quidquam [14] astutè cogito. Si quando erit civitas, erit profectò nobis locus. Sin autem non erit, in easdem solitudines tu ipse (ut arbitror) venies, in quibus nos consedisse audies. Sed ego fortasse vaticinor, & hæc omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me. Eos ego fortassè nunc imitor, & utor ætatis vitio. Velim ita sit. Sed tamen [15] togam prætextam texi Oppio puto te audisse. Nam Curtius noster [16] dibaphum cogitat; sed eum [17] infector

---

12. *Libertate*] Accusatione Appii Pulchri, quâ Pompeium, Brutum, aliósque offenderat. Sic legunt & interpretantur Lambinus, Grævius, Cellarius. Alii verò legunt *liberalitate*. Erit liber Dolabella, inquit J. F. Gronovius, ab iis molestiis, hoc est, à vexantibus creditoribus, propter æs alienum, cui eum immodici sumptus illigarant. Cessabant enim judicia bello civili. Sic Manutius quoque.

13. *Hispaniensem casum*] Eventum belli Cæsaris contra Pompeii in Hispania legatos, Afranium & Petreium. CELLAR.

14. *Astutè*] Astutè agerem, si exitum Hispaniensis belli expectarem, ut ex eo vel manendi, vel discedendi consilium caperem; manendi, si Cæsar vinceret; discedendi, si duriore fortunâ idem uteretur. MAN.

15. *Togam prætextam*] Vestem consularem. Parari consulatum Oppio uni comitum Cæsaris: quem salvâ Rep. non erat habiturus. J. F. GRONOV.

16. *Dibaphum*] Auguratum arbitror. MAN.

17. *Infector*] Vel de Cæsare dicitur, vel de

Digitized by Google

fector moratur. Hoc adſperſi, ut ſcires me tamen in ſtomacho ſolere ridere. Dolabellæ, quod ſcripſi, [18] ſuadeo videas, tanquam ſi tua res agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temerè faciemus. Te tamen oramus, quibuſcunque erimus in terris, ut nos, liberóſque noſtros ita tueare, ut amicitia noſtra & tua fides poſtulabit. Vale.

de ipſo populo, cujus ſuffragiis hoc tempore auguratus dabatur lege, quam tulerat T. Atius Labienus. IDEM.

18. *Suadeo videas*] Velim cures.

M. T. C. IMP. CANINIO SALLUSTIO PROQUÆSTORI S. D.

LITERAS à te mihi ſtator tuus reddidit Tarſi ante diem XVI. kal. Sextiles. His ergo ordine, ut videris velle, reſpondebo. De ſucceſſore meo nihil audivi, nec quemquam fore arbitror. Quin ad diem decedam, nulla cauſa eſt, præſertim ſublato metu Parthico. Commoraturum me nuſquam ſanè arbitror. Rhodum, Ciceronum cauſâ puerorum, acceſſurum puto: neque id tamen certum. Ad urbem volo quàm primùm venire: ſed tamen iter meum, reipublicæ & rerum urbanarum ratio gubernabit. Succeſſor tuus non poteſt ita maturare ullo modo, ut tu me in Aſia poſſis convenire. [1] De rationibus referendis, non erat incommodum te nullam referre; quam tibi ſcribis à Bibulo fieri poteſtatem. Sed id vix mihi videris per legem Juliam facere poſſe: quam Bibulus certa quadam ratione non ſervat: tibi magnopere ſervandam cenſeo. Quod ſcribis, Apameâ præſidium deduci non oportuiſſe, videbam idem cæteros exiſtimare: moleſtéque ferebam, de ea re [2] minùs commodos ſermones malevolorum fuiſſe. Parthi tranſierint, nécne, præter te video dubitare neminem. Itaque omnia præſidia, quæ magna & firma paraveram, commotus hominum non dubio 17

 ſermo-

ARG. Salluſtii, qui Bibuli proconſulis Syriæ quæſtor erat, binis literis reſpondet: prioribus, ad ſingula eo ordine quo rogaverat: poſterioribus, cauſas exponendo, quare illum Bibulo commendare non debeat; cui tamen morem gerit. *Anno* U. C. 703.

1. *De rationibus referendis*] Lex Julia, quam C. Julius Cæſar conſul tulerat, provinciarum rationes referri jubebat. Eam legem, quia contra auſpicia lata eſſet, Bibulus, Cæſaris inimicus, ſervare nolebat: quem Salluſtius decreverat imitari. Ep. 20. lib. V. & orat. in Piſonem. MANUT.

2. *Minùs commodos*] Cum aliqua contumelia, parum gratos. IDEM.

Digitized by Google

ſermone dimiſi. Rationes mei quæſtoris, nec verum fuit me tibi mittere, nec tamen erant confectæ. Eas nos Apameæ deponere cogitabamus. De præda mea, præter [3] quæſtores urbanos, id eſt, populum Romanum, teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquam. Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, ut & mihi & populo cautum ſit ſine vecturæ periculo. Quod ſcribis ad me de drachmis CCCIↃↃↃ; nihil eſt quod in iſto genere cuiquam poſſim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut præda, à præfectis: quæ autem mihi attributa eſt, à quæſtore curetur. Quod quæris, quid exiſtimem de legionibus, quæ decretæ ſunt in Syriam: antea dubitabam venturæne eſſent; nunc mihi non eſt dubium, quin, ſi antea auditum erit otium eſſe in Syria, venturæ non ſint. Marium quidem ſucceſſorem tardè video eſſe venturum; propterea quòd ſenatus ita decrevit, ut cum legionibus iret. Uni epiſtolæ reſpondi: venio ad alteram. Petis, ut Bibulo te quàm diligentiſſimè commendem: in quo mihi voluntas non deeſt: ſed locus eſſe videtur tecum expoſtulandi. Solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo ſunt, certiorem me nunquam feciſti, quàm valde Bibuli voluntas à me ſine cauſa abhorreret. Permulti enim ad me detulerunt, cùm magnus Antiochiæ metus eſſet, & magna ſpes in me, atque in exercitu meo, ſolitum dicere, quidvis ſe perpeti malle, quàm videri eguiſſe auxilio meo. Quod ego officio quæſtorio te adductum reticere de prætore tuo, non moleſtè ferebam: quanquam, quemadmodum tractarere, audiebam. Ille autem, cùm ad Thermum de Parthico bello ſcriberet, ad me literam nunquam miſit: ad quem intelligebat ejus belli periculum pertinere. Tantùm de auguratu filii ſui ſcripſit ad me: in quo ego [4] miſericordiâ commotus, & quòd ſemper amiciſſimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quàm humaniſſimè ſcriberem. Ille ſi omnibus eſt malevolus, (quod nunquam exiſtimavi) minùs offendor in me: ſin autem à me eſt alienior, nihil tibi meæ literæ proderunt. Nam ad ſenatum quas Bibu-

3. *Quæſtores urbanos*] Ad quos, Romam reverſus, prædam in bello factam deferre cogitabat. Hoc modo conjungendum: Præter quæſtores urbanos, ne teruncium quidem tacturus eſt quiſquam. MANUT.

4. *Miſericordia*] Bibulo duobus filiis orbato. De quibus Val. Max. IV. I. IDEM.

Digitized by Google

Bibulus literas misit, in iis, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit: se ait curasse, ut cum quæstu populi pecunia [5] permutaretur. Quod autem meum erat proprium, ut [6] alariis [7] Transpadanis uti negarem, id etiam populo se remisisse scribit. Quod verò illius erat solius, id mecum communicat: *Equitibus auxiliariis*, inquit, *cùm amplius frumenti* [8] *postularemus*. Illud verò pusilli animi, & ipsâ malevolentiâ jejuni atque inanis, quòd [9] Ariobarzanem, quia senatus per me regem appellavit, mihíque commendavit, iste in literis non regem, sed regis [10] Ariobarzanis filium appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati. Sed tibi morem gessi: literas ad eum scripsi, quas cùm acceperis, facies quod voles. Vale.

5. *Permutaretur*] Alibi solvatur.

6. *Alariis*] Erant in exercitu duo genera equitum, legionarii, & auxiliares. *Alarii* dicebantur auxiliares, quòd iis, tanquam alis, pedites tegerentur. Cincius apud Gellium: *Aiæ dictæ exercitus, equitum ordines; quòd circum legiones dextrâ sinistrâque, tanquam alæ avium corporibus, locabantur.* Et Servius in illud Virg. lib. 4. Æn. *Dum trepidant alæ*: subjunxit hæc: *Alæ, equites, ob hoc* alæ *dicti, quia pedites tegunt alarum vice.* MANUTIUS.

7. *Transpadanis*] Trans Padum lectis, ut contra Parthos mitterentur. IDEM.

8. *Postularemus*] Quod suo & Ciceronis nomine loquebatur Bibulus, id Ciceroni displicet, qui commeatum suis militibus suppeditarat. QUARTERIUS.

9. *Ariobarzanem*] Regem Cappadociæ, Cicerone consule referente appellatum. ID.

10. *Ariobarzanis*] Quem Mithridates regno bis expulit; quem Romani bis restituerunt; semel Sylla, iterum Pompeius. IDEM.

M. T. C. IMPERATOR Q. THERMO PROPRÆTORI S. D.

OFFICIUM meum erga Rhodonem, cæteráque mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo: mihíque scito in dies majori curæ esse dignitatem tuam: quæ quidem à te ipso integritate & clementiâ tuâ sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur. Sed mihi, magis magísque quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me venit, ostendi: graves te suscepturum inimicitias, si adolescens potens & nobilis à te [1] ignominiâ affectus esset. Et hercle 18

ARG. Asiæ proprætori suadet, ut decedens quæstorem potiùs, quàm legatum, provinciæ præficiat. *Anno* U. C. 703.

1. *Ignominiâ*] Si provinciæ non præponatur, cùm decedes. Nam quæstor legatos honoris gradu superabat. MANUT.

Digitized by Google

cle ſine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipſo vincit viros optimos, hominéſque innocentiſſimos, legatos tuos, quòd & quæſtor eſt, & quæſtor tuus. Nocere tibi iratum [2] neminem poſſe perſpicio: ſed tamen tres fratres ſummo loco natos, promptos, non indiſertos, te nolo habere iratos, jure præſertim, quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore. Tempora autem reipublicæ qualia futura ſint, quis ſcit? Mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores tribunitios, præſertim cùm ſine cujuſquam reprehenſione quæſtoriis legatis quæſtorem poſſis anteferre? Qui ſi dignum ſe majoribus ſuis præbuerit (ut ſpero, & opto) tua laus ex aliqua parte fuerit: ſin quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi veniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quòd [3] in Ciliciam proficiſcebar, exiſtimavi me ad te oportere ſcribere. Tu quod egeris id velim dii approbent. Sed, ſi me audies, vitabis inimicitias, & [4] poſteritatis otio conſules. Vale.

2. *Neminem*] Legatorum. CELLARIUS.

3. *In Ciliciam*] Erat igitur in Aſia; cujus tres diœceſes provinciæ ſuæ attributas eſſe, ſcribit epiſt. 67. lib. XIII. Erat autem Laodiceæ, ubi manſit ad Idus Maii: quod ſignificat epiſt. ult. lib. V. ad Att. & 2. lib. VI. ad eundem. Ergo ſcripta eſt epiſtola non quibus conſulibus Cicero ivit in provinciam, Sulpicio & Marcello, ſed quibus deceſſit, Paulo & Marcello. MANUT.

4. *Poſteritatis otio*] Poſteri temporis otio. *Poſteritas* enim non ſolùm poſteros, verùm etiam poſterum tempus oſtendit: ut Orat. I. in Catilinam: *Si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris; video, quanta tempeſtas invidiæ nobis, ſi minùs in præſens tempus, recenti memoriâ ſcelerum tuorum, at in poſteritatem impendeat.* Et infrà ibidem: *An invidiam poſteritatis times?* IDEM.

M. T. C. IMP. C. COELIO L. F. C. N. CALDO, QUÆST. DES. S. D.

19 CUM optatiſſimum nuntium accepiſſem, te mihi quæſtorem obtigiſſe; eò jucundiorem mihi eam ſortem ſperabam fore, quò diutiùs in provincia mecum fuiſſes. Magni enim videbatur intereſſe, ad eam neceſſitudinem, quam nobis ſors tribuiſſet, conſuetudinem quoque accedere. Poſteaquàm mihi nihil

ARGUMENTUM. C. Cælium, quæſtorem ſibi ſorte datum, hortatur, ut feſtinet ad ſe venire, antequam ipſe decedat. *Anno U. C. 703.*

Digitized by Google

nihil neque à te ipſo, neque ab ullo alio de adventu tuo ſcriberetur, verebar ne id ita caderet, (quod etiam nunc vereor) ne antè, quàm tu in provinciam veniſſes, ego de provincia decederem. Accepi autem à te miſſas literas in Cilicia, cùm eſſem in caſtris, ante diem x. kal. Quintiles, ſcriptas humaniſſimè, quibus facilè & officium & ingenium tuum perſpici poſſet. Sed neque unde, neque quo die datæ eſſent, atque quo tempore te expectarem, ſignificabant: nec is, qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo ſcirem quo ex loco, & quo tempore eſſent datæ. Quæ cùm eſſent incerta, exiſtimavi tamen eſſe faciendum, ut ad te ſtatores meos & lictores cum literis mitterem: quas ſi ſatis opportuno tempore accepiſti, gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me in Ciliciam quamprimùm veneris. Nam quod ad me Curius, conſobrinus tuus, mihi (ut ſcis) maximè neceſſarius, quod item C. Virgilius propinquus tuus, familiariſſimus noſter, de te accuratiſſimè ſcripſit, valet id quidem apud me multùm, ſicuti debet hominum amiciſſimorum diligens commendatio: ſed tuæ literæ, de tua præſertim dignitate & de noſtra conjunctione, maximi ſunt apud me ponderis. Mihi quæſtor optatior obtingere nemo potuit. Quamobrem [1] quæcunque à me ornamenta in te proficiſcentur, ut omnes intelligant, à me habitam eſſe rationem tuæ majorúmque tuorum dignitatis. Sed id faciliùs conſequar, ſi ad me in Ciliciam veneris: quod ego & mea, & reipublicæ, & [2] maximè tua intereſſe arbitror. Vale.

---

1. *Quæcunque*] Alibi ponitur pro, *Omnia quæ*, ſubſequentibus duobus verbis, ut, Quæcunque facis, mihi grata ſunt: hic pro *Omnia*, ſimpliciter, unico ſubjuncto verbo: quidquid garriat inepta Grammaticorum turba. Ubi enim eorum auctoritate, qui Latini ſermonis uſu & ſcientiâ floruerunt, probari aliquid poſſe video; quiſquilias contemno. Sic ad Att. epiſt. 21. lib. III. *Te oro, ut, ſi quid erit, quod perſpicias, quamcunque in partem, quàm planiſſimè ad me ſcribas.* Et in Catilinam orat. 2. *Quæ ſanari poterunt, quacunque ratione ſanabo.* De Oratore: *Permultos excellentes in quocunque genere videbis.* MANUT.

2. *Maximè tua*] Quia cogitabat eum decedens provinciæ præponere, (*Ep.* 15. *& ad Att. Epiſt.* 4. *l.* VI.) cùm de quæſtore Meſcinio bene non exiſtimaret, ut ibidem oſtendit; & epiſt. 3. ejuſdem libri. IDEM.

Digitized by Google

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER III.

M. T. C. [1] APPIO [2] PULCHRO IMP. S. D.

1 SI ipsa respublica tibi narrare posset quo modo sese haberet, non faciliùs ex ea cognoscere posses, quàm ex liberto tuo Phania: ita est homo non modò prudens, verùm etiam (quod [3] juvet) curiosus. Quapropter ille tibi omnia explanabit. Id enim mihi & ad brevitatem est aptius, & ad reliquas res [4] providentius. De mea autem benevolentia erga te, etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamen videntur etiam aliquæ meæ partes. Sic est, tibi persuade, carissimum te mihi esse, cùm propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatis tuæ, tum quòd ex tuis literis & ex multorum sermonibus intelligo, omnia quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cùm ita sit, perficiam profectò,

ARGUMENTUM. Appio Pulchro brevitatem excusat, quòd Phanias, ejus libertus, omnia narraturus sit, quem æquè, ut ipsum Appium, laudat, nec non Cilicem, alterum libertum. Tandem Valerium jurisconsultum commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Appio*] Ejus App. Clodii filio, qui cum P. Servilio Isaurico consul fuerat, anno urbis DCLXXIV. MANUT.

2. *Pulchro*] Gentis Claudiæ fuere Pulchri, Nerones, Marcelli; patricii Pulchri & Nerones, plebeii Marcelli. Quod Asconius alíique tradiderunt. Nobilitatam hanc gentem duobus de triginta consulatibus, dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duabus ovationibus, in Tiberii vita Suetonius dixit. IDEM.

3. *Juvet*] Alii, *quod vidi*.

4. *Providentius*] Dixit, pro, majoris cautionis. Possunt enim in alienas manus literæ pervenire. IDEM.

Digitized by Google

fectò, ut longi temporis usuram, quâ [5] caruimus, intermissâ nostrâ consuetudine & gratiâ, & celebritate & magnitudine officiorum meorum sarciam: ídque me (quoniam tu ita vis) puto [6] non invitâ Minervâ esse facturum: quam quidem ego, si fortè [7] de tuis sumpsero, non solùm Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minùs fuit notus: sed ut mihi reddidit à te literas plenas & amoris, & officii, mirificè ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarum. Jucunda mihi ejus oratio fuit, cùm de animo tuo, cùm de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? biduo factus est mihi familiaris: ita tamen ut Phaniam valde sim desideraturus; quem cùm Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus, omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim. L. Valerium jurisconsultum valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est jurisconsultus. [8] Meliùs enim ei cavere

5. *Caruimus*] Ob inimicitias P. Clodii, Appii fratris, qui anno proximo perierat, à Milone interfectus. MAN.

6. *Non invitâ Minervâ*] Haud imperitè, cum benevolentibus Diis, atque adeò non infeliciter. Simul alludit ad vulgare proverbium, quo & utitur lib. I. Off. 31. & XII. fam. epist. 21. & quòd ipse Minervæ, ut patronæ ac peculiaris Deæ, consilio Catilinariam conjurationem extinxisse videri volebat, dedicaveràtque in Capitolio signum: ΑΘΗΝΑ ΡΩΜΗΣ ΦΥΛΑΚΙ. Vide Plutarch. in Cic. vit. Unde & inimici objiciebant, quasi gloriaretur Minervam omnes eum artes docuisse, ut apparet ex declam. sub nomine Sallustii. Sed latet *ἀλληγορικόν τι*. Nam si priora inspicias, *Non invitâ Minervâ* est approbante ipsa Rep. quasi adderet, quod priùs non poteram, cùm tu hostem Reip. & bonorum fratrem tuum foveres. Ille autem tum, cùm hæc scribebantur, jam perierat, quippe A. U. C. DCCI, Pompeio III. sine collega, à Milone occisus. Sed hoc ne nimiùm pateret, offenderétque Appium, subjungit, quæ sequuntur: ad quæ si referas *τὸ non invitâ Minervâ*, explicari potest, non sine literis nostris; & tacitè promittit, se eum honoraturum dedicatione alicujus scripti, perinde ut Appius ad Ciceronem de Auguratu scripserat. J. F. GRON.

7. *De tuis sumpsero*] Ambiguum relinquit, monumentis intelligi, velit, an literis vel scriptis. Erat monumentum Clodiorum in foro, in quo essent statuæ Dearum, & ut videtur, inter illas Minervæ, quæ *Appiades* dicebantur. Ovidius III. de Arte, v. 452. *Appiadésque Deæ*; & I. de Arte, vers. 81. de Remedio, vers. 660. Convenit etiam intelligere *literis*. Quasi enim sibi domi non esset Minerva, sed contrà curta scribendi supellex, dicit se ab Appio Minervam mutuam sumpturum, hoc est, ex illius scriptis animum, & facultatem scribendi (ut poetæ ex Homero, quasi quodam Helicone) accepturum, & deinde Deam, quæ subministraverit ingenium sibi, non Pallada, sed Appiada vocaturum, quippe quam Appio deberet. IDEM.

8. *Meliùs enim ei cavere*] Hoc dicit: Ego volo ei cavere, ne, si non Jurisconsultus esse appareat, hoc ei sit fraudi apud te, & dedecori. Notissimum enim est propriè Jurisconsultos dici *cavere alicui*, cùm provident consilio, scriptóve, sollemnibúsque formulis

Digitized by Google

volo, quàm ipse aliis solet. Valde hominem diligo. Est ex meis domesticis atque intimis familiaribus. Omnino tibi agit gratias: sed idem scribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. Id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale.

mulis instruendo, ne quis in contrahendo decipiatur. Ovid. de Arte am.

Illo sæpe loco capitur consultus amore,

Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.

GRÆVIUS.

M. T. C. PROCONSUL APPIO PULCHRO IMP. S. D.

2 CUM & [1] contra voluntatem meam, & præter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset, in multis & variis molestiis, cogitationibúsque meis, hæc una consolatio occurrebat, quòd neque tibi amicior, quàm ego sum, quisquam posset succedere, neque ego ab ullo provinciam accipere, qui mallet eam mihi quàm maximè aptam explicatámque tradere. Quòd si tu quoque eandem de mea voluntate erga te spem habes, ea te profectò nunquam fallet. A te maximo opere, pro nostra summa conjunctione, tuáque singulari humanitate, etiam atque etiam quæso, & peto, ut quibuscunque rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias, & consulas rationibus meis. Vides ex senatus-consulto provinciam esse habendam. Si eam (quoad ejus facere potueris) quàm expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. Quid in eo genere efficere possis, tui consilii est. Ego te, quod tibi veniet in mentem mea interesse, valde rogo. Pluribus verbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem expectaret, aut id fieri nostra amicitia pateretur, aut res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus meis provisum esse intellexero, magnam te ex eo & perpetuam [2] voluptatem esse capturum. Vale.

M. T.

ARG. Ciliciam provinciam sortitus, Appium ex ea decessurum rogat, ut sibi eam quàm maximè aptam explicatámque tradat. *Anno* U. C. 702.

1. *Contra voluntatem meam*] Deposuit enim provinciam consul, qua de re in ep. 2. lib. V. Ad Catonem verò epist. 4. lib. XV. *Provinciam ornatam, & spem triumphi non dubiam neglexi.* MANUT. Vide Orationem quartam in Catil. initio.

2. *Voluptatem*] Cùm officii me tui memorem, gratúmque cognosces. IDEM.

Digitized by Google

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

ANTE diem XI. kalendas Junias Brundusium cùm venissem, 3
Q. Fabius, legatus tuus, mihi præstò fuit, eáque me ex tuis mandatis monuit, quæ non modò mihi, ad quem pertinebant, sed universo senatui venerant in mentem; [1] præsidio firmiori opus esse ad istam provinciam: censebant enim omnes ferè, ut in Italia supplementum meis & [2] Bibuli [3] legionibus scriberetur. Id cùm Sulpicius consul passurum se negaret, multa nos quidem questi sumus; sed tantus consensus senatûs fuit, ut maturè proficisceremur, parendum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc, quod à te petii literis iis, quas Romæ tabellariis tuis dedi, velim tibi curæ sit, ut quæ successori conjunctissimo & amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit, ea pro nostra consociatissima voluntate, curâ ac diligentiâ tuâ complectare: ut omnes intelligant, nec me benevolentiori cuiquam succedere, nec te amiciori potuisse provinciam tradere. Ex iis literis, quarum ad me exemplum misisti, quas in senatu recitari voluisti, sic intellexeram permultos à te milites esse dimissos: sed mihi Fabius idem demonstravit, id te cogitasse facere; sed, cùm ipse à te discederet, [4] integrum militum numerum fuisse. Id si ita est, pergratum mihi feceris, si istas exiguas copias, quas habuisti, quàm minimè imminueris: qua de re senatusconsulta, quæ facta sunt, ad te missa esse arbitror. Equidem pro eo quanti te facio, quidquid feceris approbabo. Sed te quoque confido ea facturum, quæ mihi intelliges maximè esse ac-

ARG. Significat se Appii legatum Brundusii invenisse, suum expectare, cum quo proximè navigaturus sit. Rogat interea, cùm Sulpicius consul, contra Senatûs voluntatem, impediisset, ne supplementa scriberentur, ut Appius sibi commodet, nec milites, quos habeat, dimittat. *Anno* U. C. 702.

1. *Præsidio*] Ob metum Parthici belli. MANUTIUS.

2. *Bibuli*] Cui Syria obtigerat, post Crassum à Parthis interfectum. IDEM.

3. *Legionibus*] Plutarchus cum Cicerone in Ciliciam ivisse narrat duodecim millia peditum, duo millia, & sexcentos equites. Quanquam in equitum numero suspicor esse mendum. Non enim cum duabus legionibus tantus videtur equitatus esse potuisse. Nisi si sexcenti Romani, reliqui omnes auxiliarii, extra ordinem, metu scilicet Parthici equitatus: qui post Crassi necem imminere Romanis provinciis videbatur. IDEM.

4. *Integrum*] Vide infrà, epist. 6. Aberant tres cohortes. IDEM.

Digitized by Google

commodata. Ego [5] C. Pontinium, legatum meum, Brundusii expectabam: eúmque ante kal. Jun. Brundusium venturum arbitror. Qui cùm venerit, quæ primùm navigandi nobis facultas data erit, eâ utemur. Vale.

5. *C. Pontinium legatum*] Prætorium, ac triumphalem. Hunc *Πομπτῖνον*, & *Πομπτλῖνον* Græci libri nominant: ex Latinis alii *Pomptinum*, alii *Pomtinum*; nonnulli, quos secutus sum, *Pontinium*, ut inter Romanas gentes, quæ in *ius* desinebant, agnoscatur. Ciceronis, Ciliciæ proconsulis quæstores fuere L. Mescinius, Cn. Volusius, C. Cælius; legati, Q. Cicero ejus frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius; tribunus mil. Q. Fufidius; præfectus evocatorum, Antonius; præfectus fabrûm, Q. Lepta; scriba, M. Tullius; accensus, Pausanias; interpres, M. Marcilius. De quæstore Mescinio, epist. 19. & 20. lib. 5. epist. 26. lib. 13. epist. 6. lib. 16. De Volusio, epist. 11. lib. 5. ad Att. De Cælio, qui paucis diebus ante, quàm Cicero decederet, in provinciam venit, epist. 19. lib. 2. & ad Att. epist. 5. lib. 6. De legatis, epist. 4. lib. 15. De tribuno mil. epist. 12. lib. 13. De præfecto evocatorum, epist. 6. h. lib. De præfecto fabrûm, epist. 7. h. libr. De scriba, epist. 20. lib. 5. De accenso, epist. 7. h. lib. De interprete, epist. 54. lib. 13. MANUT.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

4 PRIDIE nonas Junias, cùm essem Brundusii, literas tuas accepi, quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum mecum loqui velles. Eum sanè expectabam, ut ea, quæ à te afferret, quàm primùm cognoscerem. Meum studium erga te, & officium, tametsi multis jam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in iis maximè declarabo, quibus plurimùm significare potuero, [1] tuam mihi existimationem & dignitatem carissimam esse. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. filius, & diligentissimè M. Octavius Cn. filius, demonstravit me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis jam antea judicaram, maximéque illo [2] libro augurali, quem ad me amantissimè scriptum, suavissimum misisti. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cùm te ipse, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci, tum accesserunt

ARG. Expectari à se scribit L. Clodium cum mandatis. Suum studium pollicetur, cujus causas exponit. *Anno* U. C. 702.

1. *Tuam mihi existimationem*] Meritò hoc promittit: erat enim in potestate successoris, si vellet, decessorem graviter onerare ac lædere, acta ejus rescindendo, quod & fecit Cicero, dum justitiæ studet, sed quàm lenissimè poterat. J. F. GRONOV.

2. *Libro augurali*] De augurum disciplina scripto: de quo fit mentio ep. IX. & XI. & apud Festum. MANUT.

Digitized by Google

runt etiam conjunctiones neceſſariorum tuorum. Duos enim duarum [3] ætatum plurimi facio, Cn. Pompeium, filiæ tuæ ſocerum, & M. Brutum, generum tuum. Collegii quoque conjunctio præſertim [4] tam honorificè à te approbata, non mediocre vinculum mihi quidem attuliſſe videtur ad voluntates noſtras copulandas. Sed &, ſi Clodium convenero, ex illius ſermone ad te ſcribam plura: & ipſe operam dabo, te ut quàm primùm videam. Quod ſcribis, tibi manendi cauſam eam fuiſſe, ut me convenires, id mihi, ne mentiar, gratum eſt. Vale.

3. *Duarum ætatum*] Seneſcente jam Pompeio, Bruto juvene. MANUT.

4. *Tam honorificè à te approbata*] Cui præſertim tuum, honorificum & luculentum teſtimonium dederis, libro de augurali diſciplina mihi dicato. J. F. GRONOV.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

TRALLES [1] veni ante diem VI. kalendas Sextiles. Ibi mihi præſtò fuit L. Lucilius cum literis, mandatíſque tuis; quo 5
quidem [2] hominem neminem potuiſti nec mihi amiciorem, nec (ut arbitror) ad ea cognoſcenda, quæ ſcire volebam, aptiorem, prudentiorémve mittere. Ego autem & tuas literas legi libenter, & audivi Lucilium diligenter. Nunc quoniam & tu ita ſentis, (ſcribis enim, quæ de noſtris officiis ego ad te ſcripſerim, etſi tibi jucunda fuerint, tamen, quoniam ex alto repetita ſint, non neceſſaria te putaſſe) & re verâ, confirmatâ amicitiâ, & perſpectâ fide, commemoratio officiorum ſupervacanea eſt; eam partem orationis prætermittam: tibi tamen agam, ut debeo, gratias. Animadverti enim, & didici ex tuis literis, te omnibus in rebus habuiſſe rationem ut mihi conſuleres, reſtituerésque & præparares quodammodo omnia, quò mea ratio facilior & ſolutior eſſe poſſet. Hoc tuum officium cùm mihi gratiſſimum eſſe dicam, ſequitur illud, ut te exiſtimare velim mihi magnæ curæ fore, atque eſſe jam, primùm ut ipſe tu, tuíque omnes, deinde ut etiam reliqui ſcire poſſint, me tibi eſſe amiciſſimum. Quod quibus adhuc non ſatis eſt perſpectum, ii mihi

ARG. Appio gratias agit, danti operam, ut expeditam provinciam traderet: deinde itineris rationem exponit, ut Appius de congreſſu ſtatuat. *Anno* U. C. 702.

1. *Tralles*] Urbem Lydiæ. MANUTIUS.

2. *Hominem*] Vict. Man. Lamb. *homine*.

Digitized by Google

mihi nolle magis, nos hoc animo esse, quàm non intelligere videntur. Sed profectò intelligent: [3] neque enim obscuris personis, nec parvis in causis res agetur. Sed hæc fieri meliùs, quàm dici, aut scribi volo. Quòd itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurúsne me sis in provincia: ea res sic se habet. Brundusii cùm loquerer cum Phania, liberto tuo, veni in eum sermonem, ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciæ primùm esse venturum, quò te maximè velle arbitrarer. Tunc mihi ille dixit, [4] quòd classe tu velles decedere, per fore accommodatum tibi, si ad illam maritimam partem provinciæ navibus accessissem. Dixi me esse facturum: itáque fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyræ dixisset minimè id esse faciendum; te Laodiceæ fore ad meum adventum. Erat id mihi multò brevius, multóque commodius, cùm præsertim te ita malle arbitrarer. [5] Tua ratio postea est commutata. Nunc quid fieri possit, tu facillimè statues: ego tibi meum consilium exponam. Prope kalendas Sextiles puto me Laodiceæ fore: perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. Deinde iter faciam ad exercitum, ut circiter idus Sextiles putem me [6] ad Iconium fore. Sed si quid nunc me fallit in scribendo, (procul enim aberam ab re ipsa, & à locis) simul ac progredi cœpero, quàm celerrimè potero, & quàm creberrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum, atque itinerum meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo. Sed, quod tuo commodo fieri possit, utriusque nostrûm magni interest, priùs ut te conveniam, quàm decedas. Quam facultatem si quis casus

3. *Neque enim obscuris personis*] Propriè *obscuris personis*. In theatrum enim veniunt histriones larvas induti, quæ quos significent, ignorant spectatores. Ubi occasio erit demonstrandi, quis tibi verè faveat, quis simulet: partes geremus, quas omnes facilè intelligent esse amici. J. F. GRONOV.

4. *Quòd classe tu velles*] Id est, quoniam classe tu velis decedere: nam *dixit quòd velles*, pro *dixit te velle*, latinum non est. Sensus est, dixit me serviturum commodo tuo, si accessissem ad maritimam provinciæ partem, quoniam tibi constitutum esset mare transire. *Per fore accommodatum tibi* elegantissime, pro, *Peraccommodatum*, ut 1. Orat. 47. *nobis verò ista pergrata sunt perque jucunda.* IDEM.

5. *Tua ratio*] *Ratio* non est voluntas, non negotium, non consuetudo, non consilium: quid igitur? unico verbo non satis videtur explicari posse: hîc quidem, *Tua ratio postea est commutata*, valet, mutasti quod te facturum ostenderas: non eadem fuit sententia tua. MANUTIUS.

6. *Ad Iconium*] Lycaoniæ urbem, ubi erant castra. CORRADUS.

Digitized by Google

casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, non secus ac si te vidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum antè mandaturus per literas, quàm desperaro coràm me tecum agere posse. Quod te à Scævola petiisse dicis, ut, dum tu abesses, ante adventum meum provinciæ præesset; eum ego Ephesi vidi, fuítque mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum, nec ex eo quidquam audivi, quod sibi à te mandatum diceret. Sanè vellem potuisset obsequi voluntati tuæ: non enim arbitror noluisse. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

CUM meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi faveo in nostra amicitia tuenda, quàm tibi, tamen multo magis meo facto delector, quàm tuo. Ego enim Brundusii quæsivi ex Phania, cujus mihi videbar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum quem apud te is teneret, quam in partem provinciæ maximè putaret te velle, ut in succedendo primùm venirem. Cùm ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quàm si [1] ad Sidam navigassem: etsi minùs dignitatis habebat ille adventus, & ad multas res mihi minùs erat aptus, tamen ita me dixi facturum. Idem ego cùm L. Clodium Corcyræ convenissem, hominem ita tibi conjunctum, ut mihi, cum illo cùm loquerer, tecum loqui viderer, dixi ei me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogasset, primùm venirem. Tunc ille mihi cùm gratias egisset, magnopere à me petivit, ut Laodiceam protinus irem: te [2] in prima provincia velle esse, ut quàm primùm decederes: quin, nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te antea, quàm tibi successum esset, decessurum fuisse: quod quidem erat consentaneum cum iis literis, quas ego Romæ acceperam, ex qui-

6

ARG. Ostendit congressum, à se expetitum, ab Appio vitatum: se tamen ei fore amicissimum: qui ut locum constituat, ubi convenire possint, sui itineris certiorem eum facit. *Anno* U. C. 702.

1. *Ad Sidam*] Side, vel Sida, Pamphyliæ urbs maritima cum portu.

2. *In prima provincia*] Hoc est, in prima regione provinciæ. Sic *ultima provincia* est extrema regio provinciæ. Cic. V. ad Att. epist. 16. *Appius ut audivit nos venire, in ultimam provinciam se conjecit.* GRÆV.

quibus perspexisse mihi videbar, quàm festinares decedere. Respondi Clodio me ita esse facturum, ac multo quidem libentiùs, quàm si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniæ. Itaque & consilium mutavi, & ad te statim mea manu scriptas literas misi: quas quidem ex tuis literis intellexi satis maturè ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc vicissim tuum. Non modò ibi non fuisti, ubi me quàm primùm videre posses; sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi [3] ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent: ut tuum factum, illis qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut levissimè dicam) & fugientis congressum; meum verò conjunctissimi, & amicissimi, esse videatur. Ac mihi tamen, ante quàm in provinciam venirem, redditæ sunt à te literæ, quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conveniendi afferebas: cùm interea, credo equidem, malevoli homines (latè enim patet hoc vitium, [4] & est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, ignari meæ constantiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam: qui te [5] forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, judicare dicerent, cùm posses jam suspicari tibi esse successum: quæ ne ab iis quidem fieri solerent, qui brevi tempore sibi succedi putarent. Horum ego sermone non movebar. Quin etiam (credas mihi velim) si quid tu ageres, levari me putabam molestiâ; & ex annua provincia, quæ mihi longa videtur, propè jam undecim mensium provinciam factam esse gaudebam, si absenti mihi unius mensis labor detractus esset. Illud (verè dicam) me movet, in tanta militum paucitate abesse tres cohortes, quæ sint plenissimæ, nec me scire ubi sint. Molestissimè autem fero, quòd, te ubi visurus sim, nescio: eóque ad te tardiùs scripsi, quòd quotidie te ipsum expectabam: cùm interea ne literas quidem ullas accepi, quæ me doce-

3. *Ad decedendum*] Lex Cornelia, L. Syllæ dictatoris, concedebat rectoribus provinciarum, ut per triginta dies post successoris adventum in provincia morari possent. Manutius.

4. *Et est in multis*] Abest hoc à meo vetere libro: & sanè glossema esse potuit antecedentium verborum. Idem.

5. *Forum Tarsi agere*] *Forum agere* est conventum in provincia juris dicundi gratiâ habere. *Fora* enim fuerunt loca in quibus jus dicebatur, teste Nonio. Græv.

Digitized by Google

docerent quid ageres, aut ubi te viſurus eſſem. Itaque virum fortem, mihíque in primis probatum, Antonium, præfectum [6] evocatorum, miſi ad te, cui, ſi tibi videretur, [7] cohortes traderes: ut, dum tempus anni eſſet idoneum, aliquid negotii gerere poſſem. In quo, tuo conſilio ut me ſperarem eſſe uſurum, & amicitia noſtra & literæ tuæ fecerant; quod ne nunc quidem deſpero. Sed planè quando, aut ubi te viſurus ſim, niſi ad me ſcripſeris, ne ſuſpicari quidem poſſum. Ego ut me tibi amiciſſimum eſſe, & æqui & iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi, vidêris nonnihil loci dediſſe. Id ſi correxeris, mihi valde gratum erit. Et ut habere rationem poſſis, quo loco me, ſalvâ lege Corneliâ, convenias, [8] ego in provinciam veni pridie kal. Sex. Iter in Ciliciam facio [9] per Cappadociam. [10] Caſtra movi ab Iconio pridie kalendas Septembris. Nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, ſi putabis me eſſe conveniendum, conſtitues, quo loco id commodiſſimè fieri poſſit, & quo die. Vale.

6. *Evocatorum*] *Evocati* erant emeriti maximam partem, qui expletis ſtipendiis in gratiam Ducum aut Conſulum militiam ſumebant, &, ut auctor eſt Dio, vices inſtar Centurionum gerebant. Erant immunes operum & munium. Iis præerat *Præfectus*, ut ex hoc loco apparet. Vide Lipſ. de Milit. Rom. lib. 1. Dial. 8. GRÆV.

7. *Cohortes*] Quas ſecum Appius habebat. Nam exercitus univerſus erat in Lycaonia, unde abeſſe dixit tres cohortes. Vide epiſt. 4. lib. XV. MANUTIUS.

8. *Ego in provinciam veni prid. Kal. Sex.*] Laodiceam, quæ non erat in Appii provincia, ſed inter *τρεῖς διοικήσεις* Aſiaticas Ciceroni attributas: & ideò Ciceronem Appius ſalva lege Cornelia poterat convenire. CORRAD.

9. *Per Cappadociam*] Nam & alia erat, eáque brevior, in Ciliciam via: quam cur omiſerit, exponit epiſt. 4. lib. 15. MAN.

10. *Caſtra movi ab Iconio*] *Movere Caſtra* dicuntur Imperatores, cùm locum mutant, alióque proficiſcuntur. Hinc ſumpta metaphora Virgil. Æn. III. 519.

Dat clarum è puppi ſignum: nos caſtra movemus,
Tentamúſque viam. GLANDORP.

M. T. C. [1] IMP. S. D. APPIO PULCHRO.

PLURIBUS verbis ad te ſcribam, cùm plus otii nactus ero. 7
Hæc ſcripſi ſubitò, cùm Bruti pueri Laodiceæ me conveniſſent, & ſe Romam properare dixiſſent: itaque nullas iis, præterquàm

ARG. Querelam Appii refellit; contráque ipſe queritur: & virtutem extollens contra nobilium arrogantiam, ſe amiciſſimum fore confirmat. *Anno* U. C. 703.

1. *Imp*] Sic eſt inſcribendum, non *Procos.* Scripſit enim, ut ipſe ait, hanc epiſtolam

terquàm ad te & ad Brutum, dedi literas. [2] Legati Appiani mihi volumen à te, plenum querelæ iniquiſſimæ, reddiderunt, quòd eorum [3] ædificationem literis meis impediſſem. Eâdem autem epiſtolâ petebas, ut eos quàm primùm, ne in hiemem inciderent, ad facultatem ædificandi liberarem: & ſimul peracutè querebare, quòd eos tributa exigere vetarem, priuſquam ego re cognitâ permiſiſſem. Genus enim quoddam fuiſſe impediendi, cùm ego cognoſcere non poſſem, niſi cùm ad hiemem me ex Cilicia recepiſſem. Ad omnia accipe, & cognoſce æquitatem expoſtulationis tuæ. Primùm, cùm ad me aditum eſſet ab iis, qui dicerent à ſe intolerabilia tributa exigi; quid habuit iniquitatis, me ſcribere, ne facerent antè, quàm ego rem cauſámque cognoſſem? Non poteram, credo, ante hiemem: ſic enim ſcribis. Quaſi verò ad cognoſcendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint. Tam longè? inquis. Quid? cùm dabas iis literas, per quas mecum agebas, ne eos impedirem quo minùs ante hiemem ædificarent, non eos ad me venturos arbitrabare? Tametſi id quidem fecerunt ridiculè. Quas enim literas afferebant, ut opus æſtate facere poſſent, eas mihi poſt brumam reddiderunt. Sed ſcito & multo plures eſſe, qui de tributis recuſent, quàm qui exigi velint; & me tamen, quod te velle exiſtimem, eſſe facturum. De Appianis hactenus. A Pauſania, Lentuli liberto, [4] accenſo meo audivi cùm diceret, te ſecum eſſe queſtum, quòd tibi obviam non prodiſſem. Scilicet con-

ſtolam Laodiceæ: quò ſe contulit æſtivis confectis, id eſt, Amanienſibus victis, quâ victoriâ imperator appellatus eſt, & Pindeniſſo capto. Fuit autem Loadiceæ à III. id. Febr. uſque ad non. Maii: quod epiſt. 2. lib. 6. ad Att. oſtendit. MANUT.

2. *Legati Appiani*] Magna ſemper varietate ſcriptus eſt hic locus, cùm nonnulli *Apamæani* pro *Appiani* legerent: ſed falsò, ut puto: nam & *Appiani* ubique habent veteres codices, & hos populos eſſe provinciæ, cui Cicero præerat, docet Plinius lib. V. cap. 29. his verbis: *Alter conventus à Synnada accipit nomen: conveniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylæi, Midæi, Julienſes, & reliqui ignobiles populi* XV. Cùm igitur vetuſtiſſimorum codicum lectio, ratione, & optimorum auctorum teſtimonio confirmetur, non video cur temerè mutanda ſit. VICTOR. Harduinus non *Cercopeni*, ſed *Eucarpeni*.

3. *Ædificationem*] Monumenti, vel templi in honorem Appii, quaſi Appius quidam ſervator & Deus provinciæ fuiſſet: ut fieri ſolebat. Lib. V. ad Att. 21. *nullos honores mihi, niſi verborum, decerni ſino: ſtatuas, fana,* τέθριππα *prohibeo*. Suet. Tib. 26. Oct. 52. J. F. GRONOVIUS.

4. *Accenſo meo*] Apparitorum multa genera, inter quos accenſi quoque erant, dicti, quòd ſæpius ad neceſſarias res accirentur, ut ait Varro. MANUT.

5. *Ambitioſius*] Studioſiùs: cùm nullum officii genus ſoleam prætermittere. MAN.

Digitized by Google

contempsi te, nec potest fieri me quidquam superbius. Cùm puer tuus ad me secundâ ferè vigiliâ venisset, isque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiasset, incertúmque utrâ viâ, cùm essent duæ: alterâ Varronem, tuum familiarissimum, alterâ Q. Leptam, præfectum fabrûm meum, tibi obviam misi. Mandavi utrique eorum, ut antè ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire possem. Currens Lepta venit, mihíque nuntiavit, te jam castra prætergressum esse. Confestim Iconium veni. Cætera jam tibi nota sunt. An ego tibi obviam non prodirem? Primùm Appio Claudio? Deinde, Imperatori? Deinde, more majorum? Deinde, quod caput est, amico? Præsertim cùm in isto genere multò etiam [5] ambitiosiùs facere soleam, quàm honos meus & dignitas postulat. Sed hæc hactenus. Illud idem Pausania dicebat, te dixisse: ([6] quidni?) [7] Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obviam: Cicero Appio noluit? Quæso, etiámne tu has ineptias, homo (meâ sententiâ) summâ prudentiâ, multâ etiam doctrinâ, plurimo rerum usu, addo [8] urbanitate, quæ est virtus, ut Stoici rectissimè putant, ullam [9] Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me plus, quàm ornamenta virtutis, existimas? Cùm ea consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum admiratus: viros esse, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar. Postea verò quàm ita & cepi & gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, ne-

 que

6. *Quidni?*] Ciceronis, non Appii verba: ideo parenthesi includenda. IDEM.

7. *Appius Lentulo*[Appius succedens Lentulo decedenti. IDEM.

8. *Urbanitate, quæ est virtus*] Multum huic nomini tribuisse Stoicos ostendit etiam Plutarchus in commentario, quo declaravit, quomodo deceat adolescentes legere poetas: diversam enim & penitus contrariam vim apud illos habere ἀστεῖον nomen alteri quod est ἀμαθὴς, intelligitur ab eo qui locum eum Plutarchi accuratè animadvertit: differit autem quemadmodum Stoici nihil commune esse judicarent virtuti ac vitio: & quemadmodum Urbanus apud illos (ita autem vocabant virtute præditum) omni culpa vacaret, & omnes res rectè facere posset. Imperitus autem (id erat apud illos vitiosus) omnibus criminibus obnoxius esset, & in omni semper negotio laberetur. Verba ipsius hæc sunt: Πολλὰ πάνυ τοῖς Στωικοῖς &c. Hæc adnotasse mirificè utile esse credo ad hujus loci perspicuitatem. VICTORIUS.

9. *Appietatem*] Productione nominis fit sonitus auribus ingratus: & simul ipsa res, nomini subjecta, deformatur. Appius autem novum Ciceronis nomen, præ suo Lentulique contempserat. Quam superbiam irridet Cicero, Claudiæ familiæ insitam, ut ex omni patet historia, & his maximè Taciti verbis libro I. *Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia.* MANUTIUS.

Digitized by Google

que ad gloriam acquirendum putarem; superiorem quidem numquam, sed parem vobis me speravi esse factum. Nec, mehercule, aliter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipse antepono. Tu, si aliter existimas, nihil errabis, si paulo diligentiùs, ([10] ut, quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas) Athenodorus, [11] Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. Sed, ut ad rem redeam, me tibi non amicum modò, verùm etiam amicissimum existimes velim. Profectò omnibus meis officiis efficiam, ut ita verè possis judicare. Tu autem si id agis, ut minùs meâ causâ, dum ego absim, debere videaris, quàm ego tuâ [12] laborarim: libero te istâ curâ.

[13] παρ' ἐμόι γε κὴ ἄλλοι,
Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

Si autem naturâ es [14] φιλαίτιος, illud non perficies quo minùs tuâ causâ velim: hoc assequêre, ut quam in partem tu accipias, minùs laborem. Hæc ad te scripsi liberiùs, fretus conscientia officii mei, benevolentiæque: quam à me [15] certo judicio susceptam, quoad tu voles, conservabo. Vale.

M. T.

---

10. *Ut, quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas*] Ut intelligas, utrùm idem sint, an inter se differant εὐγένεια, & nobilitas. Quasi dicat: falleris, cùm vel te putas, quia sis εὐγενὴς, hoc est, claro genere natus, ideò nobilem esse, vel me, quia non sum εὐγενὴς, propterea nobilem esse non posse. Potest enim εὐγένεια esse, ubi non sit nobilitas; & nobilitas, ubi non sit εὐγένεια. Nobilitas enim à majoribus non accipitur, sed virtute, magnísque in rempub. meritis comparatur. Hæc fuit Athenodori sententia: quam homo novus Cicero libenter probat. Aristoteles autem in Politicis libris nobilitatem in majorum claritate, & in opibus ponit. MAN.

11. *Sandonis filius*] Patris nomen adjunxit, ut eum distingueret ab altero Athenodoro, ejus æquali. Nam, ut ait Strabo lib. 4. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio vocatus est, cum M. Catone vixit, & apud eum obiit: alter verò, Sandonis filius: quem & Cananitam à quodam vico appellant, Cæsaris Augusti præceptor fuit. De hoc ipso Athenodoro Suidas mentionem facit: & idem Sandonem Philosophum nominat, hujus opinor, Athenodori patrem. IDEM.

12. *Laborarim*] Cùm aliis in rebus, de quibus epist. 9. tum in supplicatione tibi decernenda, de qua epistola ultima. IDEM.

13. παρ' ἐμοί γε κὴ ἄλλοι] *Apud me quidem & alii, qui me colant, maximè autem consiliarius Jupiter.* Iliad. A. 174.

14. φιλαίτιος] Querulus. IDEM.

15. *Certo judicio susceptam*] Eo susceptam animo, ut perpetuò conservarem. Hoc dicit, ne videatur fictè in gratiam rediisse: quod suspicari Appius videbatur, cùm in malam partem acciperet ea, quæ minimè contra ejus existimationem à se fieri Cicero voluerat. MANUTIUS.

Digitized by Google

M. T. C. PROCONSUL S. D. APPIO PULCHRO.

ETSI, quantum ex tuis literis intelligere potui, videbam 8
te hanc epistolam, [1] cùm ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato jam levissimo sermone [2] hominum provincialium: tamen, cùm tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis literis brevi responderem. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. Nihil enim habent, quod aut definitum sit, aut certum, nisi me vultu & taciturnitate significasse, tibi non esse amicum; ídque pro tribunali, cùm aliquid ageretur, & nonnullis in conviviis intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possum intelligere: sed cùm sit nihil, ne quid dicatur quidem intelligo. Illud quidem scio, meos multos, & illustres, & [3] ex superiore, & ex æquo loco, sermones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostræ familiaritatis, ad te verè potuisse deferri. Nam, quod [4] ad legatos attinet, quid à me fieri potuit aut elegantius, aut justius, quàm ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem, sine ulla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis civitatibus postulantibus? Nam mihi [5] totum genus legationum tuo nomine proficiscentium

ARG. Refellit, quæ Appius objecerat, probátque, si quid egerit, quod iniquè interpretetur Appius; aut imprudenter illum facere, qui malevolorum sermonibus credat; aut astutè nimis, qui, quæ sibi in mentem veniant, aliis attribuat. Deinde gratum sibi esse ostendit, quod de urbanis rebus perscripserit, & promiserit de suis: in quibus id maximè rogat, ne prorogari provinciam concedat. Tandem de bellicis provinciæ rebus addit, & crebras poscit literas. *Anno* U. C. 702.

1. *Cùm ad urbem esses*] *Esse ad urbem* dicebantur, qui cum potestate provinciali aut nuper è provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent. Sic enim scripsit Asconius: eóque modo Cicero, Sallustius, & alii ejusdem ætatis locuti. Solebant autem, qui ob res in provincia gestas triumphum peterent, extra urbem exspectare, donec, lege latâ, triumphantes urbem introire possent. Et de triumpho Appium cogitasse, ex epist. 10. cognoscitur; ne triumpharet, accusatione Dolabellæ factum est, epist. 6. libro octavo. MANUT.

2. *Hominum provincialium*] Quibus de meo in te animo falsa narrantibus credidisti. Phryges & Lycaones nominat epistola 10. IDEM.

3. *Ex superiore, & ex æquo loco*] Et pro tribunali, & privatis in locis, sive ut suprà, *in conviviis*. IDEM.

4. *Ad legatos*] Questus erat Appius, quòd legatos civitatum Romam ire, ut Appium in senatu laudarent, prohibuisset. IDEM.

5. *Totum genus legationum*] Hanc unam ob causam legatos Romam ire, ut te laudarent, nesciebam. IDEM.

Digitized by Google

ficiſcentium notum non erat. Apameæ cùm eſſem, multarum civitatum principes ad me detulerunt, ſumptus decerni legatis nimis magnos, cùm ſolvendo civitates non eſſent. Hìc ego multa ſimul cogitavi. Primùm, te hominem non ſolùm ſapientem, verùm etiam ([6] ut nunc loquimur) urbanum, non arbitrabar genere iſto legationum delectari; ídque me arbitror [7] Synnadis pro tribunali multis verbis diſputaviſſe: primùm, Appium Claudium ſenatui populóque Romano, non Myndenſium teſtimonio ([8] in ea enim civitate mentio facta eſt) ſed ſua ſponte eſſe laudatum: deinde, me iſta vidiſſe multis accidere, ut eorum causâ legationes Romam venirent, ſed his legationibus non meminiſſe ullum tempus laudandi, aut locum dari: ſtudia mihi eorum placere, quòd in te bene merito grati eſſent; conſilium totum videri minimè neceſſarium. Si autem vellent declarare in eo officium ſuum, laudaturum me, ſi qui ſuo ſumptu functus eſſet officio; conceſſurum, ſi [9] legitimo; non permiſſurum, ſi infinito. Quid enim reprehendi poteſt, niſi quod addis viſum eſſe quibuſdam, edictum meum, quaſi conſultò ad iſtas legationes impediendas eſſe accommodatum? Jam non tam mihi videntur injuriam facere hi, qui hæc diſputant, quàm ſi cujus aures ad hanc diſputationem patent. Romæ compoſui [10] edictum: nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, cùm Samum

6. *Ut nunc loquimur*] Non quòd, *Urbanus*, novum eſſet verbum, cùm eo Plautus quoque non ſemel uſus eſſet; ſed quòd nova ſignificatio. Quòd enim peregrini homines ab urbanis morum elegantiâ & lepore vincebantur; inde cœptum Ciceronis ætate, *urbanus homo* dici, pro eo, cujus in factis aut dictis nihil odioſum, nihil inconditum, nihil turpe notaretur. Epiſtolâ etiam proximâ urbanitatem in Appio laudavit. MANUTIUS.

7. *Synnadis*] Oppido Phrygiæ.

8. *In ea enim civitate*] Ex his verbis, proximè legendum, *Synnadenſium*, non *Myndenſium*, conjicio: cùm dixerit jam, *ídque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis diſputaviſſe*. MANUT. *Midaënſium* legi oportuit, ab oppido Phrygiæ Midaio, quod Græci Μιδάιον ſcribunt. Fuit enim pars ea Phrygiæ ſub proconſulis Ciliciæ adminiſtratione, à qua longè Myndos Carica abfuit. QUARTERIUS.

9. *Legitimo*] Quantum lex Cornelia concedebat. Epiſtolâ decimâ. MANUT.

10. *Edictum*] Ex quo in provincia jus dicerem. IDEM.

11. *Tranſlatitium eſt*] Uſitatum, quod ad omnes conſuetudine transfertur. Hæc igitur eſt ſententia Ciceronis. Quod edixi, ne legati Romam injuſſu meo proficiſcerentur; ex quo ſuſpicatus es, me exquiſiviſſe aliquid, in quo te offenderem: novi nihil feci, aut à me exquiſitum, ut minuerem dignitatem tuam: tranſlatitium id fuit, uſitatum antea. Cùm enim nec privatæ rei causâ, nec ut homini privato, nec ut in privato loco, ſed ut in ſenatu gratias tibi agerent, mitti legatos intelligerem; cur in eo me de tua privata contumelia cogitaſſe putas? Quòd ſi tua privata res, non publica,

Digitized by Google

mum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentissimè scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite sunt quædam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc verò, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid in quo te offenderem,[11] translatitium est. Neque enim eram tam desipiens, ut privatæ rei causâ legari putarem, qui & tibi non privato, & pro re non privata sua, sed publica, non in privato, sed in publico orbis terræ consilio, id est, in senatu, ut gratias agerent, mittebantur: [12] neque cùm edixi, ne quis injussu meo proficisceretur, exclusi eos, qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent. Nam id est maximè in tuis literis irridendum. Quid enim erat, quòd me persequerentur in castra, Taurúmve transirent, cùm ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diœcesium, quæ cis Taurum sunt, omniúmque earum civitatum magistratus, legationésque convenirent? [13] Nisi fortè postea cœperunt legare, quàm ego Taurum transgressus sum; quod certè non ita est. Cùm enim Laodiceæ, cùm Apameæ, cùm Synnadis, cùm Philomeli, cùm Iconii essem, quibus in oppidis omnibus [14] commoratus sum, omnes jam istius generis legationes erant constitutæ. Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu lega-

blica, ageretur; querendi fortasse de me si non veram, speciosam tamen causam haberes. Nunc, si privatæ rei causâ legari credidissem, planè desipiens fuissem. MANUT.

12. *Neque cùm edixi*] Duo videtur Appius objecisse Ciceroni: primum edixisse, ne quis injussu suo è provincia discederet: secundum, trans Taurum abiisse, quò civitatum legati eum persequi non possent, ut facultatem eundi Romam peterent. Quo facto videbantur excludi, id est, omni eundi Romam potestate privari. Hoc ultimum confutat Cicero, dum ostendit nihil fuisse opus, ut eum Legati extra Taurum persequerentur, siquidem priùs montem Taurum quàm transiret, istius generis legationes jam audierat. QUARTERIUS.

13. *Nisi fortè postea cœperunt legare*] Cicero sic argumentatur: Nullam habuerunt causam me sequendi in castra magistratus urbium & diœcesium, qui tibi legationem decreverunt, cùm ego per illorum fines iter fecerim, in iísque tam diu sim commoratus; ut possent me omnes commodissimè convenire, & de illis legationibus mecum agere, quippe quas jam ante adventum meum constituerant. Ergo non necesse fuit quenquam hoc nomine me sequi in castra & trans Taurum, & nec ego quenquam edicto meo exclusi legatione, quod tu scribebas. GRÆVIUS.

14. *Commoratus*] *Biduum Laodiceæ, quatriduum Apameæ, triduum Synnadis, totidem Philomeli.* Sic enim scripsit ad Catonem epist. 4. lib. 15. Aliter tamen ad Att. epist. 16. & 20. lib. 5. Commoratus autem, quia jus in iis oppidis dixit. *Qua jurisdictione nihil æquabilius, nihil lenius, nihil gravius esse potuisse*, scripsit ad Attic. epist. 20. l. 5. MANUTIUS.

Digitized by Google

tionum aut minuendo, aut remittendo, decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum à me postulassent: ne in [15] venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem (quam tu non ignoras) [16] capitum, atque ostiorum, [17] inducerentur sumptus minimè necessarii. Ego autem cùm hoc suscepissem, non solùm justitiâ, sed etiam misericordiâ adductus, ut levarem miseriis perditas civitates, & perditas maximè [18] per magistratus suos, non potui in illo sumptu non necessario [19] negligens esse. Tu, cùm istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Si autem hoc genere delectaris, ut, quæ tibi in mentem veniant, aliis attribuas, genus sermonis inducis in amicitiam minimè liberale. Ego si in provincia detrahere de tua fama unquam cogitassem, non [20] ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundusii, neque ad præfectum fabrûm Corcyræ, quem in locum me venire velles, retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissimè scripti libri, genus hoc totum orationis tollere, *Disputabant, ego contrà disserebam: Dicebant, ego negabam.* An mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quod cùm me Laodiceam venire voluisses, Taurum ipse transisti? [21] Quod iisdem diebus meus conventus erat Apameæ; Synnadis, Philomeli, tuus Tarsi? Non dicam plura,

---

15. *Venditionem tributorum*] Est, locationem & redemptionem, cùm universa summa tributi præsens sumitur à publicanis ad hastam invitatis. J. F. GRON.

16. *Capitum, atque ostiorum*] Cùm per singula capita, atque ostia exiguntur tributa per eos, quibus vendita sunt. MANUTIUS.

17. *Inducerentur sumptus*] Ne propter sumptus minimè necessarios, illæ per se satis graves exactiones onerarentur. Ne in eas sumptus inutiles imputarentur. II. Agrar. 26. *Hic ager omnis, quoquo pretio emptus erit, tamen ingens pecunia vobis inducetur.* I. Verr. 41. *Pecuniam grandem, quemadmodum in rationem inducerent.* Infrà, epistola 10. J. F. GRONOV.

18. *Per magistratus suos*] Hoc adjunxit, ne perditas ab Appio civitates videatur dicere. Perditas tamen per Appium maximè, significat in epistolis ad Att. atque hæc ipsa tributa memorat epist. 16. lib. 5. MAN.

19. *Negligens*] Non potui esse facilis ac liberalis in decernendo hoc sumptu, sive permittendo, ut hunc, qui minimè necessarius est, sumptum facerent. *Negligens* hîc rarâ & exquisitâ significatione accipitur pro prodigus, effusus in sumptus, cui opponitur *diligens*, hoc est frugalis, parcus. Suet. Galb. 14. *His diverso vitiorum genere grassantibus adeò se abutendum permisit & tradidit, ut sibi ipse constaret: modò acerbior parciórque, modò remissior ac negligentior, quàm conveniret principi electo, atque illius ætatis.* Sicut *acerbior* hîc opponitur *remissior*, sic *parcior* opponitur *negligentior*. Horum vitiorum sibi contrariorum exempla statim subjicit; negligentiæ quidem, quòd à comitibus donari gratias, vectigalia, & immunitates passus sit. Ibid.

Digitized by Google

plura, ne, in quo te objurgem, id ipsum videar imitari. Illud dicam ut sentio: Si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est; sin autem alii tecum hæc loquuntur, tua tamen, quòd audis, culpa nonnulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra constans & gravis reperietur. Quòd si quis me astutiorem fingit, quid potest esse [22] callidius, quàm cùm te absentem semper defenderim, cùm præsertim mihi usu venturum non arbitrarer, ut ego quoque absens à te defendendus essem; nunc committere, ut tu jure optimo me absentem deserere posses? Unum genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dicitur, [23] quod te putem nolle dici, si aut legatorum tuorum cuipiam, aut præfectorum, aut tribunorum militum malè dicitur: quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur, aut in plures, quàm mecum Corcyræ Clodius est locutus: cùm in eo genere maximè quereretur, te aliorum improbitate minùs felicem fuisse. Hos ego sermones, quòd & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessivi nunquam, sed non valde repressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam; simúlque non de me is pejus, quàm de te, existimat. Sin autem quem mea instituta in provincia non delectant, & quadam dissimilitudine institutorum meorum ac tuorum [24] lædi se putat; cùm uterque

L 2 nostrum

Ibid. cap. præcedenti: *Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse.* Diligentia hîc est frugalitas, parsimonia, propria patrisfamilias virtus, qui *diligentes* dicuntur, hoc est frugi. Cicero IV. in Verr. *Diodorus homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet.* Plaut. Amphit. III. 3.

Rectè loquere, & proinde ut diligentem decet uxorem. GRÆV.

20. *Ad generum tuum Lentulum*] Pompeius filius, & M. Brutus, generi hujus Appii laudantur epist. 4. Lentuli autem nusquam mentio: neque id nomen codices Græviani habent: éstque suspectum Manutio: glossema Ursino: cui Grævius ad subscribendum pronus est. CELLAR.

21. *Quòd iisdem diebus meus conventus erat Apameæ*] Hoc est, quòd iisdem diebus ego jus dicerem Apameæ. IDEM.

22. *Callidius*] Cum ironia. Potiùs enim stultitia, quàm calliditas est. MANUTIUS.

23. *Quòd te putem nolle dici*] Legendum esse, *quòd te putem non nolle dici*, declarat id quod sequitur non longè admodum. Ibi, *Hos ego sermones, quòd & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessivi nunquam*, &c. Nam hæc verba, *quòd te putem non nolle dici*, hanc vim habent, de quo te putem non laborare, si dicatur, quia scilicet existimationem tuam non lædat. Quòd si liceret libris consentientibus reponere, *quòd te putem non valde nolle dici*, vel sic, *quòd te putem non nimiùm nolle dici*, &c. multò magis probarem. LAMBINUS.

Digitized by Google

noſtrûm rectè fecerit, ſed non idem uterque ſecutus ſit; hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas tua, ut hominis nobiliſſimi, latiùs in provincia patuit: noſtra ſi anguſtior, & ſi de tua prolixa beneficâque natura [25] limavit aliquid poſterior annus, propter quandam triſtitiam temporum; non debent mirari homines, cùm & naturâ ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior, & temporibus, quibus alii moventur, iiſdem ego movear, me eſſe acerbum ſibi, [26] ut ſim dulcis mihi. De rebus urbanis quòd me certiorem feciſti, cùm per ſe mihi gratum fuit, tum quòd ſignificaſti, tibi omnia mea mandata curæ fore. In quibus unum illud te præcipuè rogo ut cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat, aut temporis: Hortenſiúmque noſtrum collegam & familiarem roges, ut ſi unquam meâ causâ quidquam aut ſenſit, aut fecit, de hac quoque [27] ſententia bima decedat: quâ mihi nihil poteſt eſſe inimicius. De noſtris rebus quod ſcire vis, Tarſo nonis Octobris [28] Amanum versùs profecti ſumus. Hæc ſcripſi poſtridie ejus diei, cùm caſtra haberem in agro Mopſuheſtiæ. Si quid egero, ſcribam ad te; neque domum unquam ad me literas mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim. De Parthis quod quæris, fuiſſe nullos puto. Arabes qui fuerunt, admiſto [29] Parthico ornatu, dicuntur omnes revertiſſe. Hoſtem eſſe in Syria negant ullum. Tu velim ad me quàm ſæpiſſime & de tuis rebus ſcribas, & de meis, & de omni reipublicæ ſtatu: de quo ſum ſollicitus eò magis, quòd ex tuis literis cognovi, Pompeium noſtrum in [30] Hiſpaniam iturum. Vale. M. T.

---

24. *Lædi ſe putat*] Notat homines provinciales, qui non eoſdem è Ciceronis inſtitutis fructus caperent, quos ex Appii adminiſtratione capere conſueverant. Huc ſpectat id, quod ſequitur: *Liberalitas tua latiùs in provincia* &c. Alii legendum arbitrantur, *Lædi te putat*: diſcedentes primùm ab antiquis libris, deinde etiam (ut mihi videor oſtendiſſe) à mente Ciceronis. MANUTIUS.

25. *Limavit*] Μεταφορικῶς: minuit omnes inutiles ſumptus quaſi conterendo. VICT.

26. *Ut ſim dulcis mihi*] Ut meæ laudi conſulam. Aperta tranſlatio, contrariis expreſſa, ut in Lælio: *Scitum eſt illud Catonis, multo meliùs de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videntur.* MANUT. Hæc Gronovius charactere diſtinxit, tanquam ex veteri auctore deſumpta verba. CELLARIUS.

27. *Sententia bima*] Ut provinciæ per biennium ab iiſdem obtinerentur. MANUT.

28. *Amanum*] Quo in monte quæ geſſerit, ſcripſit ad Cælium epiſt. 10. lib. 2. ſed copioſiùs ad Catonem epiſt. 4. lib. 15. ID.

29. *Parthico ornatu*] Quo plus terroris inferrent. Finitimi Syriis Arabes ſunt: ideo facilis irruptio eſt. Epiſt. 8. lib. 8. IDEM.

30. *Hiſpaniam*] Quam per legatos abſens adminiſtrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium. IDEM.

Digitized by Google

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

VIx tandem legi literas dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officii, diligentiæ. 9
Aspectus videlicet urbis tibi tuam priſtinam urbanitatem reddidit. Nam quas ex itinere, antè quàm ex Aſia egreſſus es, ad me literas miſiſti, unas de legatis à me prohibitis proficiſci, alteras de [1] Appianorum ædificatione impedita, legi perinvitus. Itaque conſcientiâ meæ conſtantis erga te voluntatis, reſcripſi tibi ſubiratus. Iis verò literis lectis, quas Philotimo, liberto meo, dediſti; cognovi, intellexíque, in provincia multos fuiſſe, qui nos, quo animo inter nos ſumus, eſſe nollent: ad urbem verò ut acceſſeris, vel potiùs ut primùm tuos videris, cognoſſe te ex iis, quâ in te abſentem fide, quâ in omnibus officiis tuendis erga te obſervantiâ & conſtantiâ fuiſſem. Itaque quanti illud me æſtimare putas, quod eſt in tuis literis ſcriptum, Si quid inciderit, quod ad meam dignitatem pertineat, etſi vix fieri poſſit, tamen te parem mihi gratiam relaturum? Tu verò facilè facies: nihil eſt enim, quod ſtudio & benevolentiâ, vel amore potiùs, effici non poſſit. Ego etſi & ipſe ita judicabam, & fiebam crebrò à meis per literas certior; tamen maximam lætitiam cepi ex tuis literis de ſpe minimè dubia, & planè explorata triumphi tui: neque verò ob eam cauſam, quo ipſe faciliùs conſequerer, (nam id quidem [2] Ἐπικούρειον eſt) ſed, mehercule, quòd tua dignitas atque amplitudo mihi eſt ipſa cara per ſe. Quare quoniam plures tu habes, quàm cæteri, quos ſcias in hanc provinciam proficiſci, quòd te adeunt ferè omnes, [3] ſi quid velis; gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me ſimul atque adeptus eris quod & tu con-

ARG. Appii literis humaniſſimè ſcriptis, humanitate pari reſpondet, eíque de triumphi ſpe gratulatur, & ad abſolvendos augurales libros hortatus, petit ut ſupplicationem ſibi decerni curet. *Anno* U. C. 703.

1. *Appianorum*] Vide epiſt. 7.

2. Ἐπικούρειον] Eſſe hoc ejus hominis, qui Epicuri ſententiam ſequeretur, id eſt, qui ad ſe ipſum omnia referret, & in ſua utilitate cuncta poneret. Vide lib. VII. epiſt. 12. MANUT.

3. *Si quid velis*] Te rogant quæſitum num quid velis, num quid habeas ibi quod nunciari conficíve velis. Erat propria & ſolemnis formula quâ utebantur abituri, offerentes ſuam operam & miniſterium ad quævis officia. Nihil frequentius apud comicos. GRÆVIUS.

Digitized by Google

fidis, & ego opto, literas miseris. [4] Longi subsellii (ut noster Pompeius appellat) judicatio, & mora, si quem tibi item unum alterúmve diem abstulerit, (quid enim potest ampliùs) tua tamen dignitas suum locum obtinebit. Sed, si me diligis, si à me diligi vis, ad me literas, ut quàm primùm lætitiâ afficiar, mittito. Et velim [5] reliquum quod est promissi, ac muneris tui, mihi persolvas. Cùm ipsam cognitionem juris augurii consequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me, muneribúsque delector. Quod autem à me tale quiddam desideras, sanè mihi considerandum est, quónam te remunerer potissimùm genere: nam profectò non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari) tantum industriæ ponam, committere, ut negligens scribendo fuisse videar: præsertim cùm id non modò negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurum sit. Verùm hæc videbimus. Illud, quod polliceris, velim pro tua fide diligentiáque, & pro nostra non instituta, sed jam inveterata amicitia cures, enitare, ut [6] supplicatio nobis quàm honorificentissimè, quàm primùmque decernatur. Omnino seriùs misi literas, quàm vellem: in quo cùm navigandi difficultas fuit odiosa, tum ipsum in [7] discessum senatûs incidisse credo literas meas. Sed id feci adductus auctoritate & consilio tuo: ídque à me rectè factum puto, quòd non statim ut appellatus imperator sum, sed [8] aliis rebus additis, [9] æstivísque confectis, literas miserim. Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum ostendis: méque totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

M. T.

---

4. *Longi subsellii judicatio*] Est res, ad quam decernendam multi requiruntur qui judices sedeant, quæ à magno judicum consessu definienda est, ut hîc senatus, qui de triumphis judicabat. GRÆV.

5. *Reliquum quod est promissi ac muneris*] De libris auguralibus. CORRADUS.

6. *Supplicatio*] Pro rebus in Amano monte gestis: ex qua victoria imperator appellatus est. MANUTIUS.

7. *Discessum senatûs*] Discedebat senatus Aprili mense, cujus ferè dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat. IDEM.

8. *Aliis rebus additis*] Capto Pindenisso die quinquagesimo septimo, postquam oppugnari cœptum erat. IDEM.

9. *Æstivísque confectis*] Cùm in hiberna milites dimittuntur; nec jam bellum geri per anni tempus licet. IDEM.

Digitized by Google

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

CUm est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi ne- 10
gotium facesserent, etsi graviter primo nuntio commotus sum, quòd nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen ut me collegi, cætera mihi facillima videbantur, quòd & in te ipso maximam spem, & in tuis magnam habebam: multáque mihi veniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud planè molestè tuli, quod certissimum & justissimum triumphum hoc invidorum consilio esse tibi [1] ereptum videbam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper judicavi faciendum esse, facies sapienter, & ages victor ex inimicorum dolore triumphum justissimum. Ego enim planè video fore nervis, opibus, sapientiâ tuâ, vehementer ut inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ. De me tibi sic, contestans omnes deos, promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quàm pro salute) in hac provincia, cui tu præfuisti, rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis (ut spero) apud civitates, gravitate imperatoris, [2] suscepturum officia atque partes. Omnia volo à me & postules, & expectes: vincam meis officiis cogitationes tuas. Q. Servilius perbreves mihi à te literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ visæ sunt. Injuriam enim mihi fieri putabam, cùm rogabar. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem: quanquam in consuetudine quotidiana perspexisses, sicut perspicies:

ARG. Appium Dolabella, reversum è Cilicia, de majestate, & de ambitu accusaverat, quo tempore Tulliam duxerat, filiam Ciceronis. Id factum, inscienti se, conatur probare. Præterea suspicionem impeditæ legationis, quæ ad laudandum illum decreta fuisset, conatur eripere. Addiderat gestorum in provincia narrationem, quæ periit. Tandem auguratur, censuram ei delatum iri. *Anno U. C. 703.*

1. *Ereptum*] Dolabellæ accusatione factum, ut triumphi spem abjiceres, urbem ingressus ad defensionem. Vide *Lib.* VIII. *epist. 6.* CELLARIUS.

2. *Suscepturum officia*] Ne quis ex provincia Romam iret, ut adversus Appium testimonium diceret. Hinc illud epistola sequenti: *De mercenariis testibus, à suis civitatibus notandis . . . fiet à me, cùm per Asiam decedam.* MANUTIUS.

ſpicies: ſed quoniam accidit, ſi quid à me prætermiſſum erit, commiſſum facinus, & admiſſum dedecus confitebor. Pontinius, [3] qui à te tractatus eſt præſtanti ac ſingulari fide, cujus tui beneficii ſum ego teſtis, præſtat tibi memoriam, benevolentiámque, quam debet: qui cùm maximis rebus ſuis coactus à me invitiſſimo deceſſiſſet, tamen ut vidit intereſſe tua, conſcendens jam navem, Epheſo [4] Laodiceam revertit. Talia te cùm ſtudia videam habiturum eſſe innumerabilia, planè dubitare non poſſum, quin tibi [5] amplitudo iſta ſollicitudo futura ſit. [6] Si verò efficis, ut cenſores creentur, & ſi ita geſſeris cenſuram ut & debes, & potes; non tibi ſolùm, ſed tuis omnibus, video in perpetuum ſummo te præſidio futurum. Illud pugna & enitere, ne quid nobis temporis prorogetur; ut cùm hìc tibi ſatisfecerimus, iſtic quoque noſtram in te benevolentiam navare poſſimus. Quæ de hominum atque ordinum omnium erga te ſtudiis ſcribis ad me, minimè mihi miranda, & maximè jucunda acciderunt: eademque ad me perſcripta ſunt à familiaribus meis. Itaque capio magnam voluptatem, cùm tibi, cujus mihi amicitia non ſolùm ampla, ſed etiam jucunda eſt, ea tribui, quæ debeantur: tum verò remanere etiam nunc in civitate noſtra ſtudia propè omnium conſenſu erga fortes & induſtrios viros; quæ mihi ipſi [7] una ſemper tributa merces eſt laborum & vigiliarum mearum. Illud verò mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuiſſe in eo [8] adoleſcente, cujus ego ſalutem [9] duobus capitis judiciis ſumma contentione defendi, ut tuis inimicitiis ſuſcipiendis oblivîſceretur patroni omnium fortunarum

3. *Qui à te tractatus eſt*] Cùm tu Coſ. illi in petitione triumphi ex Allobrogibus victis, contra Catonem & Servilium prætores faviſti. CORRADUS.

4. *Laodiceam*] Ut in provincia operam daret, ne teſtes in Appium Romam irent, ex quo patet, accuſatum Appium de rebus in provincia geſtis, quibus majeſtatem populi Romani læſiſſe videretur. MANUT.

5. *Amplitudo*] Sic omnes mſſ. quòd cùm durum nonnullis, ſed perperàm, videretur, *amplitudini* ſubſtituerunt. CELLARIUS. [Senſum faciliùs perſpiciet, qui voces ſic ordinabit: *Quin ſollicitudo iſta ſit futura tibi amplitudo.* Quin iſta ſollicitudo incrementum tibi allatura ſit amplitudinis ac dignitatis. Hoc ipſum eſt, quod antè dixit, putare ſe, Appio hunc *laborem etiam honori fore.* OLIVETUS.]

6. *Si verò efficis, ut cenſores creentur*] Quod ſi accidat, fore non dubitat, ut Cenſor ipſe Appius creetur. Itaque ſubjungit: *& ſi ita geſſeris cenſuram.* Creatus autem eſt cum L. Piſone, in quem exſtat Ciceronis oratio. MANUTIUS.

7. *Una*] Una in primis. Habet enim non tam definiendi, quàm augendi vim. IDEM.

8. *Adoleſcente*] Dolabella. IDEM.

Digitized by Google

tunarum ac rationum ſuarum: præſertim cùm tu omnibus vel ornamentis, vel præſidiis redundares, illi (ut leviſſimè dicam) multa deeſſent. Cujus [10] ſermo ſtultus & puerilis erat jam antea ad me à M. Cælio, familiari noſtro, perſcriptus: de quo item ſermone multa ſcripta ſunt abs te. Ego autem citiùs cum eo, qui tuas inimicitias ſuſcepiſſet, veterem conjunctionem diremiſſem, quàm [11] novam conciliaſſem. Neque enim de meo erga te ſtudio dubitare debes, neque id eſt obſcurum cuiquam in provincia, nec Romæ fuit. Sed tamen ſignificatur in tuis literis ſuſpicio quædam, & dubitatio tua: de qua alienum tempus eſt mihi tecum expoſtulandi; purgandi autem mei, neceſſarium. Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minùs Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, ſi te palàm odiſſem, minùs, quod tibi obeſſet, facere? ſi clàm, magis apertè inimicus eſſe? Quòd ſi eſſem eâ perfidiâ, quâ ſunt ii, qui in nos hæc conferunt: tamen eâ ſtultitiâ certè non fuiſſem, ut aut in obſcuro odio apertas inimicitias, aut in quo tibi nihil nocerem, ſummam oſtenderem voluntatem nocendi. Ad me adire quoſdam memini, qui dicerent, nimis magnos ſumptus legatis decerni: quibus ego [12] non tam imperavi, quàm cenſui, ſumptus legatis quàm maximè [13] ad legem Corneliam decernendos. Atque in eo ipſo me non perſeveraſſe teſtes ſunt [14] rationes civitatum, in quibus, quantum quæque voluit, legatis tuis datum [15] induxit. Te autem quibus mendaciis homines leviſſimi onerarunt? non modò ſublatos ſumptus, ſed etiam à procuratoribus eorum, qui jam profecti eſſent, repetitos

9. *Duobus capitis judiciis*] Epiſt. 11. lib. 6. ſcripſit ſe Dolabellæ periculis non defuiſſe. *Capitis* autem *judicium* fuit, quo libertas aut civitas amittebatur. IDEM.

10. *Sermo ſtultus*] Dictitabat fortaſſe, probari à Cicerone accuſationem illam, hoc argumento, quòd ſibi tunc filiam ſuam collocaſſet. MANUT.

11. *Novam*] Nuptiis filiæ conciliatam. ID.

12. *Non tam imperavi, quàm cenſui*] Non tam hoc imperii, quàm judicii fuit. Non hoc pro imperio feci, ſed quòd ita faciendum cenſui. IDEM.

13. *Ad legem Corneliam*] Sumptum videtur lex Cornelia definiiſſe, cùm ad eorum laudem, qui provinciis præfuiſſent, legationes Romam mitterentur. Huc illud ſpectat, quod ſcriptum eſt epiſt. 8. *Laudaturum me, ſi quis ſuo ſumptu functus eſſet officio; conceſſurum, ſi legitimo; non permiſſurum, ſi infinito.* IDEM.

14. *Rationes*] Tabulæ publicæ, in quas accepti expenſíque ratio refertur. IDEM.

15. *Induxit*] Uſurpari ſolitum eſt hoc verbum in expenſis perſcribendis. Eodem modo locutus orat. 2. in Rullum: *Ut agros*, inquit, *à vobiſmet ipſis emptos, quanti velletis populo Romano induceretis.* IDEM.

Digitized by Google

tos & ablatos, eámque causam multis omninò non eundi fuisse. Quererer tecum, atque expostularem, ni (ut suprà scripsi) purgare me tibi hoc tuo tempore, quàm accusare te mallem; idque putarem esse rectius. Itaque nihil de te, quòd credideris de me: quamobrem non debueris credere, pauca dicam. Nam si me virum bonum, si dignum his studiis eâque doctrinâ, cui me à pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habes; nihil in me non modò perfidiosum, & insidiosum, & fallax in amicitia, sed ne humile quidem, aut jejunum debes agnoscere. Sin autem me astutum, & occultum juvat fingere; quid est, quod minùs cadere in ejusmodi naturam possit, quàm aut florentissimi hominis aspernari benevolentiam, aut ejus existimationem oppugnare in provincia, cujus laudem domi defenderis? aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis? aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum levissimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, cùm te ex fratre meo ne tunc quidem, cùm tibi [16] propè necesse esset eas agere partes, inimicum mihi fuisse cognossem? Cùm verò reditum nostrum in gratiam uterque expetisset, quid in consulatu tuo frustrà mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire voluisses? Quid mihi mandasti, cùm te [17] Puteolis prosequerer, in quo non expectationem tuam diligentiâ mea vicerim? Quòd si id est maximè astuti, omnia ad suam utilitatem referre, quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quàm hominis nobilissimi atque honoratissimi conjunctio, cujus opes, ingenium, liberi, affines, propinqui, mihi magno vel ornamento, vel præsidio esse possent? Quæ tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutiâ quâdam, sed aliquâ potiùs sapientiâ, secutus sum. Quid? illa vincu-

16. *Propè necesse esset*] Quia frater tuus, P. Clodius, me oppugnaret. MANUT.

17. *Te Puteolis prosequerer*] In provinciam proficiscentem: quod in more fuit. Epist. 6. lib. 13. *Cùm te prosequerer paludatum.* IDEM.

18. *Interiores*] Secretiores: reconditæ: quæ ad minùs multos pertinent.

19. *Ne per imprudentiam quidem*] In oratione pro Gabinio: *Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione & fide, tum eas maximè, quæ essent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: propterea quòd integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ, vel, ut graviùs interpretemur, negligentiæ excusatione defenditur:*

Digitized by Google

vincula, quibus quidem libentissimè adstringor, quanta sunt, studiorum similitudo, suavitas consuetudinis, delectatio vitae atque victûs, sermonis societas, literae [18] interiores? Atque hæc domestica. Quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam? in quo [19] ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspicione perfidiæ: amplissimi [20] sacerdotii collegium? in quo non modò amicitiam violari apud majores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quæ ut omittam tam multa, atque tanta, quis unquam tanti quemquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium, socerum tuæ filiæ? Etenim si merita valent: patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto. Si consuetudinis jucunditas: quæ fuit unquam amicitia consularium in nostra civitate conjunctior? Si illa amoris, atque officii signa: quid mihi ille non commisit? Quid non mecum communicavit? Quid de se in senatu, cùm ipse abesset, per quemquam agi maluit? Quibus ille me rebus non ornatissimum voluit amplissimè? Qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam [21] pro Milone, [22] adversante interdum actionibus suis? Quo studio providit, ne quæ me illius temporis [23] invidia attingeret, cùm me consilio, cùm auctoritate, cùm [24] armis denique texit suis? Quibus quidem temporibus hæc in eo gravitas, hæc animi altitudo fuit, non modò ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum malevolis de me sermonibus crederet. Hujus igitur filius cùm sit gener tuus, cúmque, præter hanc conjunctionem affinitatis, quàm sis Cn. Pompeio carus, quàmque jucundus intelligam, quo tandem animo in te esse debeo? Cùm præsertim eas ad

M 2 me

fenditur: post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet. MANUTIUS. Vide lib. VIII. ep. 9.

20. *Sacerdotii*] Auguratûs. IDEM.

21. *Pro Milone*] Reo ob necem P. Clodii. IDEM.

22. *Adversante*] Ita Grævius ex Victorio. Alii, *adversantem*.

23. *Invidia*] Quia suspicio fuit, consilio Ciceronis Clodium à Milone interfectum; idque Plancus & Q. Pompeius tribuni pleb. seditiosis concionibus persuadere populo conati sunt. MANUT.

24. *Armis denique texit suis*] Exercitum eo tempore Pompeius in urbe habuit, ne quid respublica ei commissa, detrimenti caperet. IDEM.

Digitized by Google

me is literas miserit, quibus, etiamsi tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen; totúmque me ad ejus viri ita de me meriti voluntatem, nutúmque converterem. Sed hæc hactenus: pluribus enim etiam fortasse verbis, quàm necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, [25] quæ à me profecta, quǽque instituta sunt, cognosce. ** Atque hæc agimus, & agemus magis pro dignitate, quàm pro periculo tuo. Te enim (ut spero) propediem censorem audiemus: cujus magistratûs officia, quæ sunt maximi animi, summíque consilii, tibi diligentiùs, & accuratiùs, quàm hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda esse censeo. Vale.

25. *Quæ à me profecta, quæque instituta sunt, cognosce. Atque hæc agimus*] Ante hæc verba *Atque hæc agimus* multa desunt: quis enim non videat hunc locum esse mutilatum & decurtatum: desiderarique explicationem eorum omnium beneficiorum, quæ Cicero in Appium contulerit, quæque conferre instituisset? Non erimus in hoc longiores, satis enim rem signasse fuit: si quis nobis felicior locum hunc & antiquiore & minùs lacero exemplari restituere potuerit, is à me & studiosis omnibus magnam gratiam inierit. VICTOR. *Cognosce*, dixit, quia cum literis commentarium mittebat de rebus à se pro Appio actis & agendis. Partem quidem ipsius epistolæ desiderari nullam puto. MAN. Animadversionem suam pluribus confirmat Victorius in *Posterior.*

M. T. C. APPIO PULCHRO (*ut spero*) CENSORI, S. D.

II CUM essem in castris ad fluvium [1] Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore à te epistolæ duæ, quas ad me Q. Servilius Tarso miserat. Earum in altera dies erat adscripta nonarum Aprilium; in altera, quæ mihi recentior videbatur, dies non

ARG. Gratulatur Appio de absolutione majestatis, & de ambitu similem eventum sperat. Laudatis Pompeio & Bruto, pollicetur operam suam ad notandos, qui testimonium in Appium pretio dixerant. Augurales libros ad otium utriusque servari, orationes autem mitti cupit; & humaniores literas pollicitus, monet, ut proavum in Censura imitetur. *Anno* U. C. 703.

1. *Pyramum*] Fluvium Ciliciæ, qui ex Tauro monte in mare Pamphylium profluit, Issum versùs. Strabo, lib. XII.

2. *Permultum antè*] Respuunt hoc aures meæ, cùm Latini sermonis consuetudo, *permulto antè*, requirere videatur. Quanquam, Valla quid scripserit, non me fugit. Sed in antiquis sero omnia, (quanquam, mendosa non esse, quis præstat?) non omnia tamen imitor. MANUT. Unus Manutio Lambinus obtemperavit.

3. *De ambitu verò*] Dices forsan: majestatis absolutus sum, sed adhuc de ambitu periclitor: quid interest, in ambitu hæream, an in majestatis crimine? Respondet Cic. *παρὰ προσδοκίαν*. Ad summam rei nihil interest: nam utriusque idem erit exitus: absolvêris ambitûs perinde, ut absolutus es majestatis. J. F. GRONOVIUS.

4. *Alteram auxisti*] Majestatem verò P. R. adeò non minuisti, ut etiam auxeris; vel, Tuam ipsius majestatem auxisti, postquam judicio majestatis absolutus es. IDEM.

Digitized by Google

non erat. Respondebo igitur superiori priùs, in qua scribis ad me de absolutione majestatis. De qua, etsi [2] permultùm antè certior factus eram literis, nuntiis, famâ denique ipsâ, (nihil enim fuit clarius; non quò quisquam aliter putasset; sed nihil de insignibus ad laudem viris obscurè nuntiari solet) tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non solùm quia planiùs loquebantur, & uberiùs, quàm vulgi sermo; sed etiam quia magis videbar tibi gratulari, cùm de te ex te ipso audiebam. Complexus igitur sum cogitatione te absentem; epistolam verò osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. Quæ enim à cuncto populo, à senatu, à judicibus, ingenio, industriæ, virtuti tribuuntur; quia mihi ipse assentor fortasse, cùm ea esse in me fingo; mihi quoque ipsi tribui puto. Nec tam gloriosum exitum tui judicii extitisse, sed tam pravam inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar. [3] De ambitu verò quid interest, inquies, an de majestate? Ad rem nihil. Alterum enim non attigisti, [4] alteram auxisti. [5] Veruntamen est majestas (& sic Sylla [6] voluit) ne in quemvis impunè declamari liceret. Ambitus verò ita apertam vim habet, ut aut accusetur [7] improbè, aut defendatur. Quî enim facta, aut non facta largitio ignorari potest? Tuorum autem honorum cursus cui suspectus unquam fuit? Me miserum, qui non affuerim! Quos ego risus excitassem? Sed de majestatis judicio duo mihi illa ex tuis literis jucundissima fuerunt: unum, quòd te [8] ab ipsa republica defensum scribis; quæ quidem, etiam in summa bonorum & fortium civium copia, tueri tales viros deberet; nunc verò eò magis, quòd tanta penu-

 ria

5. *Veruntamen est majestas*] Videat adversarius tuus, ne ipse majestatis reus sit: nam hujus legis caput est, ne viros honestos liceat contumeliosè compellare. Atque in ea re Augustus discipulus Syllæ fuit. Tac. Ann. I. 72. *Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis ejus tractavit*, &c. Idem.

6. *Voluit*] Lege Cornelia. Vide Indicem *Legum*, in limine Tomi IV.

7. *Improbè*] Improbus est, vel qui ambitum accusat, vel qui defendit. Cùm enim largitio facta, aut non facta ignorari non possit; nemo vir bonus ejus delicti nomine quenquam accusabit, quo eum vacare satis liqueat. Rursus nocens reus improbè defendet, quod multorum testimonio probetur. Improbus igitur Dolabella, qui te de ambitu accuset, cujus honorum cursus nemini suspectus unquam fuit. Hoc totum pro Appio contra Dolabellam, generum suum, tempori serviens Cicero collegit: quod factum excusat in epist. ad Cælium lib. 2. his verbis: *Quid, si meam legas, quam ego tum ex tuis literis misi ad Appium? quid agas? sic vivitur.* Manut.

8. *Ab ipsa Rep.*] Ab omnibus magistratibus & bonis. Hi enim Resp.

Digitized by Google

ria eſt in omni vel honoris, vel ætatis gradu, ut tam orba civitas tales tutores complecti debeat: alterum, quòd [9] Pompeii & Bruti fidem, benevolentiámque mirificè laudas. Lætor virtute & officio cùm tuorum neceſſariorum, meorum amiciſſimorum, tum alterius, omnium ſeculorum & gentium principis; alterius, jampridem juventutis, celeriter (ut ſpero) civitatis. De mercenariis teſtibus à ſuis civitatibus [10] notandis, niſi jam factum aliquid eſt per Flaccum, fiet à me, cùm per Aſiam decedam. Nunc ad alteram epiſtolam venio. Quòd ad me quaſi formam communium temporum & totius reipublicæ miſiſti expreſſam, prudentia literarum tuarum valde mihi eſt grata. Video enim & pericula leviora, quàm timebam, & majora præſidia, ſi quidem (ut ſcribis) omnes vires civitatis ſe ad Pompeii ductum applicaverunt: tuúmque ſimul promptum animum & alacrem perſpexi ad defendendam rempublicam, mirificámque cepi voluptatem ex hac tua diligentia, quòd in ſummis tuis occupationibus, mihi tamen reipublicæ ſtatum per te notum eſſe voluiſti. Nam augurales libros ad commune utriuſque noſtrum otium ſerva. Ego enim à te cùm tua promiſſa per literas flagitabam, [11] ad urbem te otioſiſſimum eſſe arbitrabar. Nunc tamen, ut ipſe polliceris, pro auguralibus libris, orationes tuas confectas omnes expectabo. [12] Tullius, cui mandata ad me dediſti, non convenerat me: nec erat jam quiſquam mecum tuorum, [13] præter omnes meos, qui ſunt omnes tui. Stomachoſiores meas literas quas dicas eſſe, non intelligo. Bis ad te ſcripſi, me purgans diligenter, te leviter accuſans in eo quod de me citò crediddiſſes: quod genus querelæ mihi quidem videbatur eſſe amici. Sin tibi diſplicet, non utar eo poſthac. Sed ſi, ut

9. *Pompeii & Bruti*] Unam ex duabus Appii filiis uxorem duxerat Cn. Pompeii filius, alteram M. Brutus. *Epiſt.* 4. Brutus verò & laudavit reum Appium, & defendit. Illud ex Diomede, hoc ex libro de claris Orat. conſtat. MANUT.

10. *Notandis*] Pſephiſmate, vel Senatuſconſulto, aut decreto civitatum. Vide me ad Liv. XXVII. 25. J. F. GRONOV.

11. *Ad urbem*] Eorum more, qui ex provincia cum imperio reverſi ad urbem expectant, ut eis triumphus decernatur. MAN.

12. *Tullius*] Non videtur hic eſſe L. Tullius legatus, de quo epiſt. 3. lib. XV. & ad Att. epiſt. 4. 11. 21. lib. V. ſed potiùs ex familiaribus Appii, quod Ciceronis verba demonſtrant. Fuere igitur quinque Tullii. Præter Ciceronem noſtrum, hic familiaris Appii, & L. Tullius legatus, & M. Tullius ſcriba, de quo epiſt. 20. lib. V. & L. Tullius Montanus, de quo epiſt. 50. ad Att. lib. XII. IDEM.

13. *Præter omnes meos*] Contubernales, vel de cohorte mea. J. F. GRONOV.

ut scribis, eæ literæ non fuerunt disertæ, scito meas non fuisse. Ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat: sic tu (libet enim mihi jocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in censura, si jam es censor, (ut spero) [14] de proavo multùm cogitato tuo.

14. *De proavo*] Appio Claudio Cæco, qui solus toto quinquennio censor fuit. CORRAD.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

GRATULABOR tibi priùs, (ita enim rerum ordo postulat) 12
deinde ad me convertar. Ego verò vehementer gratulor de judicio ambitûs: neque id, quod nemini dubium fuit, absolutum esse te: sed illud, quod quò melior civis, quò vir clarior, quo fortior amicus es, quóque plura virtutis & industriæ ornamenta in te sunt, eò mirandum est magis, nullam ne in [1] tabellæ quidem latebra fuisse absconditam malevolentiam, quæ te impugnare auderet. Non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium: nihil jam sum pridem admiratus magis. [2] De me autem, suscipe paulisper meas partes, & eum te esse finge, qui sum ego: si facilè inveneris quod dicas, noli ignoscere hæsitationi meæ. Ego verò velim mihi, Tulliæque meæ (sicut tu amicissimè & suavissimè optas) prosperè evenire ea, quæ me insciente facta sunt à meis: [3] sed ita cecidisse, ut [4] agerentur eo tempore, spero omnino [5] cum aliqua felicitate,

ARG. Gratulatur de absolutione ambitûs: nuptias Tulliæ excusat se insciente confectas, quibus ipse ad declarandam Appio benevolentiam moveatur. *Anno* U. C. 703.

1. *Tabellæ*] Tabellis aut Judices absolvebant, aut condemnabant, aut ampliabant. Hæc pluribus verbis Asconius.

2. *De me autem*] Quod autem ad filiam meam, accusatori tuo collocatam, pertinet: suscipe meam personam, ut putes te esse, qui ego sum: tum intelliges, mihi ignoscendum esse, nunc hæsitanti. Quia nec tu facilè inveneris, quod dicas. Hæsito autem, quia neque possum dicere probari à me novam affinitatem, quæ cum accusatore tuo contracta sit; nec improbare debeo, ne malis moinibus prosequar eam rem, quam tu quoque mihi prosperè cupis evenire. MANUT.

3. *Sed ita cecidisse*] Scribendum censeo: *& ita cecidisse.* Sic enim cohæret oratio: prospero & opto. Ubi adversativa particula locum non habet. J. F. GRONOV.

4. *Agerentur eo tempore*] Quo tu cum illo collisus es, ita ut viceris, quò facilius fore spero, ut me medio & interprete redeatis in gratiam. IDEM.

5. *Cum aliqua felicitate*] Ex spe, te & Dolabellam reconciliandi. CORRAD. Non hoc solum Cicero dicit, sed latiùs felicitatem vult patere. Spero felix futurum hoc conjugium cùm in aliis rebus, tum in hoc etiam ut in gratiam redeas cum Dolabella. GRÆV.

Digitized by Google

licitate, & opto. Veruntamen plus me in hac ſpe, tua ſapientia & humanitas conſolatur, quàm [6] opportunitas temporis. Itaque, quemadmodum expediam exitum hujus inſtitutæ orationis, non reperio. Neque enim triſtius dicere quidquam debeo [7] ea de re, quam tu ipſe ominibus optimis proſequeris. Neque non me tamen mordet aliquid: in quo [8] unum vereor, ne tu parùm perſpicias ea, quæ geſta ſint, ab aliis eſſe geſta, quibus ego ita mandaram, ut, cùm tam longè abfuturus eſſem, ad me ne referrent; agerent, quod probaſſent. In hoc autem mihi illud occurrit: Quid tu igitur, ſi affuiſſes? Rem probaſſem. De tempore, nihil te invito, nihil ſine conſilio egiſſem tuo. Vides ſudare me, jamdudum laborantem, quomodo ea tuear, quæ mihi tuenda ſunt, & te non offendam. Leva me igitur hoc onere: nunquam enim mihi videor tractaſſe cauſam difficiliorem. Sic habeto tamen: niſi jam tunc omnia negotia cum ſumma tua dignitate diligentiſſimè confeciſſem, tametſi nihil videbatur ad meum erga te priſtinum ſtudium addi poſſe: tamen, hac mihi affinitate nuntiata, non majore equidem ſtudio, ſed acriùs, apertiùs, ſignificantiùs dignitatem tuam defendiſſem. Decedenti mihi, & jam imperio annuo terminato, ante diem III. nonas Sextiles, cùm ad Sidam navi accederem, & mecum Q. Servilius eſſet, literæ à meis ſunt redditæ. Dixi ſtatim Servilio, (etenim videbatur eſſe commotus) ut omnia à me majora expectaret. Quid multa? Benevolentior tibi, quàm fui, nihilo ſum factus; diligentior ad declarandam benevolentiam multò. Nam ut vetus noſtra ſimultas antea ſtimulabat me, ut caverem, ne cui ſuſpicionem fictè reconciliatæ gratiæ darem: ſic affinitas novam curam mihi affert cavendi, ne quid de ſummo meo erga te amore detractum eſſe videatur. Vale.

M. T.

6. *Opportunitas*] Quæ ſit, ut ego alterius amicus, alterius ſocer, hoc tuo tempore ſim inter vos quaſi interpres. CORR.

7. *Ea de re*] De nuptiis. MANUT.

8. *Unum* non *vereor*, *ne tu parum*] Una res leviorem curam meam facit, quòd non dubito, quin ſatis intelligas, Tulliam eſſe deſponſatam Dolabellæ me abſente & ignorante, cùm ut id fieret reperto commodo genero, Terentiæ & amicis Romæ relictis permiſiſſem. J. F. GRONOVIUS. Veterum librorum, quos ego vidi, conſenſus movet me, ut de manuſcripta lectione non dubitem, quæ *modo vereor* habet, pro eo quod eſt in vulgatis, *non vereor*. F. URSIN.

Digitized by Google

M. T. C. APPIO PULCHRO S. P. D.

QUASI divinarem, tali in officio fore mihi aliquando expetendum ſtudium tuum, ſic, cùm de tuis rebus geſtis agebatur, inſerviebam honori tuo. Dicam tamen verè; plus quàm acceperas, reddidiſti. Quis enim ad me non perſcripſit, te non ſolùm auctoritate orationis, ſententiâ tuâ, quibus ego à tali viro contentus eram, ſed etiam operâ, conſilio, domum veniendo, conveniendis meis, nullum munus officii cuiquam reliquum feciſſe? Hæc mihi ampliora multo ſunt, quàm illa ipſa propter quæ hæc laborantur. Inſignia enim virtutis multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt; talium virorum tanta ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt. Itaque mihi propono fructum amicitiæ noſtræ ipſam amicitiam, quâ nihil eſt uberius, præſertim in iis ſtudiis, quibus uterque noſtrûm devinctus eſt. Nam tibi me profiteor & in republica ſocium, de qua idem ſentimus, & in quotidiana vita conjunctum [1] cum iis artibus, ſtudiiſque, quæ colimus. Velim ita fortuna tuliſſet, quanti ego omnes tuos facio, uti tu meos facere poſſes: quod tamen ipſum, neſcio qua permotus animi divinatione, non deſpero. Sed hoc [2] nihil ad te: [3] noſtrum eſt onus. Illud velim ſic habeas (quod intelliges) [4] hac re novatâ additum potiùs aliquid ad meum erga te ſtudium, cui nihil videbatur addi poſſe, quàm quidquam eſſe detractum. Cum hæc ſcribebam, Cenſorem te jam eſſe ſperabam. Eò brevior eſt hæc epiſtola, &, ut adversùs magiſtrum morum, modeſtior. Vale.

13

ARG. Appio gratias agit, quòd ſuos in ſupplicatione decernenda adjuviſſet: paratáque illi officia pollicetur. De Dolabellæ reconciliatione non deſperat: cenſuram obtentam eſſe ſperat. *Anno* U. C. 703.

1. Quam *his artibus ſtudiiſque colimus*] Sic MſſC. quos inſpexi. Et videtur multò elegantius. Quis enim neſcit bonis artibus & ſtudiis, vitam coli & ornari? GRÆV.

2. *Nihil ad te*] Habet rationem Appii dignitatis, quia pluris facere adoleſcens Dolabella Appii amicitiam, viri in primis honorati, quàm contrà Appius Dolabellæ, debebat: accedebat æquitas: utrum enim decet, eum, qui injuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laborare? MANUTIUS.

3. *Noſtrum eſt onus*] Ego efficiam, ut reconciliationis initia à genero meo proficiſcantur. IDEM.

4. *Hac re novatâ*] Quòd mihi Dolabellam affinitate devinxerim. IDEM.

EPISTOLARUM
AD FAMILIARES
LIBER IV.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

I CAIUS Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quæsisse quibus in locis essem: molestéque te ferre, quòd me propter valetudinem tuam, cùm [1] ad urbem accessissem, non vidisses: & hoc tempore velle te mecum, si propiùs accessissem, de officio utriusque nostrûm communicare. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profectò aliquid opis occidenti reipublicæ tulissemus. Cognoram enim jam absens, te hæc mala multò antè providentem, [2] defensorem pacis, & in consulatu tuo, & [3] post consulatum fuisse. Ego autem cùm consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam. Serò enim [4] veneram; solus eram; rudis esse videbar

ARGUMENTUM. Sulpicio, congressum petenti, respondet, suámque cum illius voluntate convenire demonstrat, & desperatum reip. statum deplorat. Scripta est epistola cùm Cæsar in Hispaniam regressus Pompeii legatos oppugnaret. *Anno* U. C. 704.

1. *Ad urbem*] Ubi expectaret donec triumphus decerneretur. Vide lib. III. epist. 8. ubi de hac locutione dictum est.

2. *Defensorem pacis*] Nam, cùm M. Marcellus consul & provincias Gallias ante legitimum tempus, & privilegium Cæsari, quod ei populus concesserat, ut absens consulatum petere posset, eripere conaretur; Sulpicius collega restitit; quod iniquum putaret ea rescindi, quæ populus jusserat; eámque fore civilis belli causam intelligeret. *Suetonius.* MANUTIUS.

3. *Post consulatum*] Cùm C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, consul eadem in Cæsarem tentavit: ut scripsit Suetonius. Is enim consulatum ex Marci fratris auctoritate gessit: ut legitur in epist. 9. cui successit L. Lentulus, & ipse Cæsaris causæ acerrimus adversarius. MANUT.

4. *Veneram*] Ex provincia. Venit autem pridie

Digitized by Google

bar in causa; incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc, quoniam nihil jam videmur opitulari posse reipublicæ; si quid est, in quo nobismetipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quàm honestissimè lugeamus; nemo est omnium, quicum potiùs mihi, quàm tecum, communicandum putem. Nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustrà in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne [5] ejus animum offenderem, qui à me, [6] ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, me [7] cùm rogaret ut adessem in senatu, eadem omnia, quæ à te [8] de pace & [9] de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. [10] Res videas quo modo se habeat: orbem terrarum, imperiis distributis, ardere bello: urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relictam direptioni & incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest non modò quid sperem, sed vix jam quid audeam optare. Sin autem tibi, homini prudentissimo, videtur utile esse nos colloqui, quanquam longiùs etiam cogitabam ab urbe discedere, cujus jam etiam nomen invitus audio, tamen [11] propiùs accedam: Trebatióque mandavi, ut si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret; ídque ut facias velim; aut si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas; ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tantum tibi tribuo, tantum mihi [12] fortasse arrogo, ut exploratum habeam, quidquid nos communi sententiâ statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

pridie non. Jan. L. Lentulo, C. Marcello Coss. Abfuit igitur toto anno, quo C. Marcellus, Marci frater, cum L. Paulo consul fuit. MANUT.

5. *Ejus*] Cæsaris. MANUTIUS.

6. *Ut te imitarer*] Ut irem in senatum. Id enim Cæsar cupiebat. IDEM.

7. *Cùm rogaret*] Formiis: quod ex ep. 17. & 18. lib. IX. ad Att. intelligitur. IDEM.

8. *De pace*] Ut ageretur de concordia Cæsaris, & Pompeii. IDEM.

9. *De Hispaniis*] Senatui non placere, Cæsarem in Hispanias contra Pompeii legatos proficisci. IDEM.

10. *Res videas*] Vulgati plerique: *Rem vides quo modo se habeat.* Antiptosis.

11. *Tamen propiùs accedam*] E Campania & maritima ora, quæ me, ut voluit Pompeius, habet ἐπίλεκτον. CORRAD. Vide *Fam.* XVI. 11. & 13. *Att.* VII. 11.

12. *Fortasse arrogo*] Fortasse enim mihi assentor, cùm mihi tantundem, quantum tibi, tribuo. *Arrogare* dicimur *nobis ea*, quæ nostra non sunt. MANUTIUS.

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.

2 Ante diem III. kal. Maias cùm essem in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis, cognovi non satis prudenter fecisse [1] Philotimum: qui cùm abs te mandata haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, literas tuas misisset: quas intellexi breviores fuisse, quòd eum perlaturum putasses. Sed tamen, postquam literas tuas legi, [2] Postumia tua me convênit, & Servius noster. His placuit, ut tu in Cumanum venires: [3] quod etiam mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quod meum consilium exquiris, id est tale, ut capere facilius ipse possim, quàm alteri dare. Quid enim est, quod audeam suadere tibi, homini summâ auctoritate, summâque prudentiâ? Si, quid rectissimum sit, quærimus; perspicuum est. Si, quid maximè expediat; obscurum. Sin ii sumus, qui profectò esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestúmque sit; non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quòd existimas meam causam conjunctam esse cum tua, certè similis in utroque nostrûm, cùm optimè sentiremus, error fuit. Nam omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt: quâ cùm ipsi Cæsari [4] nihil esset utilius, gratiam quoque nos inire ab eo, defendendâ pace, arbitrabamur. Quantum [5] nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, vides. Neque solùm ea perspicis, quæ [6] geruntur, quæque jam gesta sunt,

Arg. Quærenti Sulpicio, quid faciendum sit, respondet cum laude ejus, si recta sequenda, certam rationem esse; non item, si utilia, quia Cæsaris causa firmior; honestior Pompeii. Longiùs ergo discedendum ab urbe, in qua quæ fiant, turpe sit probare, non probare periculosum. Sed quò eundum, difficilem esse deliberationem. Qua de re si colloqui velit, quàm primum rogat, adveniat. *Anno* U. C. 704.

1. *Philotimum*] Libertum Terentiæ Ciceronis. Epist. 3. lib. VIII. Manutius.

2. *Postumia*, . . . *Servius*] Illa, uxor Servii Sulpicii: hic, ejusdem filius.

3. *Quod*] Ordo est, *quod etiam ut ad te scriberem mecum egerunt.* Græv.

4. *Nihil esset utilius*] Ut quidem ipse Cicero putabat, cui, quod honestum, id unum utile videbatur. Cæsar autem nihil melius, quàm regnare existimabat. Manut.

5. *Nos fefellerit*] Non Cæsar, sed id quod arbitrabamur. Dicimus enim simpliciter interdum: *Non me fallit.* Fefellit autem in eo Ciceronem opinio, quòd Cæsar, cùm ei nihil esset utilius concordiâ, rem tamen ad arma deducere maluerat. Idem.

6. *Geruntur*] A Cæsare in Hispania contra Pompeii legatos; pulso enim Italiâ Pompeio, ad urbem Cæsar excurrit, inde in Hispaniam. Quo autem tempore cum Sulpicio collocutus est Cicero, bellum in Hispania gerebatur. Id cognoscitur ex epist. 11, 12. lib. X. ad Att. Manut.

Digitized by Google

sunt, sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quæ fiunt: aut interesse, etiamsi non probes: [7] quorum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat, ut discedendum putem: in quo reliqua videtur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quæ loca sequamur. Omnino cùm miserior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo facias: ut, si habes jam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit conjunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris. Sin autem est quod mecum communicare velis, ego te expectabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quàm primùm velim venias, sicut intellexi & Servio & Postumiæ placere. Vale.

7. *Quorum altera*] Sic in decem antiquis libris: in duobus, *Quarum*. Antiquitatem magis redolet, *Quorum*: & vereor, ne quis ob verbum, *Altera*, scribendum putaverit, *Quarum*. IDEM.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

VEHEMENTER te esse sollicitum, & in communibus miseriis præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quanquam minimè miror, [1] & meum quodammodo agnosco: doleo tamen, te sapientiâ præditum propè singulari, non tuis bonis delectari potiùs, quàm alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie & peste reipublicæ molestiam traxerit, tamen multa jam consolantur, maximéque conscientia consiliorum meorum. Multò enim antè tanquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futuram: neque id solùm meâ sponte, sed multò etiam magis monente & denuntiante te. Etsi enim absui magnam partem consu-

ARG. Sulpicium, à Cæsare Achaiæ post aciem Pharsalicam præfectum, consolatur, qui dolorem ex calamitate reip. ceperat. Scripta post Africanum bellum Cæsaris, ante Hispaniense. *Anno* U. C. 707.

1. *Et meum quodammodo agnosco*] Accipio non masculino genere, ut intelligatur *dolorem*, quod vult Manutius: sed neutro, ut sit aliquid mei moris. Plaut. Trin. III. 2. 5. *Neque meum est, neque facere didici.* Bacch. V. 2. 34. *Tu tuum facito, ego quod dixi, haud mutabo.* J. F. GRONOV.

consulatûs tui, tamen & absens cognoscebam, quæ esset tua in hoc pestifero bello cavendo & [2] prædicendo sententia; & ipse affui primis temporibus tui consulatûs, cùm accuratissimè monuisti senatum collectis omnibus bellis civilibus, ut & illa timerent, quæ meminissent: & scirent, cùm superiores, nullo tali exemplo antea in republica cognito, tam crudeles fuissent, quicunque postea rempublicam oppressisset armis, multò intolerabiliorem futurum. Nam quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant: sed aliquid, atque adeò multa addunt, & afferunt de suo. Quare meminisse debes, eos, qui auctoritatem & [3] consilium tuum non sunt secuti, suâ stultitiâ [4] occidisse, cùm tuâ prudentiâ salvi esse potuissent. Dices, Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, & quasi [5] parietinis reipublicæ? Est omnino vix consolabilis dolor: tanta est omnium rerum amissio, & desperatio recuperandi. Sed tamen & Cæsar ipse ita de te judicat, & omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere sanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. Hæc tibi ad levandas molestias magna esse debent. Quòd autem à tuis abes, id eò leviùs ferendum est, quòd eodem tempore à multis & magnis molestiis abes: quas ad te omnes perscriberem, nisi vererer, ne ea cognosceres, absens, quæ quia non vides, mihi videris meliore esse conditione, quàm nos, qui videmus. Hactenus existimo nostram consolationem rectè adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de

2. *Et prædicendo*] *Prædicendo* hîc locum habere non posse, facilè assentiaris, animum si rectè advertas. Non vereor, ne errem, si rescribam: *præcidendo*. *Præcidere bellum* eâdem elegantiâ dicitur, quâ *præcidere amicitiam*. Cicero noster lib. I. de Off. cap. 33: *Amicitias, quæ minùs delectent, & minùs probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quàm repentè præcidere*. Plinius, lib. IX. epist. 1. *Cujus cunctationem nec res ipsa desiderat, & ratio præcidit*. Sæpius Cicero hoc verbo eâdem potestate usus est. HEUMANNUS, *Parerg. Crit.*

3. *Consilium tuum*] Ne Cæsari ante concessum lege Treboniâ tempus succederetur, & ut absenti consulatum petere liceret. In quo dissentiebat à M. Marcello collega. Epitome Liviana 108. Contentiones inter consules de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatûs veniret, &c. *Sueton*. *Plutarch*. *Dio*, *alii*. MANUT.

4. *Occidisse*] Consulares, Pompeium Magnum, L. Lentulum, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii socerum, prætorium, M. Catonem &c. qui bellum paci prætulerant. IDEM.

5. *Parietinis*] *Parietinæ*, Parietum ruinæ. Cic. ad rempubl. transtulit, &, *Quasi*, præposuit, veritus ne paulò durior translatio videretur. Quòd præcipit Crassus lib. 3. de Orat. *Mollienda*, inquit, *translatio est præposito sæpe verbo*. IDEM.

Digitized by Google

de rebus, quibus levari possent molestiæ tuæ. Reliqua sunt in te ipso, neque mihi ignota, nec minima solatia, &, ut quidem ego sentio, multò maxima: quæ ego ipse experiens quotidie, sic probo, ut ea mihi salutem afferre videantur. Te autem ab initio ætatis memoriâ teneo summè omnium doctrinarum studiosum fuisse, omniáque, quæ à sapientissimis ad bene vivendum tradita essent, summo studio curáque didicisse; quæ quidem vel optimis rebus, & usui & delectationi esse possent; his verò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Nihil faciam insolenter, neque te tali vel scientiâ, vel naturâ præditum hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis studium tuum dedisti: tantùm dicam, quod te spero approbaturum, me, posteaquàm illi arti, cui studueram, nihil esse loci, neque in curia, neque in foro viderem, omnem meam curam atque operam ad Philosophiam contulisse. Tuæ scientiæ excellenti ac singulari, non multò plus, quàm nostræ, relictum est loci. Quare non equidem te moneo, sed mihi ita persuasi, te quoque in iisdem versari rebus, quæ etiam si minùs prodessent, animum tamen à sollicitudine abducerent. Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primísque in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat. A me verò sic diligitur, ut tibi uni concedam, præterea nemini; mihíque ab eo gratia refertur: in quo ille existimat, quod facilè appareat, cùm me colat & observet, tibi quoque in eo se facere gratissimum. Vale.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

ACCIPIO excusationem tuam, quâ usus es, cur sæpius ad me [1] literas uno exemplo dedisses: sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentiâ, aut improbitate eorum, qui epi-stolas 4

ARG. Sulpicii excusatione acceptâ ex parte, ipsiúsque elegantiâ scribendi laudatâ, probat illius consilia, quibus Achaiæ administrationem non recusandam esse putarat. Narrat de senatûs in Marcelli restitutione officio, de studiis Servii filii, & aliis rebus. *Anno* U. C. 707.

1. *Literas uno exemplo dedisses*] Iisdem verbis scriptas. Exemplum veteribus est quod nos *copiam* dicimus. Cic. in epistolis sæpe dixit, *Ex literis cognosces, quarum exemplum ad te misi.* GRÆVIUS.

Digitized by Google

ſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excuſationis, quâ te ſcribis orationis paupertate (ſic enim appellas) iiſdem verbis epiſtolas ſæpiùs mittere, nec noſco, nec probo. Et ego ipſe, quem tu per jocum (ſic enim accipio) divitias orationis habere dicis, me non eſſe verborum admodum inopem agnoſco: [2] εἰρωνεύεσθαι enim non neceſſe eſt: ſed tamen idem (nec hoc [3] εἰρωνευόμενος) facilè cedo tuorum ſcriptorum [4] ſubtilitati, & elegantiæ. Conſilium tuum, quo te uſum ſcribis hoc [5] Achaicum negotium non recuſaviſſe, cùm ſemper probaviſſem, tum multò magis probavi lectis tuis proximis literis. Omnes enim cauſæ, quas commemoras, juſtiſſimæ ſunt, tuáque & auctoritate & prudentiâ digniſſimæ. Quod [6] aliter ceciſſe rem exiſtimas, atque opinatus ſis, id tibi nullo modo aſſentior. Sed quia tanta perturbatio & confuſio eſt rerum, ita perculſa & proſtrata fœdiſſimo bello jacent omnia, ut is cuique locus ubi ipſe ſit, & ſibi quiſque, miſerrimus eſſe videatur: propterea & tui te conſilii pœnitet: & nos, qui domi ſumus, tibi

2. Εἰρωνεύεσθαι] *Diſſimulare:* quod Socrati uſitatum; cùm iis, quos refellere volebat, plus tribuere videretur. MANUT.

3. Εἰρωνευόμενος] *Simulans.* Eſt enim ironia modò diſſimulatio, ut proximè; modò ſimulatio, ut hîc. Diſſimulamus enim vera; cùm occultamus ea, quæ ſunt: ſimulamus falſa; cùm ea fingimus eſſe, quæ non ſunt. Latè igitur patet ironia: & eſt omnino, ut ait Aquila, cùm aliud verbis ſignificamus, aliud re ſentimus. Addit Beda, gravitate pronunciationis adjuvandam. Alioqui confiteri videbitur, quod negare contendit. IDEM.

4. *Subtilitati & elegantiæ*] *Subtilitas* in ſententiis, *elegantia* in verbis. *Subtilitas* autem à Dialectica maximè ſumitur, quam Sulpicius egregiè cognovit. Alibi *Subtilitas* non idem valet, ſed venuſtas potiùs quædam eſt orationis, & naturalis quaſi color, nullo adhibito artis pigmento: qualis apud nos eſt Cæſaris ſermo, apud Græcos Lyſiæ. Itaque lib. 3. de Orat. *ſubtilitatem quidem illi Cicero tribuit, acumen autem Hyperidi.* Et in Bruto illud: *Lyſias egregiè ſubtilis ſcriptor atque elegans:* ſic accipio, non ut acutum ſcriptorem Lyſiam dici putem, ſed ut purum, ut venuſtum, ut politum, ut planè Atticum. Attica enim ſubtilitas ipſa per ſe laudatur, iis carens ornamentis, quæ ab arte ſumuntur. Qua laude Catonem Cenſorium afficit Cicero in eodem libro infrà: *Qui in Græcis* (inquit) *antiquitate delectantur, eáque ſubtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non noverunt quidem. Hyperidæ volunt eſſe & Lyſiæ. Laudo: ſed cur nolunt Catonis?* Atticum igitur dicendi genus illud, in quo Lyſias excelluit, (nam plura genera, ut ait Cicero, fuerunt) non ornatum, copioſum, illuſtre, ut Demoſthenis & Æſchinis; non acutum, ut Hyperidis; ſed exile, jejunum, ſiccum, politum tamen & venuſtum fuit: ídque tum indicant eæ, quæ extant, illius orationes: tum ipſe Cicero, ſi Lyſiæ orationes non haberemus, clariſſimè tamen oſtenderet. Nam in eodem libro aliquanto pòſt, *Atticum*, ait, *ſe Calvus noſter dici oratorem volebat. Inde erat iſta exilitas, quam ille de induſtria conſequebatur.* Et paulo pòſt: *Si quis jejunitatem, & ſiccitatem, & inopiam, dummodo ſit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit; hoc rectè dumtaxat; ſed quia ſunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret, & gradus, & diſſimilitudines, & vim, & varietatem Atticorum.* Et infrà:

Digitized by Google

bi beati videmur: at contrà nobis, non tu quidem vacuus molestiis, sed præ nobis beatus. Atque hoc ipso melior est tua, quàm nostra, conditio, quòd tu, quid doleat, scribere audes: nos ne id quidem tutò possumus: nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriæ, quæ civilibus bellis semper est insolens. Uno te vicimus, quòd de Marcelli, [7] collegæ tui, salute paulò ante, quàm tu, cognovimus: etiam, mehercule, quòd, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes: post has miserias, id est, postquam armis disceptari cœptum est de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam & ipse Cæsar, accusatâ acerbitate Marcelli, (sic enim appellabat) laudatâque honorificentissimè & æquitate tuâ, & prudentiâ, repentè præter spem dixit, se senatui, roganti de Marcello, ne [8] hominis quidem causâ negaturum. Fecerat autem hoc senatus, ut, cùm à L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cùm C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. [9] Noli quære-

infrà: *Si acutum, prudens, & idem sincerum, & solidum, & exsiccatum genus orationis probant; nec ullo graviore ornatu oratorio utuntur; & hoc primum esse Atticorum volunt: rectè laudant. Est enim in arte tanta, támque varia etiam huic minutæ subtilitati locus.* Nam, quod non ita multo pòst dicitur, *Lysiâ pictius esse nihil posse*: id affertur ex Attici persona, nimium in Græcos ambitiosi, & à Cicerone dissentientis, qui Catonem Lysiæ comparaverat. Cicero autem ipse de Lysia quid sentiat, declarat in Oratore his verbis: *Dicat igitur Atticè venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias, (quis enim id possit negare?) dum intelligamus hoc esse Atticum in Lysia, non quòd tenuis sit atque inornatus, sed quòd nihil habeat insolens aut ineptum.* Et paucis interjectis, *Qui Lysiam*, inquit, *sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem & elegantem tamen.* Hinc *agere causas subtiliter*, pro, simplici quodam & puro, & ad docendum, non ad promovendum, aut delectandum, apto dicendi genere in causis uti, dixit Cicero epist. 21. lib. IX. *Privatas* (inquit) *causas, & eas tenues agimus subtiliùs.* Et in Oratore: *Tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam & pressâ oratione limari.* Et infrà: *Orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minùs.* Elegantiam autem differre ab ornatu, ostendit Cicero in epistola ad Cornelium Nepotem: *Quis* (ait) *sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* MANUT.

5. *Achaicum*] Achaiæ administrandæ curam, à Cæsare mandatam. IDEM.

6. *Aliter*] Putasti te, cùm ab urbe abesses, à molestiis etiam absuturum. IDEM.

7. *Collegæ*] In consulatu. IDEM.

8. *Ne hominis quidem causâ*] Ne ipsius quidem Marcelli causâ, à quo graviter esset offensus. Quanquam (aiebat) in me fuerit acerbior; tamen, ne hac quidem causâ, senatui deprecanti ejus reditum negabo. Non tanti apud me erit Marcelli ipsius injuria, quanti senatûs universi consensus & deprecatio. Lib. VI. epist. 6. *Marcellum, cui maximè succensebat*, &c. IDEM.

9. *Noli quærere*] Cùm res ejusmodi est, ut eam ne longâ quidem oratione pro voluntate nostra satis exprimere videamur posse; confugimus ad hoc loquendi genus, & ad illud, *Quid quæris?* & similia quædam. IDEM.

Digitized by Google

quærere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videere quasi reviviscentis reipublicæ. Itaque cùm omnes ante me rogati Cæsari gratias egissent, [10] præter Volcatium, (is enim, [11] si eo loco esset, negavit se facturum fuisse) ego rogatus, mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertiâ, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatûs officium. Itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias: méque [12] metuo ne etiam in cæteris rebus honesto otio privarim: quod erat unum solatium in malis. Sed tamen, quoniam effugi ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur, [13] me hanc rempublicam non putare, si perpetuò tacerem, modicè hoc faciam, aut etiam [14] intra modum: ut & illius voluntati, & meis studiis serviam. Nam etsi à prima ætate me omnis ars & doctrina liberalis, & maximè Philosophia delectavit: tamen hoc studium quotidie [15] ingravescit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, ut nulla res alia levare animum molestiis possit. A quo studio te abduci negotiis intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid jam noctes te adjuvabunt. Servius tuus, vel potiùs noster, summâ me observantiâ colit: cujus ego cùm omni probitate, summáque virtute, tum studiis, doctrinâque delector. Is mecum sæpe de tua mansione, aut decessione communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maximè Cæsar velle videatur. Res sunt ejusmodi, ut si Romæ sis, nihil te, præter tuos, delectare possit.

10. *Præter Volcatium*] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Æmilio Lepido consul fuerat, triennio ante Ciceronem. MAN.

11. *Si eo loco esset*] Puto hoc dici: negavit se in patriam fuisse rediturum, si Marcellus fuisset; id est, si eadem, quæ Marcellus consul, contra Cæsarem fecisset; & si cum Pompeio postea adversùs eundem Cæsarem pugnasset, nec se, post victum Pompeium, victori credidisset: quæ cùm Marcellus fecisset, inconstantiæ videbatur esse, nec satis honorificum, beneficio ejusdem in patriam redire. MANUTIUS.

12. *Metuo*] Metuo, ne, cùm in senatu loqui cœperim, idem posthac sæpe cogar facere, ut Cæsaris voluntati serviam. IDEM.

13. *Me hanc remp. non putare*] Me hanc remp. quæ nunc est in illius manibus, non habere pro rep. me præsentem statum adversari & abominari. J. F. GRONOVIUS.

14. *Intra modum*] Hoc est, etiam minùs, quàm modus permittit. Tria momenta sic exprimuntur, ut *intra modum*, vel *legem*, sit, minùs, quàm vult jubétque, aut saltem concedit lex, aut modus: *ad modum*, vel *legem*, ipsum terminum modi finésque describat: *ultra modum*, excessum, transgressionémque indicet. IDEM.

15. *Ingravescit*] Hoc est, crescit & augetur: non, ut putant nonnulli, fit molestius. FACCIOLATUS.

sit. De reliquis, nihil melius ipso est. Cæteri, & cætera ejusmodi, ut, si alterutrum necesse sit, audire ea malis, quàm videre. Hoc nostrum consilium nobis minimè jucundum est, qui te videre cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

SER. SULPICIUS M. T. CICERONI S. D.

POSTEA *quàm mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ, filiæ tuæ, sanè quàm pro eo, ac debui, graviter molestéque tuli; communémque eam calamitatem existimavi: qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est, propterea quia per quos ea confieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestiâ afficiuntur; neque sine lacrymis multis id conari queunt: uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse suum officium præstare: tamen quæ in præsentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere, non quòd ea te fugere existimem, sed quòd forsitan, dolore impeditus, minùs ea perspicias. Quid est, quòd tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? Cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minùs quàm liberi, cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus* [1] *callere jam debet, atque omnia minoris æstimare?* [2] *An illius vicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est & tu veneris, & nos sæpe incidimus, hisce temporibus non pessimè cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad viven-* 5

ARG. Servius, Græciæ præfectus, auditâ Tulliæ Ciceronis filiæ morte, mœrentem patrem undique conquisitis argumentis consolatur, ut epistola hæc perfectæ & elaboratæ consolationis exemplum sit. Scripta, cùm Cæsar in Hispania Pompeii liberos profligasset: quod ex initio epist. 20. lib. XIII. ad Atticum constat. *A Cæsare accepi consolatorias, datas prid. Kal. Maj. Hispali.* Anno U. C. 708.

1. *Callere*] Quasi callo ex consuetudine facto sic obduruisse, ut novum dolorem jam non sentiat. Propriè Plautus in Pseud. *Plagis costæ callent.* MANUTIUS.

2. *An illius*] Nullum mihi dubium est, quin legendum sit, *At illius, credo, vicem doles. Quoties* &c. non verò, *An illius, credo, vicem doles?* ut pessimè editum est. WOPKENS, *Lect. Tullian.* II. 2.

Digitized by Google

vivendum magnopere invitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? Ut [3] *cum aliquo adolescente primario conjuncta ætatem ageret? Licitum est tibi (* [4] *credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tutò committere putares. An ut ea liberos ex sese* [5] *pareret: quos cùm florentes videret, lætaretur? qui rem à parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in republica? in amicorum negotiis* [6] *liberalitate sua uti? Quid horum fuit, quod non priùs, quàm datum est, ademptum sit? At verò malum est liberos amittere. Malum, nisi hoc pejus sit,* [7] *hæc sufferre & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cùm ab Ægina Megaram versùs navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, antè Megara, dextrà Piræeus, sinistrà Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm uno loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, & meminisse hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione eâ non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modò, uno tempore, tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta diminutio facta est: omnes provinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animula si jactura facta est, tanto opere commovêris? Quæ si hoc tempore non diem suum obiisset, paucis pòst annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata*

---

3. *Cum aliquo adolescente primario conjuncta*] Divortium cum Tullia fecerat Dolabella antequàm pareret. Quod cùm ex hoc loco, tum ex epist. 18. lib. VI. in qua sunt hæc: *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cùm ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.* Scripsit tamen ad Dolabellam epist. 11. lib. IX. de filiæ morte cum amoris in eum significatione non vulgari, (ob eam causam opinor) quòd temporis causâ, Cæsare dominante, apud quem gratiosus erat Dolabella, simulandum fuit. Notanda Pediani indiligentia, qui Tulliolam scripsit apud virum suum P. Lentulum ex partu decessisse: cùm neque Lentulus inter Ciceronis generos quisquam fuerit; & illa, ut Sulpicii verba ostendunt, & ut ipso teste Cicerone probavimus, post divortium perierit. MANUT.

4. *Credo*] Ironia: quasi credendum minimè sit, ob ea quæ sequuntur. IDEM.

5. *Pareret*] Pepererat: sed infans obiit; de quo Cicero ad Att. X. 16. IDEM.

Digitized by Google

nata fuerat. Etiam ab hisce tu rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potiùs reminiscere, quæ digna tuâ personâ sunt: illam, quamdiu fuerit opus ei, vixisse; unà cum republica fuisse; te patrem suum, prætorem, consulem, augurem vidisse; [8] *adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis propè perfunctam esse; cùm respublica occideret, vitâ excessisse. Quid est, quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum qui aliis consueveris præcipere & dare consilium: neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se Medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potiùs, quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subjice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat: hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientiâ tuâ te occurrere. Quod si quis etiam inferis sensus est; qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certè illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ, da cæteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut, si qua in re opus sit, operâ & consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quàm reipublicæ tempora & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem* [9] *apisci: fac aliquando intelligamus, adversam*

O 3 quo-

6. *Liberalitate*] Quo nomine non largitio tantùm, sed officium quodlibet, omnisque benignitas indicatur. Quanquam ex, *Libertate*, aliquid etiam elicio sententiæ: ut ostendat Sulpicius, neminem amicis jam navare operam aut studium posse, cùm libertas omnibus adempta sit. IDEM.

7. *Hæc*] Quæ cùm patimur, jucunda esse vita non potest. IDEM.

8. *Adolescentibus primariis*] Tribus. Nupsit enim primùm C. Calpurnio Pisoni Frugi, ut est in epist. 2. lib. I. ad Attic. deinde Furio Crassipedi, de quo epist. 7. lib. I. ad Lentulum, & epist. 4. lib. II. ad fratrem; quo mortuo, vel relicto, (nam neque de obitu ejus, neque de divortio constat) P. Cornelio Dolabellæ collocata est. A Dolabella, ut diximus, dimissa, periit ex partu. In quo notanda Plutarchi & Asconii indiligentia, qui duos tantùm Ciceronis generos nominarunt, Pisonem & Lentulum: in Lentuli etiam nomine peccantes: nam inter Ciceronis generos Lentulus nemo fuit. IDEM.

9. *Apisci*] Sunt nonnulla in hac epistola aliquanto antiquiora, ut *Confieri*, etsi Virgilius etiam eâ voce usus est; & *Oppidûm*, pro oppidorum, quod item ab anti-

qua

quoque te æquè ferre posse, neque id majus, quàm debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliorem animo esse cognôro, de iis rebus quæ hîc geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

quo codice acceptum est: ;& *Apisci*, pro adipisci, quam vocem sæpè & Lucretius, & Tacitus usurpant. VICTOR.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

6 EGo verò, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantùm enim præsens me adjuvare potueris & consolando, & propè æquè dolendo, facilè ex eo intelligo, quòd literis tuis lectis aliquantum acquievi. Nam & ea scripsisti, quæ levare luctum possent, & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declaravit & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet sæpe mihi fuerint, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solùm, & societas penè ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientiâ præditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum & magnis rebus gestis amisit; & L. Paulus, qui duo septem diebus; & [1] vester Gallus, & M. Cato, qui summo ingenio, summâ virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæque eram maxi-

ARG. Respondet consolanti Sulpicio, gratum sibi ejus officium fuisse, nec id exiguo doloris levamento: maximam tamen sibi levationem ex reditu & consuetudine Sulpicii fore. *Anno* U. C. 708.

1. *Vester*] Ex vestra gente Sulpicia. C. Sulpicius Gallus, qui cum M. Claudio Marcello Cos. fuit. CORRADUS.

maximis laboribus adeptus, unum manebat illud ſolatium, quod ereptum eſt. Non amicorum negotiis, non reipublicæ procuratione impediebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat: aſpicere curiam non poteram: exiſtimabam, id quod erat, omnes me & induſtriæ meæ fructus, & fortunæ perdidiſſe. Sed, cùm cogitarem, hæc mihi tecum & cum quibuſdam eſſe communia: & cùm frangerem jam ipſe me, cogerémque illa ferre toleranter, habebam quò confugerem, ubi conquieſcerem, cujus in ſermone & ſuavitate omnes curas doloréſque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quæ [2] conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt. Non enim, ut tum me à republica mœſtum domus excipiebat, quæ levaret: ſic nunc domo mœrens ad rempublicam confugere poſſum, ut in ejus bonis acquieſcam: itaque & domo abſum, & foro, quòd nec eum dolorem, quem à republica capio, domus jam conſolari poteſt, nec domeſticum reſpublica. Quò magis te expecto, téque videre quàm primùm cupio. Major mihi levatio afferri nulla poteſt, quàm conjunctio conſuetudinis, ſermonúmque noſtrorum: quanquam ſperabam tuum adventum (ſic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cùm multis de cauſis te exopto quàm primùm videre, tum etiam ut antè commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum ſit hoc tempus: quod eſt totum ad [3] unius voluntatem accommodandum: & prudentis, & liberalis, & (ut perſpexiſſe videor) nec à me alieni, & tibi amiciſſimi. Quod cùm ita ſit, magnæ eſt tamen deliberationis, quæ ratio ſit ineunda nobis, non agendi aliquid, ſed illius conceſſu & beneficio quieſcendi. Vale.

M. T.

2. *Conſanuiſſe*] Manutius legit, *conſenuiſſe*. Metaphora eſt, inquit, ab iis morbis, qui licet vetuſtate non omnino tollantur, quotidie tamen ex conſuetudine leviores fieri videntur. Non enim ſublata ea mala Cicero ſignificat, ſed animum ſuum diuturnitate tanquam occalluiſſe, ut aliquanto minùs ea ſentiret: nunc autem veterem ſibi acerbitatem novo eſſe vulnere renovatam. Gruteriani codices Manutio favent: ſed Victorium ſequimur.

3. *Unius*] Cæſaris. CORRAD.

Digitized by Google

M. T. C. M. MARCELLO S. D.

7 ETSI eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quòd eâ te sapientiâ esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me benevolentia, quæ mihi jam à pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego eum te esse, qui horum malorum initia multò antè videris, consulatum magnificentissimè atque optimè gesseris, præclarè memini: sed idem etiam illa vidi, neque te consilium civilis belli [1] ita gerendi, neque [2] copias Cn. Pompeii, nec [3] genus exercitûs probare, sempérque summè diffidere. Qua in sententia me quoque fuisse, memoriâ tenere te arbitror. Itaque neque tu multùm interfuisti rebus gerendis: & ego id semper egi, ne interessem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, causâ, quæ erant in nobis superiora: sed lacertis & viribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur: aut, si vinci dignitas non potest, fracti certè & abjecti. In quo tuum consilium nemo potest non maximè laudare, quòd cum spe vincendi simul abjecisti certandi etiam cupiditatem: ostendistíque, sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum suscipere, extrema libenter non persequi. Qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos video in duo genera esse distractos. Aut enim renovare bellum conati sunt, ii qui se [4] in Africam contulerunt: aut, quemadmodum nos, victori sese crediderunt. Medium quoddam tuum consi-

ARG. Laudato consilio, & prudentiâ Marcelli, qui abesse à patria perpetuò volebat; suadet nihilo minùs, ut revertatur, quia id facilè impetrare à Cæsare possit, nec tutiùs alibi, nec meliùs vivat, quàm in patriâ & apud suos. *Anno* U. C. 707.

1. *Ita gerendi*] Quòd urbem Pompeius primùm, deinde Italiam, stulto consilio deseruit. Hoc in epist. ad Att. sæpe accusat Cicero, atque etiam epist. 11. lib. XVI. ad Tironem. MANUTIUS.

2. *Copias*] Militum numerum: quem cùm, ante Cæsaris adventum, maximum promisisset, Cæsaris adventu nunciato, paratum exercitum non habuit: ex quo Favonii vox illa, *Nunc, Pompei, terram pede percute*: quia promiserat, ubi terram pede percussisset, illicò futurum, ut adessent ingentes peditum equitúmque copiæ. Quod postea non præstitit. IDEM.

Digitized by Google

consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres; illud pertinacis. Fateor, à plerisque, vel dicam ab omnibus, sapiens tuum consilium; à multis, etiam magni ac fortis animi judicatum. Sed habet ista ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum: præsertim cùm tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omnes obtinendas, præter voluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quòd vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere: cùm appareat ipse quid fecerim. Sed tamen si jam ita constituisses, ut abesse perpetuò malles, quàm ea, quæ nolles, videre: tamen id cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in ejus ipsius, quem fugeres, potestate: qui si facilè passurus esset, te carentem patriâ & fortunis tuis, quietè & liberè vivere: cogitandum tibi tamen esset, Romǽne & domi tuæ, [5] cujusmodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles vivere. Sed cùm ita latè pateat ejus potestas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa sit: nónne mávis sine periculo domi tuæ esse, quàm cum periculo alienæ? Equidem, etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quàm in externis atque alienis locis. Hoc idem omnes qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna, pro tuis maximis clarissimisque virtutibus, multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ, quam dissipari nolumus. Nam etsi nullam potest accipere injuriam, quæ futura perpetua sit: propterea quòd neque is, qui tenet rempublicam, patietur, neque ipsa respublica: tamen impetum prædonum in tuas fortunas fieri nolo. Hi autem qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere confiderem. Hîc te unius sollicitudines, unius etiam multæ & assiduæ lacrymæ C. Marcelli, fratris optimi,

3. *Genus exercitûs*] Ex tironibus magnâ ex parte collectum. MAN.

4. *In Africam*] Ad Jubam regem, qui, Curione Cæsarianarum partium duce interfecto, equitatum firmissimum, & elephantos plurimos habebat. Ideo stultitiam eorum qui ad bestiarum auxilium confugerant, carpit Cic. epist. 6. lib. IX. IDEM.

5. *Cujusmodi res esset*] Qualiscunque status esset Reip. Censeo autem Ciceronem scripsisse: *cuicuimodi res esset.* Ut pro Sex. Rosc. 34. *Vereor enim cuicuimodi es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim.* Sic advocat Priscian. I. 13. lib. III. de Finib. 9. *his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt.* Nam in membranis *cuimodi.* Vulgò *cujusmodi.* J. F. GRON.

timi, [6] deprecantur: nos curâ, & dolore proximi sumus: precibus tardiores, quòd jus adeundi, cùm ipsi deprecatione eguerimus, non habemus. Gratiâ tantum possumus, quantum victi. Sed tamen consilio, studio, Marcello non desumus. A tuis reliquis [7] non adhibemur: ad omnia parati sumus. Vale.

6. *Deprecantur*] Tuam salutem à Cæsare precibus petunt. *Deprecamur*, vel cùm expetimus aliquid, vel cùm recusamus. Prior significatio patet hîc, & in oratione pro Marcello: *Cùm*, inquit, *M. Marcellum deprecantibus vobis, conservavit.* Et ad Cornificium epist. 24. lib. XII. *Senatus legatos non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.* Alterius exemplum significationis unum illud pro Balbo, cùm suppetant multa, recitabimus: *Quiddam de communi conditione omnium nostrûm, deprecandæ malevolentiæ causâ, deprecandum videtur.* Manutius.

7. *Non adhibemur*] Nisi à fratre, ad consilium de tuo reditu capiendum. Idem.

M. T. C. M. Marcello S. D.

8 Neque monere te audeo præstanti prudentiâ virum; nec confirmare, maximi animi hominem, [1] unúmque fortissimum; consolari verò nullo modo. Nam si ea, quæ acciderunt, ita fers, ut audio; gratulari magis virtuti debeo, quàm consolari dolorem tuum. Sin te tanta mala reipublicæ frangunt, non ita abundo ingenio, ut te consoler, cùm ipse me non possim. Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præstémque, ut ad omnia, quæ tui velint, ita adsim præstò, ut me non solùm omnia debere tuâ causâ, quæ possum, sed ea quoque, quæ non possim, [2] putent. Illud tamen vel tu me monuisse, vel censuisse puta, vel propter benevolentiam tacere non potuisse: ut quod ego facio, tu quoque animum inducas: si sit aliqua respublica, in ea te esse oportere, judicio hominum réque principem, necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamen aptissimum esse etiam ad exulandum locum. Si enim libertatem sequimur; qui locus hoc dominatu vacat?

Arg. Laudatâ Marcelli prudentiâ, pollicetur officia sua, &, ut domum, quicunque status reip. sit, revertatur, iterum admonet. *Anno* U. C. 707.

1. *Unúmque fortissimum*] Sic lib. XV. epist. 16. *quanquam quicum loquor? cum uno fortissimo viro.* Philip. 11. 3. *Tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, non cum uno gladiatore nequissimo.* J. F. Gronov.

2. *Putent*] Pro *putent*, quod habent vulgati, leges, *etiam putem*. Corrad.

Digitized by Google

vacat? sin qualemcunque locum; quæ est domesticâ sede jucundior? Sed mihi crede, etiam is qui omnia tenet, favet ingeniis: nobilitatem verò & dignitates hominum, quantum ei res & ipsius causa concedit, amplectitur. Sed plura, quàm statueram. Redeo ergo ad unum illud, me tuum esse; fore cum tuis, [3] si modò erunt tui: sin minùs me certè in omnibus rebus satis nostræ conjunctioni amoríque facturum. Vale.

3. *Si modò erunt tui*] Quis non intelligit, carum suis Marcellum non fuisse? licet in obscuro causa sit. Ideò in epistola superiore: *A tuis reliquis non adhibemur.* Idque Marcellus ipse in suis literis significavit, in eo loco: *In summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui verè meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularémque benevolentiam mihi præstitisse cognovi.* MANUT. Marcelli epistolam à Manutio laudatam hoc libro habes, num. 11.

M. T. C. M. MARCELLO S. D.

ETSI perpaucis antè diebus dederam Q. Mucio literas ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censerem esse oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cùm Theophilus, libertus tuus, proficisceretur, cujus ego fidem erga te benevolentiámque perspexeram, sine meis literis eum ad te venire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, ut in ea republica, quæcunque est, quàm primùm velis esse. Multa videbis fortasse, quæ nolis; non plura tamen, quàm audis quotidie. Non est porrò tuum uno sensu solùm oculorum moveri: cùm idem illud auribus percipias, [1] quod etiam majus videri solet, minùs laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias; aut faciendum, quod non probes. Primùm tempori cedere, id est, necessitati parêre, semper sapientis est 9

P 2 habi-

ARG. Reditum in patriam Marcello suadet, refutatis singulis, quæ dissuadere videbantur, præsertim quod nec aliter futurum fuisset, si vicissent Pompeiani. *Anno U. C. 707.*

1. *Quod etiam majus*] Contrà in epist. 13. *Nec audio solùm, quod ipsum esset miserum, sed etiam id ipsum video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari.* Et ad Torquatum, epist. 1. lib. VI. *Oculi augent dolorem, nec avertere à miseriis cogitationem sinunt.* Est enim hoc in oratoris artificio, ut easdem res temporis causâ modò oppugnet, modò defendat. Propterea in illis ad Nigidium ac Torquatum epistolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in urbem cupiebat, pro oculis contra aures argumentatur. MANUT.

Digitized by Google

habitum. Deinde non habet, [2] ut nunc quidem eſt, id vitii res. Dicere fortaſſe quæ ſentias, non licet: tacere planè licet. Omnia enim delata ad unum ſunt. Is utitur conſilio, ne ſuorum quidem, ſed ſuo. Quod non multò ſecus fieret, ſi is rempublicam teneret, quem ſecuti ſumus. An, qui in bello, cùm omnium noſtrûm conjunctum eſſet periculum ſuo, certorum hominum minimè prudentium conſilio uteretur, eum magis [3] communem cenſemus in victoria futurum fuiſſe, quàm incertis rebus fuiſſet? & qui nec te conſule tuum ſapientiſſimum conſilium ſecutus eſſet, nec fratre tuo conſulatum ex auctoritate tua gerente, vobis auctoribus uti voluerit, nunc omnia tenentem, noſtras ſententias deſideraturum cenſes fuiſſe? Omnia ſunt miſera in bellis civilibus: quæ majores noſtri, ne ſemel quidem; noſtra ætas ſæpe jam ſenſit. Sed miſerius nihil, quàm ipſa victoria: quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioreſque reddit: ut etiamſi naturâ tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio per quos vicit, etiam invito facienda ſunt. An tu non videbas mecum ſimul, quàm illa crudelis eſſet futura victoria? igitur tunc quoque patriâ careres, ne, quæ nolles, videres? Non, inquies: ego enim ipſe tenerem opes, & dignitatem meam. At erat tuæ virtutis, in minimis tuas res ponere, de republica vehementiùs laborare. Deinde, qui finis iſtius conſilii eſt? nam adhuc & factum tuum probatur, &, ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quòd & initium belli neceſſariò ſecutus ſis, & extrema ſapienter perſequi nolueris: fortuna, quòd [4] honeſto otio tenueris & ſtatum, & famam dignitatis tuæ. Nunc verò nec locus tibi ullus dulcior eſſe debet patriâ: nec eam diligere minùs debes, quòd deformior eſt, ſed miſereri

2. *Ut nunc quidem eſt*] Præſentem rei ſtatum hoc loquendi genere veteres oſtendebant: quaſi dicerent, quid futurum ſit, affirmare non licet: ſed, ut nunc quidem eſt, res ita ſe habet. MANUT.

3. *Communem*] *Communes* Latinis dicuntur *comes*, aliter *civiles*, qui nihil ſingulare ac præcipuum ſibi tribuunt præ aliis, qui non ſupra alios cives ſe extollunt, qui ſunt populares, modeſti, patientes juris legúmque communium, qui non ſuo in omnibus utuntur conſilio, ſed & aliorum civium, hominúmve. C. Nep. Att. 3. *Hic autem ſic ſe gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.* Terent. *Quenquámne animo tam communi eſſe aut leni putes?* Sueton. Claud. 21. *Nec ullo ſpectaculo communior*, &c. GRÆVIUS.

4. *Honeſto otio*] Mitylenis, uſurpatione & renovatione doctrinæ. CORRADUS.

Digitized by Google

reri potiùs, nec eam multis claris viris orbatam, privare etiam aspectu tuo. Denique, si fuit magni animi non isse supplicem victori: vide, ne superbi sit, aspernari ejusdem liberalitatem: &, si sapientis est carere patriâ, duri non desiderare: &, si republicâ non possis frui, stultum est nolle privatâ. Caput est illud, ut, si ista vita tibi commodior esse videatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna [5] gladiorum est licentia: sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia. Mihi salus tua tantæ curæ est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis. Vale.

5. *Gladiorum licentia*] Videtur aliquid Cicero divinasse. Infrà, epist. 12. CELLAR.

M. T. C. M. MARCELLO S. D.

ETSI nihil erat novi, quod ad te scriberem, magísque literas tuàs jam expectare incipiebam, vel te potiùs ipsum: tamen cùm Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quàm primùm venias. Venies enim, mihi crede, expectatus, neque solùm nobis, id est, tuis, sed prorsùs omnibus. Venit enim mihi in mentem, subvereri interdum, ne te delectet tarda decessio. Quòd si nullum haberes sensum nisi oculorum, prorsùs tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre; sed cùm leviora non multò essent quæ audirentur, quàm quæ viderentur; suspicarer autem multùm interesse rei familiaris tuæ, te quàm primùm venire; idque [1] in omnes partes valeret; putavi ea de re te esse admonendum. Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi; reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen velim, [2] quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale. 10

ARG. Hortatur Marcellum, ut reditum maturet, jam à Cæsare impetratum, cùm id ad rem ejus familiarem valde pertineat. *Anno* U. C. 708.

1. *In omnes partes*] Ad omnia. Ut epistola 6. lib. XI. ad Att. *Brundusii jacere, in omnes partes molestum.* Et in epist. Vatinii, lib. V. *Me tibi in omnes partes defendendum putes.* Contrarium illud epist. 10. ad Att. lib. XIII. *Hoc nullam ad partem valet scilicet.* MANUT.

2. *Quod ad tempus*] Non quousque, sed quo planè tempore. Sic epist. 5. lib. IX. *Ad nonas*, pro *nonis*. IDEM.

Digitized by Google

M. MARCELLUS M. CICERONI S. D.

11 PLURIMUM *valuisse apud me tuam semper auctoritatem, cùm in omni re, tum in hoc maximè negotio potes existimare. Cùm mihi C. Marcellus, frater amantissimus mei, non solùm consilium daret, sed precibus quoque me* [1] *obsecraret; non priùs mihi persuadere potuit, quàm tuis est effectum literis, ut uterer vestro potissimùm consilio. Res quemadmodum sit acta, vestræ literæ mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quòd ab optimo sit animo; tamen hoc mihi multò jucundius est, & gratius, quòd in summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui verè meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularémque mihi benevolentiam præstitisse cognovi. Reliqua sunt ejusmodi, quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facilè & æquo animo carebam. Hoc verò ejusmodi esse statuo, ut sine talium virorum & amicorum benevolentia, neque in adversa, neque in secunda fortuna quisquam vivere possit. Itaque in hoc ego mihi gratulor. Tu verò ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo. Vale.*

ARG. Marcellus significat, se plus Ciceronis, quàm fratris, hortatu commotum in causa reditûs fuisse: literas etiam, restitutionis nuncias, & gratulationem, & amicorum benevolentiam, maximè Ciceronis, sibi admodum placere, & gratam semper fore. *Anno* U. C. 707.

1. *Obsecraret.*] N. Scelsi codex, *oneraret.*

SER. SULPICIUS M. CICERONI S. D.

12 ETSI *scio non jucundissimum nuntium me vobis allaturum; tamen quoniam casus & natura in nobis dominatur, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores ut facerem. A. d. x. kal. Jun. cùm ab Epidauro Piræeum navi advectus essem, ibi Marcellum, collegam nostrum, conveni; eúmque diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero die cùm ab eo digressus essem, eo consilio ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquám-*

ARG. M. Marcelli cædem, perfecto narrationis exemplo ita nuntiat, ut antecedentia, media, consequentia ordinatim exponat. *Anno* U. C. 708.

Digitized by Google

quâmque jurisdictionem absolverem; ille, utì aiebat, [1] supra Maleas in Italiam versùs navigaturus erat. Postridie ejus diei, cùm ab Athenis proficisci in animo haberem, circiter horâ decimâ noctis P. Posthumius, familiaris ejus, ad me venit, & mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam nostrum, post cœnæ tempus, à P. Magio Chilone, familiari ejus, pugione percussum esse, & duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundùm aurem: sperare tamen eum vivere posse. Magium [2] se ipsum interfecisse: postea se à Marcello ad me missum esse, qui hæc nuntiaret, & rogaret uti cogerem medicos. Coëgi, & è vestigio eò sum profectus primâ luce. Cùm non longè à Piræeo abessem, [3] puer Acidini obviam mihi venit cum [4] codicillis, in quibus erat scriptum, paulò ante lucem Marcellum diem suum obisse. Ita vir clarissimus ab homine deterrimo acerbissimâ morte est affectus: & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus est amicus, qui ei mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi. Inveni duos libertos, & pauculos servos. Reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quòd [5] dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus sum in eadem illa lectica, quâ ipse delatus eram, meisque lecticariis in urbem eum referre: ibíque pro ea copia, quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum

1. *Supra Maleas*] Veteres libri omnes, *Maias*; non *Maleas*, quod omnino mendosum est. *Maleam* autem Virgilius, Livius, omnes denique nominant: *Maleas* verò unus, quod sciam: Plinius junior in epist. ad Trajanum lib. 10. Græcis verbis, ὑπὲρ Μαλέας. Quod si legatur hìc *supra Maleas*, interpretaremur, superato Malearum promontorio, Laconicæ provinciæ, navigantibus valde periculoso. Manut. Hæc erat conjectura Victorii, quam receperunt omnes ferè editiones, & id quidem meritò. Nihil enim est certius & liquidius, si quis Plutarchi (*in Arato*) Pliniique loca consideret, quæ is attulit. Videtur autem locutio fuisse trita Græcis Latinísque, qua significabant cursum ex Asia & Græcia in Italiam per *Maleam*, sive ad *Maleam* appellerent naves, sive illic conscenderent ex Græcia in Italiam profecturi, sive ita navigationem instituerent ut illud promontorium prætervcherentur non longè. Græv.

2. *Seipsum interfecisse*] Quòd eum commissi facinoris pœniteret. Causam necis Cicero ignorat epist. 10. lib. XIII. ad Attic. Valerius hanc ponit lib. 9. cap. XI. quòd cùm esset Marcello Magius vetere conjunctus amicitiâ, eíque in Pompeiana militia comes fuisset; indignaretur aliquos sibi amicorum ab eo præferri. Manut.

3. *Puer*] Servus. *Acidini:* Manliorum cognomen fuit *Acidinus*. Constat ex lib. 2. de Orat. & lapidibus Capitolinis. Idem.

4. *Codicillis*] Codicilli, tabellæ ceratæ erant, in quibus stylo pangebatur: à *codice*, id est, arboris libro, nominati. De codicillis Plinius, lib. XIII. cap. 13. & XXXIII. 1. Idem.

5. *Dominus eorum*] Servis enim capitale erat, qui dominum non defendissent, ut ex Ulpiani verbis, Syllanum S. C. interpretantibus, cognoscitur. Idem.

Digitized by Google

ciendum curavi. Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd [6] *religione se impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam concesserant. Quod proximum fuit, uti in quo vellemus eum gymnasio sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiæ, locum delegimus, ibique eum combussimus: posteáque curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Ita, quæ nostra officia fuerunt,* [7] *pro collegio & propinquitate, & vivo & mortuo omnia ei præstitimus. Vale. D. pr. kal. Jun. Athenis.*

6. *Religione se impediri*] Nam lex XII. tabularum, de Solonis legibus translata ita habet, *In urbe ne sepelito, néve urito.* Cor.

7. *Pro collegio*] Consulatûs. Idem.

M. T. C. P. [1] Nigidio Figulo S. D.

13 Quærenti mihi jamdiu quid ad te potissimùm scriberem, non modò certa res nulla, sed ne genus quidem literarum usitatum veniebat in mentem. Unam enim partem, & consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat: perfecerátque fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam, & miserum, & his temporibus consentaneum genus litera-

Arg. Exulantem Nigidium consolatur, quantum potest qui in eadem causa fuit. Spem tamen futuri reditûs ex certis signis facit: conditionis pristinæ facere non potest. Ideóque utramque fortunam ex æquo ferendam hortatur. *Anno* U. C. 707.

1. *Nigidio Figulo*] De *Nigidio* ipso, quæ legendo animadvertimus, hæc sunt. Scripsit libros de Animalibus, ut ostendit lib. III. Macrobius: & Plinius bis lib. XXIX. cap. 4. & 6. ejus utitur testimonio: librum de Extis, ut in Gellio lib. XVI. cap. 6. legimus: commentarios Grammaticos, ut idem Gellius lib. XIX. cap. 14. & Nonius prodidere. Interpretatus est comœdias Terentii, teste Donato. Videtur etiam scripsisse de Deis, quantum ex Arnobio licet conjicere: qui ejus testimonio in mentione Matris Deûm, Neptuni, Apollinis & Jovis utitur lib. III. Hæc de scriptis: de doctrina subjungam. Gellius Varronem & Nigidium *doctrinarum culmina* lib. XIX. cap. 14. appellat, & idem lib. XIII. cap. 24. *in disciplinis doctrinarum omnium præcellentem* nominat, & lib. IV. cap. 9. *hominem juxta M. Varronem doctissimum.* Macrobius autem *maximum rerum naturalium indagatorem*, lib. III: idem lib. VI. *hominem omnium bonarum artium disciplinis egregium.* Servius quoque Honoratus hæc de eo tradidit, *Nigidius Figulus solus post Varronem, licet Varro præcellat in theologia, hic in communibus literis: nam uterque utrumque scripserunt.* Nonius quoque, *Nigidius*, inquit, *studiis bonarum artium præclarissimus.* Nemo tamen illum melioribus extulit laudibus quàm

Digitized by Google

literarum. Id quoque deficiebat me: in quo [2] debebat esse aut promissio auxilii alicujus, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat. Ipse enim [3] pari fortunâ abjectus, aliorum opibus [4] casus meos sustentabam; sæpiúsque mihi veniebat in mentem queri, quòd ita viverem, quàm gaudere, quod viverem. Quanquam enim nulla me ipsum privatim pepulit insignis injuria: nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultrò mihi Cæsar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis, ut hoc ipsum quòd maneam in vita, peccare me existimem. Careo enim cùm familiarissimis multis, quos aut [5] mors eripuit nobis, aut distraxit [6] fuga: tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam, [7] te socio, defensa respublica, versórque in eorum naufragiis & bonorum direptionibus: nec audio solùm, quod ipsum esset miserum, sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adjutoribus [8] illud incendium extinximus: & in qua urbe modò gratiâ, auctoritate, gloriâ floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus. Obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem: sed ea plus non potest, quàm vis & mutatio omnium rerum atque temporum. Itaque orbus iis rebus omnibus, quibus & natura me, & voluntas, & consuetudo assuefecerat, cùm cæteris, ut quidem videor, tum mihi ipse displiceo. Natus enim ad agendum

quàm Cicero ipse idem ejus amicissimus. Nam in procemio libri de Universitate, *Fuit*, inquit, *vir ille cùm cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator & diligens earum rerum quæ à natura involutæ videntur. Denique sic judico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, hunc extitisse qui illam renovaret.* Suetonius ait illum, cognitâ horâ quâ natus erat Augustus, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. MANUT. Vide quæ de hoc *Nigidio Figulo* notavit Jan. Rutgersius Var. Lect. III. 16. ubi Fragmenta ejus collegit. GRÆVIUS.

2. *Debebat*] Meus primus, *debeat*, quod Gronovio meritò probatur. IDEM.

3. *Pari fortunâ abjectus*] MSS. *adfectus*, non *abjectus*. Sic alibi apud Ciceronem, *magnâ desperatione adfectus*, *magnâ molestiâ adfectus*, *tot tantísque difficultatibus adfectus*. J. F. GRONOVIUS.

4. *Casus meos sustentabam*] Nunc sustentari se dicit aliorum opibus, id est, eorum auctoritate & gratiâ, quos, veteri sibi necessitudine conjunctos, plurimùm ob victoriæ societatem posse apud Cæsarem intelligebat. MANUTIUS.

5. *Mors*] Perierant Pompeius, P. Lentulus, M. Cato, &c. MANUTIUS.

6. *Fuga*] Fugerant, post Africanum bellum, in Hisp. ad Pompeii liberos multi. IDEM.

7. *Te socio*] Plutarch. in Cicer.

8. *Illud incendium*] Catilinæ conjurationem: qua, tanquam incendio, nisi nos opem tulissemus, resp. deflagrasset. IDEM.

ſemper aliquid dignum viro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo, ſed ne cogitandi quidem: & qui antea aut obſcuris hominibus, aut etiam ſontibus opitulari poteram, nunc P. Nigidio, uni omnium doctiſſimo & ſanctiſſimo, & maximâ quondam gratiâ, & mihi certè amiciſſimo, ne benignè quidem polliceri poſſum. Ergo hoc ereptum eſt literarum genus. Reliquum eſt, ut conſoler, & afferam rationes, quibus te à moleſtiis coner abducere. At ea quidem facultas vel tui, vel alterius conſolandi, in te ſumma eſt, ſi unquam in ullo fuit. Itaque eam partem, quæ ab exquiſitâ quadam ratione & doctrinâ proficiſcitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid ſit forti & ſapienti homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid ſtudia, quid artes, quibus à pueritia floruiſti, à te flagitent, tu videbis. Ego quod intelligere & ſentire poſſum, quia ſum Romæ, & quia curo attendóque, id tibi affirmo, te in iſtis moleſtiis, in quibus es hoc tempore, non diutiùs futurum: in iis autem, in quibus etiam nos ſumus, fortaſſe ſemper fore. Videor mihi perſpicere primùm ipſius animum, qui plurimùm poteſt, propenſum ad ſalutem tuam. Non ſcribo hoc temerè. Quo minùs familiaris ſum, hoc ſum ad inveſtigandum curioſior. Quo faciliùs, [9] quibus eſt iratior, [10] reſpondere triſtiùs poſſit, hoc eſt adhuc tardior ad te moleſtiâ liberandum. Familiares verò ejus, & ii quidem, qui illi jucundiſſimi ſunt, mirabiliter de te & loquuntur, & ſentiunt. Accedit eòdem vulgi voluntas, vel potiùs conſenſus omnium. Etiam illa, quæ minimùm nunc quidem poteſt, ſed poſſit neceſſe eſt, reſpublica, quaſcunque vires habebit, ab iis ipſis quibus tenetur, de te propediem (mihi crede) impetrabit. Redeo igitur ad id, ut jam tibi etiam pollicear aliquid, quod primò omiſeram: nam & complectar ejus familiariſſimos, qui me admodum diligunt, multúmque mecum ſunt, & in ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo: & certè omnes vias perſequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire poſſe. In hoc toto genere plura faciam, quàm ſcri-

9. *Quibus eſt iratior*] Propter bellum in Africa renovatum. Manutius.

10. *Reſpondere triſtiùs*] Veniam precantibus negare. Idem.

Digitized by Google

ſcribere audeo. Cætera, quæ tibi à multis prompta eſſe certò ſcio, à me ſunt paratiſſima. Nihil in re familiari mea eſt, quod ego meum malim eſſe, quàm tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc ſcribo parciùs, quòd te, id quod ipſe confido, ſperare malo eſſe uſurum tuis. Extremum illud eſt, ut te orem & obſecrem, animo ut maximo ſis: nec ea ſolùm memineris, quæ ab aliis magnis viris accepiſti, ſed illa etiam, quæ ipſe ingenio ſtudióque peperiſti. Quæ ſi colliges, & ſperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacunque erunt, ſapienter feres. Sed hæc tu meliùs, vel optimè omnium. Ego, quæ pertinere ad te intelligam, ſtudioſiſſimè omnia, diligentiſſiméque curabo: tuorúmque [11] triſtiſſimo meo tempore meritorum erga me memoriam conſervabo. Vale.

11. *Triſtiſſimo meo tempore*] Cùm ejectus à Clodio exularem. IDEM.

M. T. C. CN. PLANCIO S. D.

BINAS à te accepi literas Corcyræ datas: quarum alteris mihi gratulabare, quòd audiſſes me meam priſtinam dignitatem obtinere; alteris dicebas te velle, quæ egiſſem, bene & feliciter [1] evenire. Ego autem, ſi dignitas eſt bene de republica ſentire, & bonis viris probare quod ſentias, obtineo dignitatem meam. Sin autem in eo dignitas eſt, ſi, quod ſentias, aut re efficere poſſis, aut denique liberâ oratione defendere, ne veſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis: agitúrque præclarè, ſi noſmetipſos regere poſſumus, ut ea, quæ partim jam adſunt, partim impendent, moderatè feramus: quod eſt 14

Q 2 diffi-

ARG. Plancius bis Ciceroni, & de recuperata per Cæſarem dignitate, & de nuptiis cum virgine, dimiſsâ Terentiâ, initis gratulatus fuerat. Utriſque literis unâ epiſtolâ reſpondet Cicero: prioribus, non eſſe priſtinam dignitatem, quam receperat: alteris, quæ cauſa fuerit novi conſilii ineundi. Tandem ſolatur Plancium exulantem, eique nihil, præter communem calamitatem, timendum eſſe confirmat, cui ſua denique officia pollicetur. *Anno* U. C. 708.

1. *Evenire*] De Publiliæ matrimonio; quam ſexagenarius virginem duxit, dimiſsâ Terentiâ, quia rem domeſticam, ipſo abſente, negligenter adminiſtraverat; præter alias cauſas, quæ commemorantur à Plutarcho. Quintilianus lib. 6. cap. de riſu, cùm Cicero objurgaretur, quòd virginem jam ſenex duxiſſet, reſpondiſſe ait, *Cras erit mulier.* Sed & hanc ab eo dimiſſam Plut. & Dio prodiderunt. MANUT.

Digitized by Google

difficile in ejusmodi [2] bello, cujus exitus ex altera parte [3] cædem ostentat, ex altera servitutem. Quo in periculo nonnihil me consolatur, cùm recordor, hæc me tum vidisse, cùm secundas etiam res nostras, non modò adversas, pertimescebam: videbámque, quanto periculo de jure publico disceptaretur armis. Quibus si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram; tamen intelligebam, & iratorum hominum, & cupidorum, & insolentium, quàm crudelis esset futura victoria: sin autem victi essent, quantus interitus esset futurus civium, partim amplissimorum, partim etiam optimorum, qui me hæc prædicentem, atque optimè consulentem saluti suæ, malebant nimiùm timidum, quàm satis prudentem existimari. Quod autem mihi de eo quod egerim, gratularis: te ita velle certè scio: sed ego tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores [4] res domesticas, quàm rempublicam offendissem. Quibus enim, pro meis immortalibus beneficiis, carissima [5] mea salus & meæ fortunæ esse debebant: cùm propter eorum [6] scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem, novarum me necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi. Sed de nostris rebus satis, etiam nimiùm multa. De tuis velim, ut eo sis animo, quo debes esse, id est, ut ne quid tibi præcipuè timendum putes. Si enim status erit aliquis civitatis, quicunque erit, te omnium periculorum video expertem fore. Nam [7] alteros tibi jam placatos esse intelligo, alteros nunquam iratos fuisse. De mea autem in te voluntate sic velim judices,

2. *Bello*] Africano: quod Scipio Pompeii socer, & M. Cato, freti Jubæ regis auxiliis renovaverant. MANUT.

3. *Cædem*] Cædem à Pompeianis timet, à Cæsare servitutem. IDEM.

4. *Res domesticas*] Dimissam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipso absente, malè tractasset, ærísque plurimum alieni contraxisset: quod ut dissolveret, virginem Publiliam, admodum divitem in tutelam sibi traditam, suadentibus amicis, uxorem sibi duxit. MANUT.

5. *Mea salus & meæ fortunæ*] In fortunis uxorem accusat; in salute Quintum fratrem, fratrísque filium: qui vehementer illum, post Pharsalicam pugnam, apud Cæsarem oppugnarunt, cùm se dicerent auctore Marco adversùs illum arma cepisse. Ad Att. lib. XI. epist. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 21. IDEM.

6. *Scelus*] Et hoc in fratrem potiùs fratrísque filium, quàm in uxorem, confertur. Scelus Quinti fratris nominat etiam in epist. 21. lib. XI. ad Att. IDEM.

7. *Alteros*] Cæsarianos.

Digitized by Google

dices, me, quibuscunque rebus opus esse intelligam, quanquam videam qui sim hoc tempore & quid possim; operâ tamen, & consilio, studio quidem certè, rei, famæ, saluti tuæ præstò futurum. Tu velim, & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissimè certiorem. Vale.

M. T. C. CN. PLANCIO S. D.

ACCEPI perbreves tuas literas, quibus id, quod scire cu- 15
piebam, cognoscere non potui: cognovi autem id, quod mihi dubium non fuit. Nam quàm fortiter ferres communes miserias, non intellexi; quàm me amares, facilè perspexi: sed hoc scieram. Illud si scissem, ad id meas literas accommodavissem. Sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimavi scribi oportere, tamen hoc tempore breviter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse: in magno omnes, sed tamen in communi, sumus. Quare non debes aut propriam fortunam & præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo simus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

ARG. Hortatur, ut communem fortunam fortiter ferat, nec propriam sibi postulet: eóque in se animo sit, quo fuerat semper. *Anno* U. C. 707.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER V.

Q. METELLUS, Q. F. CELER, PROCOS. M. T. C. S. D.

1 *SI vales, bene est. Existimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, neque me absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum [1] fratrem [2] ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri. Quem si parum pudor ipsius defendebat, debebat vel familiæ nostræ dignitas, vel meum studium erga vos remque publicam, satis sublevare. Nunc video illum circumventum, me desertum, à quibus minimè conveniebat. Itaque in luctu & squalore sum, qui provinciæ, qui exercitui præsum, qui [3] bellum gero. Quæ quoniam nec ratione, nec majorum nostrûm clementiâ administrastis, non erit mirandum, si vos pœnitebit. Te tam mobili in me meósque esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cujusquam injuria à republica abducet. Vale.* M. T.

ARGUMENTUM. Queritur Metellus Celer, qui, prætor superiore anno, Cicerone consule, ex prætura Galliam pro consule regebat, Metellum Nepotem, fratrem suum, à Cicerone in Senatu oppugnatum esse. *Anno U. C. 691.*

1. *Fratrem*] Germanum: ut pater utrique fuerit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici Nepos. Nam hunc Nepotem, Ciceronis inimicum, filium ejus Nepotis fuisse, qui cum T. Didio consul fuit anno DCLV. Pedianus ostendit in commentario Cornelianæ. MANUT.

2. *Ob dictum*] Vid. quæ Cicero respondeat.

3. *Bellum gero*] Cum Salassis, & inalpinis gentibus, quæ nondum populo Romano parebant. Et cum iisdem pugnasse D. Brutum, cognoscitur ex ep. 4. lib. XI. IDEM.

Digitized by Google

M. T. M. F. C. Q. METELLO Q. F. CELERI PROCOS. S. D.

SI tu exercitúſque valetis, bene eſt. Scribis ad me, te exiſtimaſſe, *pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nunquam te à me ludibrio læſum iri.* Quod cujuſmodi ſit, ſatis intelligere non poſſum: ſed tamen ſuſpicor ad te eſſe allatum, me, in ſenatu cùm diſputarem, permultos eſſe, qui rempublicam à me conſervatam dolerent, dixiſſe: à te propinquos tuos, quibus negare non potuiſſes, impetraſſe, ut ea, quæ ſtatuiſſes tibi in ſenatu de mea laude eſſe dicenda, reticeres. Quod cùm dicerem, illud adjunxi, mihi tecum ita diſpertitum officium fuiſſe in reipublicæ ſalute retinenda, ut ego urbem à domeſticis inſidiis, & ab inteſtino ſcelere; tu [1] Italiam & ab armatis hoſtibus, & ab occulta conjuratione defenderes: atque hanc noſtram tanti & tam præclari muneris ſocietatem, à tuis propinquis labefactatam: qui, cùm tu à me rebus ampliſſimis atque honorificentiſſimis ornatus eſſes, timuiſſent, ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuæ tribueretur. Hoc in ſermone, cùm à me exponeretur, quæ mea expectatio fuiſſet orationis tuæ, quantóque in errore verſatus eſſem; viſa eſt oratio non injucunda: & mediocris quidam eſt riſus conſecutus, non in te, ſed magis in errorem meum; & quòd me abs te cupiſſe laudari, apertè atque ingenuè confitebar. Jam hoc non poteſt in te non honorificè eſſe dictum, me, in clariſſimis meis atque ampliſſimis rebus, tamen aliquod teſtimonium tuæ vocis habere voluiſſe. Quod autem ita ſcribis, *pro mutuo inter nos animo*; quid tu exiſtimes eſſe in amicitia mutuum, neſcio: equidem hoc arbitror, cùm par voluntas accipitur, & redditur. Ego ſi hoc dicam, me tuâ causâ prætermiſiſſe [2] provinciam, tibi ipſe levior videar eſſe: meæ enim rationes ita tulerunt,

2

ARG. Reſpondet ſuperiori epiſtolæ, querelæ Metelli, commemorando ſua in eum officia, quibus ille non mutuò reſpondiſſet: nec fratrem ejus ſe oppugnaſſe, ſed oppugnanti reſtitiſſe. Quem quòd Celer tueatur, laudat ejus pietatem: ſuæ autem amicitiæ conſtantiam pollicetur. *Anno* U. C. 691.

1. *Italiam*] Cicero conſul Q. Metellum miſerat in agrum Picenum & Gallicanum, ut Catilinæ conatus impediret. CELLAR.

2. *Provinciam*] Cùm ex conſulatu in Galliam ire poſſet, maluit in urbe remanere. Quod ipſum epiſt. 4. lib. XV. ſcripſit ad Catonem: & ad Att. ep. 1. lib. II. IDEM.

Digitized by Google

runt, atque ejus mei consilii majorem in dies singulos fructum voluptatémque capio. Illud dico, me, ut primùm in concione provinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Nihil dico [3] de sortitione vestra; tantùm te suspicari volo, nihil in ea re per collegam meum, me insciente, esse factum. Recordare cætera: quàm citò senatum illo die, facta sortitione, coëgerim, quàm multa de te verba fecerim, cùm tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solùm in te honorificam, sed etiam in [4] collegas tuos contumeliosam fuisse. Jam illud senatus-consultum, quod eo die factum est, [5] ea præscriptione est, ut, dum id extabit, [7] officium meum in te obscurum esse non possit. Postea verò quàm [6] profectus es, velim recordere, quæ ego de te in senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas ad te literas miserim. Quæ cùm omnia collegeris, tu ipse velim judices, satísne videatur his omnibus rebus tuus adventus, cùm [7] proximè Romam venisti, mutuè respondisse. Quod scribis de *reconciliata nostra gratia*; non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quæ nunquam imminuta est. Quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum *ob dictum* à me oppugnari: primùm hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari, & fraternam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem: deinde, si qua ego in re fratri tuo, reipublicæ causâ, restiterim, ut mihi ignoscas. Tam

3. *De sortitione vestra*] Legitur *&* *nostra*, hoc est, mea & C. Antonii: in qua primò mihi Macedonia, & illi evenit Gallia. Corr. Sed nihil mutandum censet Lambinus: & rectè, opinor, sentit.

4. *Collegas tuos*] Prætores. Nam in magistratu provincias sortiebantur. Et Galliam Metello invidebant. Manutius.

5. *Ea præscriptione est*] Præscriptio ejus SC. fuit: *Quod M. Tullius Cicero Cos. M.* F. *de provincia Gallia quæ Q. Cæcilio Metello evenit, ornanda, D. E. R. I.* C. ut intelligere est ex lib. VIII. epist. 8. Ex qua formula manifestum est studium & officium Ciceronis erga Metellum, in cujus gratiam ille hæc verba fecisse, atque ad Senatum retulisse, dicitur. Mirificè fallitur hoc loco Manutius. J. F. Gronov.

6. *Profectus es*] Post sortitionem profectus est Metellus prætor non in Galliam, quam post præturam administrandam sortitus erat, sed in Picenum, in quo permansisse usque ad illud tempus, cùm Catilina victus est, è Sallustio cognoscitur. Catilinâ superato, Galliam provinciam accepit. Manut.

7. *Proximè*] Post necem Catilinæ videtur Metellus, antequam in Galliam iret, Romam revertisse. Idem.

8. *Parare*] Nam extremo anno consulatûs Ciceronis, id est, IV. idus Decembris, ut mos erat, magistratum initurus erat Metellus Nepos trib. pl. design. Man.

9. *Claudia*] Impudicâ muliere, P. Clodii sorore, de qua in oratione pro Cælio, & epist. I. lib. II. ad Att. Idem.

10. *Uxore tua*] Quomodo uxor fuerit Celeris,

Digitized by Google

Tam enim ſum amicus reipublicæ, quàm qui maximè. Si verò meam ſalutem contra illius impetum in me crudeliſſimum defenderim; ſatis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuriâ conqueri. Quem ego cùm comperiſſem, omnem ſui tribunatûs conatum in meam perniciem [8] parare atque meditari; egi cum [9] Claudia [10] uxore tua, & cum veſtra ſorore Mucia, cujus erga me ſtudium pro Cn. Pompeii neceſſitudine multis in rebus perſpexeram, ut eum ab illa injuria deterrerent. Atque ille, quod te audiſſe certò ſcio, pridie kal. Januarias, quâ injuriâ nemo unquam in aliquo magiſtratu improbiſſimus civis affectus eſt, eâ me conſulem affecit, cùm rempublicam conſervaſſem, atque abeuntem magiſtratu concionis habendæ poteſtate privavit: cujus injuria mihi tamen honori ſummo fuit. Nam cùm ille mihi nihil, niſi ut jurarem, permitteret, magnâ voce juravi [11] veriſſimum pulcherrimúmque jusjurandum: quod populus idem magnâ voce me verè juraſſe, juravit. Hac acceptâ tam inſigni injuriâ, tamen ipſo die miſi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut de illa mente deſiſteret: quibus ille reſpondit, ſibi non eſſe integrum. Etenim paulò antè in concione dixerat, ei, qui in alios animadvertiſſet [12] indictâ causâ, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. Hominem gravem, & civem egregium! qui, quâ pœnâ ſenatus, conſenſu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magiſtratus ac ſenatum trucidare, bellum maximum conflare

leris, cùm ejus fratrem P. Clodium, fratrem patruelem Celeris nominet Cicero in oratione pro Cælio? an eadem & ſoror & conjux? ſic opinor: ut Clodius & Clodia filii fuerint Cæciliæ, ſororis ejus Metelli, qui Celerem & Nepotem genuit. MAN.

11. *Veriſſimum pulcherrimúmque jusjurandum*] Hoc, remp. à ſe uno conſervatam. De quo ſic in oratione pro domo: *Reip. ſemper intereſſe putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate ſenatûs, conſenſu bonorum omnium, pro ſalute patriæ geſſiſſem, ſplendorem verbis dignitatémque retinere; præſertim cùm mihi uni in hac repub. audiente populo Romano, operâ meâ hanc urbem & hanc remp. eſſe ſalvam iurato dicere fas fuiſſet.* Et in Piſonem: *Ego, cùm in concione, abiens magiſtratu, dicere à tribuno pl. prohiberer, quæ conſtitueram; cúmque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret; ſine ulla dubitatione juravi, rempubl. atque hanc urbem meâ unius operâ eſſe ſalvam.* Idem confirmat Dio lib. 37. IDEM.

12. *Indictâ causâ*] Significabat, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium, conſcios & participes conjurationis Catilinæ, indictâ causâ, contra leges morémque majorum, eſſe condemnatos. Animadvertiſſe autem in eos Ciceronem dicit, quòd eo jubente in carcere ſtrangulati ſunt, ut Salluſtius, Plutarchus, Dio ſcriptum reliquere. Appianus hoc addit, Ciceronem eos necari in conſpectu ſuo juſſiſſe, quod falſum eſt. IDEM.

Digitized by Google

flare voluissent, eâdem dignum judicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendiis, Italiam bello liberasset. Itaque ego Metello, fratri tuo, præsenti, restiti. Nam in senatu, kalendis Januariis, sic cum eo de republica disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti & constanti esse pugnandum. A. d. tertium non. Januar. cùm agere cœpisset, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quidquam deliberatius fuit, quàm me, quacunque ratione posset, non judicio, neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. Hujus ego temeritati si virtute atque animo non [13] restitissem; quis esset, qui me in consulatu non casu potiùs existimaret, quàm consilio, fortem fuisse? Hæc si tu Metellum cogitare de me nescisti, debes existimare te maximis de rebus à fratre esse celatum: sin autem aliquid impertivit tibi sui consilii, lenis à te & facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. Et, si intelligis, non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio ejus, animoque in me inimicissimo esse commotum; cognosce nunc humanitatem meam, si humanitas appellanda est in acerbissima injuria remissio animi ac dissolutio. Nulla est à me unquam sententia dicta in fratrem tuum: quotiescunque aliquid est actum, [14] sedens iis assensi, qui mihi lenissimè sentire visi sunt. Addam illud etiam, quod jam ego curare non debui, sed tamen fieri non molestè tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adjuvi, ut senatus-consulto meus inimicus, quia tuus frater erat, sublevaretur. Quare non ego *oppugnavi* fratrem tuum, sed fratri tuo repugnavi: nec in te, ut scribis, *animo fui mobili*, sed ita stabili, ut in mea erga te voluntate, etiam desertus ab officiis tuis, permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi penè minitanti nobis per literas, hoc rescribo atque respondeo: Ego dolori tuo non solùm ignosco, sed summam etiam laudem tribuo. Meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet. A te peto, ut tu quoque æquum te judicem dolori meo præbeas: si acerbè, si crudeliter, si

13. *Restituissem*] Acerrimè disputando. Scripsit etiam contra Metelli concionem: ut est in epist. 9. lib. I. ad Att. & in Gellio lib. XVIII. cap. 7. MANUT.

14. *Sedens.*] Assensio enim paucis verbis absolvitur. Stantes autem sententiam pluribus verbis dicebant. IDEM. Vide Sallust. Catil. 50. & 53. Gell. III. 18.

Digitized by Google

si sine causa sum à tuis oppugnatus, ut statuas, mihi non modò non cedendum, sed etiam tuo atque exercitûs tui auxilio in ejusmodi causa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse volui: me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboravi. Maneo in voluntate, &, quoad voles tu, permanebo; citiúsque amore tui fratrem tuum odisse desinam, quàm illius odio quidquam de nostra benevolentia detraham. Vale.

Q. METELLUS NEP. M. T. C. S. D.

HOMINIS importunissimi contumeliæ, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officiis leniuntur: &, ut sint leves ab ejusmodi homine, à me despiciuntur: libentérque commutatâ personâ, te mihi fratris loco esse duco. De illo ne meminisse quidem volo, [1] tametsi bis eum [2] invitum servavi. De meis rebus, ne vobis multitudine literarum molestior essem, ad Lollium perscripsi: de rationibus provinciæ, quid vellem fieri, ut is vos doceret, & commonefaceret. Si poteris, velim pristinam tuam erga me voluntatem conserves. Vale. 3

ARG. De contumeliis cujusdam necessarii, qui P. Clodius videtur esse, queritur, in cujus loco Ciceronem, officiis perspectum, sibi optat esse, à quo petit, ut benevolentiam conservet. *Anno* U. C. *697*.

1. *Tametsi bis invitum eum servavi*] Cùm illum Ædilem faciendum curavi, ut judicium de vi vitaret: ad quod illum bis Milo vocavit. Nec me hîc temporis ratio movet, quoniam epistolæ per tempora non sunt digestæ: ne miretur quispiam hanc sequenti esse præpositam. CORRAD.

2. *Invitum*] Nemo servatur invitus. Sed qui palàm peccat, nec pœnæ metu flagitiis abstinet, is cùm impunitatem adipiscitur, servari videtur invitus. Clodii autem cunctis penè sceleribus inquinatam vitam quis ignorat? MANUT.

M. C. Q. METELLO NEPOTI COS. S. D.

LITERÆ Q. fratris, & T. Pomponii, necessarii mei, tantum spei dederant, ut in te non minùs auxilii, quàm in tuo [1] collega, mihi constitutum fuerit. Itaque ad te literas statim misi: per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & 4

ARGUMENTUM. Exul opem implorat consulis, & memoriam beneficii pollicetur. *Anno* U. C. *696*.

1. *Collega*] P. Lentulo consule, Ciceronis reditum enixè curante: ut ex epist. & orationibus constat. MANUT.

& de reliquo tempore auxilium petii. Poſtea mihi non tam meorum literæ, quàm ſermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum ſignificabant: quæ res fecit, ut tibi literis obſtrepere non auderem. Nunc mihi Quintus frater meus mitiſſimam tuam orationem, quam in ſenatu habuiſſes, perſcripſit: quâ inductus, ad te ſcribere ſum conatus, & abs te, quantum tua fert voluntas, peto quæsóque, ut tuos mecum ſerves potiùs, quàm propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu [2] tuas inimicitias ut reipublicæ donares, te viciſti; alienas ut contra rempublicam confirmes, adducêris? Quòd ſi mihi tuâ clementiâ opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua poteſtate tibi confirmo. Sin mihi neque magiſtratum, neque ſenatum, neque populum auxiliari, propter eam [3] vim, quæ me cum republica vicit, licuerit: vide, ne, cùm velis revocare tempus omnium ſervandorum, cùm qui ſervetur non erit, non poſſis. Vale.

2. *Tuas inimicitias*] Fortaſſe quas cum C. Curione, qui de Dardanis triumphavit, acerbiſſimas geſſerat. Vide Pedianum in commentario Cornelianæ. Manut.

3. *Vim*] Tribunitiam Clodii, & conſularem Piſonis & Gabinii. Corradus.

M. C. C. Antonio, M. F. Imperatori, S. D.

5 Etsi ſtatueram nullas ad te literas mittere, niſi commendatitias; non quò eas intelligerem ſatis apud te valere, ſed ne iis, qui me rogarent, aliquid de noſtra conjunctione imminutum eſſe oſtenderem: tamen, cùm T. Pomponius, homo omnium meorum in te ſtudiorum & officiorum maximè conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur, aliquid mihi ſcribendum putavi: præſertim cùm aliter ipſi Pomponio ſatisfacere non poſſem. Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini videri debeat. Omnia enim à me in te profecta ſunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. Pro iis rebus nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Contrà etiam eſſe aliquid

Arg. Deſiderat C. Antonii, ſui nuper in conſulatu collegæ, tum proconſulis Macedoniæ, officia mutua; deinde Pomponii Attici, qui has afferebat, in provincia negotium commendat. Silano, & Murena Coſſ. *Anno* U. C. *691*.

aliquid abs te profectum, ex multis audivi. Nam comperisse me, non audeo dicere, ne fortè id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falsò in me solere conferri. Sed ea, quæ ad me [1] delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minùs molesta fuerunt, quàm ex meis literis, cognoscere. Meus in te animus quàm singulari officio fuerit, & senatus & populus Romanus testis est. Tu quàm gratus erga me fueris, ipse existimare potes: quantum mihi debeas, cæteri existiment. Ego quæ tuâ causâ antea feci, voluntate sum adductus, posteàque constantiâ. Sed [2] reliqua, mihi crede, multò majus meum studium, majorémque gravitatem, & laborem desiderant. Quæ ego si non profundere ac perdere videbor; omnibus meis viribus sustinebo: sin autem ingrata esse sentiam, non committam ut tibi ipse insanire videar. Ea quæ sint, & cujusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut quanquam ipsius causâ confido te facturum esse omnia, tamen abs te hoc petam, ut, si quid in te residet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio ostendas. Hoc mihi nihil gratius facere potes. Vale.

1. *Delata*] De querelis tuis. Libentiùs enim ad querelas Antonii refero, quàm ad id quod legitur *Att.* I. 20, de parte pecuniarum, quæ contra leges ab Antonio in provincia cogerentur, Ciceroni danda. MAN.

2. *Reliqua*] Quæ imminent, ut accusatio conjurationis: & quod Pompeiani prodromi nuntiant apertè, Pompeium acturum, tibi succedi oportere: eodémque tempore ageret prætor ad populum, quod contra Dardanos avarè & ob id infeliciter rem gesseris. CORRADUS.

M. C. P. SEXTIO, L. F. PROQUÆSTORI, S. D.

CUM ad me Decius, [1] librarius, venisset, egisse̍tque mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succede- 6
retur, quanquam illum hominem frugi & tibi amicum existimabam, tamen, quòd memoriâ tenebam cujusmodi ad me literas antea misisses, non satis credidi [2] homini prudenti, tam valde

ARG. Narrat, quam adhibuerat diligentiam, ne P. Sextio, pro Quæstore C. Antonii in Macedonia succederetur. Addit de sua emptione, non sine joco; & de Sextii ædificatione. *Anno* U. C. 692.

1. *Librarius*] Qui libros transcribit. Liquet notio ex Ciceronis filii epistola 21. extrema, lib. XVI. CELLAR.

2. *Homini prudenti*] Roberti Stephani editio rectissimè scribit, *homini pudenti*, hoc est, homini frugi, ut antè ipsum appellat. GRÆVIUS.

Digitized by Google

valde esse mutatam voluntatem tuam. Sed posteaquàm & Cornelia tua Terentiam convênit, & ego cum Q. Cornelio locutus sum; adhibui diligentiam, quotiescunque senatus fuit, ut adessem, plurimúmque in eo negotii habui, ut [3] Q. Fufium, tribunum plebis, & cæteros, ad quos tu scripseras, cogerem potiùs mihi credere, quàm tuis literis. Omnino res tota in mensem Januarium rejecta erat, sed facilè obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quòd ad me pridem scripseras velle te bene evenire, quòd [4] de Crasso domum emissem; emi eam ipsam domum [5] XXXV, aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam [6] conjurare, si quisquam recipiat: sed partim odio inducti me excludunt, & apertè vindicem conjurationis oderunt; partim nonc redunt, & à me insidias metuunt: nec putant ei nummos deesse posse, qui [7] ex obsidione fœneratores exemerit. Omnino semissibus magna

3. *Q. Fufium tribunum pl.*] Hic locus epistolam Messalla & Pisone Coss. scriptam esse significat. Nam hoc anno tribunatum à Fufio gestum ait Dio lib. 38. ídque confirmat Asconius, qui, quo tempore Clodius de incestu accusatus est, hujus Fufii operâ factum tradit, ne à senatu asperiùs decerneretur. De incestu autem Clodii actum Pisone & Messalla Coss. ex epist. ad Att. lib. 1. in quibus etiam Fufius tribunus plebis nominatur, facilè intelligitur. Idem, interfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit adversarius: & à Cicerone notatur in oratione pro Milone, cùm ait: *Divisa sententia est, postulante nescio quo: nihil enim necesse est, omnium flagitia proferre.* Biennio pòst, ædilitate omissâ, præturam gessit Cæsare & Bibulo Coss. legémque de suffragiis tulit. Testis Dio. Consul fuit cum P. Vatinio, anno DCCV. ut fasti docent Capitolini. Socer fuit Pansæ consulis, qui Mutinensi prælio, partium reip. contra M. Antonium defensor, interfectus est. Defendit Antonium in senatu, à Cicerone oppugnatum: ut ex Philippicis & epistolis ad Brutum constat. Caleno cognomen fuit. *Phil.* VIII. 3. MANUTIUS.

4. *De Crasso*] A Crasso. Notum loquendi genus. Hoc & in ea declamatione, quæ Sallustii nomine inscribitur, in Ciceronem confertur his verbis: *Domum ipsam tuam vi & rapinis funestam tibi ac tuis comparasti; videlicet ut nos commonefacias, quam conversa resp. sit, cùm in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit.* IDEM.

5. *XXXV.*] Tricies quinquies: ut subaudiatur, *centenis millibus nummûm.* Accepit autem mutua à P. Sylla, qui tum reus erat, *H-S. vicies*, ut ait Gellius l. XII. cap. 12. Hæc domus primùm fuerat M. Livii Drusi, ejus qui tribunus plebis initio belli Italici à nescio quo est interfectus. Deinde possedit eam Crassus hic, à Cicerone nominatus; post Crassum, Cicero; post Ciceronem, Censorinus; post Censorinum, Statilius Sisenna. Quod Velleius lib. 2. memoriæ tradidit. IDEM. Vide Budæum, de *Asse*, lib. 3.

6. *Conjurare*] Jocatur: quia Catilina ejúsque socii, cùm æs alienum fœneratoribus solvere non possent, in patriam conjurarunt. Sallustius. IDEM.

7. *Ex obsidione*] Maximè enim contra fœneratores & locupletes facta conjuratio est. Quo spectat illud in epist. 1. lib. I. ad Fratrem: *Publicani, quòd ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatûs beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur.* Et lib. 2. Off. *Nunquam vehementiùs actum est, quàm me consule, ne solveretur: armis & castris tentata res est.* MANUT.

Digitized by Google

[8] magna copia est. Ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut [9] bonum nomen existimer. Domum tuam atque ædificationem omnem perspexi, & vehementer probavi. [10] Antonium, etsi ejus in me officia omnes desiderant, tamen in [11] senatu gravissimè ac diligentissimè defendi; senatúmque vehementer oratione mea, atque auctoritate commovi. Tu ad me velim literas crebriùs mittas. Vale.

8. *Omnino semissibus magna copia est*] Et hic locus diligenter etiam considerandus est. Alii legunt *omnino semissium*, vetusti codices *omni semissibus*. Nos lectionem eam secuti sumus quæ parum à priscis exemplaribus discederet, & sententiam eamdem retineret. In *semissibus* enim clari sunt & certi vetusti codices. Vox illa *omnino* quam restituimus, non integra in illis legitur, ut nonnihil scrupuli etiam restet. Mentionem facit hujus loci Hermolaus in II. editione Plinianarum castigationum lib. XIV. cap. 4. qui eandem ferè quam nos emendationem probat. Quæ sit in veteribus exemplaribus scriptura, voluimus nos notum facere, cùm videamus adhuc hunc locum titubare. VICTOR. Leg. *Bonis*, id est iis, quorum fides non laborat, parata facultas est pecuniæ mutuæ sub semissibus usuris, vel fœnore sex nummorum in centenos. Usuræ centesimæ, vel asses sunt unus nummus menstruus in centum, & sic duodecim annui. Usuræ deunces est nummus menstruus in centenos minùs duodecimâ parte, & sic undecim nummi annui. Usuræ dextantes, decem in centenos annui. Usuræ dodrantes, novem. Usuræ besses, octo. Usuræ septunces, septem. Usuræ semisses, sex. Usuræ quincunces, quinque. Usuræ trientes, quatuor. Usuræ quadrantes, tres. Usuræ sextantes, duo. Usuræ unciæ, unus in centum annuus. Vide IV. *Obs.* 9. GRON.

9. *Bonum nomen*] Id est, bonæ fidei debitor. Debitorum nomina in expensi codicem referebantur. Inde factum, ut *Nomen* acciperetur & pro debita pecunia, unde *exigere nomina*, in Verrem; & pro debitore, ut hìc, & quod ab Alphio fœneratore dici solitum refert Columella, *vel optima nomina non appellando fieri mala*. MAN.

10. *Antonium*] C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu, qui hoc tempore Macedoniam regebat. IDEM.

11. *In senatu*] Cùm ageretur de Antonio ex provincia ob rapinas revocando: ut ex epist. 10. lib. I. ad Att. intelligo. IDEM.

M. T. M. F. C. CN. POMPEIO, CN. F. MAGNO, IMP. S. D.

SI tu exercitúsque valetis, bene est: ego valeo. Ex literis tuis, [1] quas publicè misisti, cepi unà cum omnibus incredibilem voluptatem. Tantam enim spem otii ostendisti, quantam ego semper omnibus, te uno fretus, pollicebar. Sed hoc scito, 7

ARG. Pompeio de victoria Mithridatica gratulatur: contrà sibi illum de conjuratione disjecta nihil gratulari, exprobrat: amicum tamen ei fore pollicetur. *Anno* U. C. 691.

1. *Quas publicè misisti*] Ex Asia de Mithridatico bello confecto. CORRADUS. *Literas publicè mittere*, est ad senatum populúmque Romanum scribere de rebus gestis. GRÆVIUS.

Digitized by Google

ſcito, [2] tuos veteres hoſtes novos amicos, vehementer literis perculſos, atque ex magna ſpe deturbatos jacêre. Ad me autem literas quas miſiſti, quanquam exiguam ſignificationem tuæ erga me voluntatis habebant, tamen mihi ſcito jucundas fuiſſe. Nullâ enim re tam lætari ſoleo, quàm meorum officiorum conſcientiâ, quibus ſi quando non mutuè reſpondetur, apud me plus officii reſidere facillimè patior. Illud non dubito, quin ſi te mea ſumma erga te ſtudia parum mihi adjunxerint, reſpublica nos inter nos conciliatura conjuncturáque ſit. Ac ne ignores, quid ego in tuis literis deſiderarim, ſcribam apertè, ſicut & mea natura, & noſtra amicitia poſtulat. Res eas geſſi, quarum aliquam in tuis literis, & noſtræ neceſſitudinis & reipublicæ causâ, gratulationem expectavi: quam ego abs te prætermiſſam eſſe arbitror, quòd vererere, [3] ne cujus animum offenderes. Sed ſcito ea, quæ nos pro ſalute patriæ geſſimus, orbis terræ judicio ac teſtimonio comprobari. Quæ, cùm veneris, tanto conſilio, tantáque animi magnitudine à me geſta eſſe cognoſces, ut tibi multò majori, quàm Africanus fuit, me non multò minorem, quàm Lælium, facilè & in republica & in amicitia adjunctum eſſe patiare. Vale.

2. *Tuos veteres hoſtes, novos amicos*] Craſſum & Lucullum, Manutius. Ego verò intelligo reliquias Catilinariæ conjurationis, de quibus I. ad Att. epiſt. 14. *Barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ.* Hos dicit veteres hoſtes Pompeii, quòd ille omnibus Remp. turbare volentibus fortiſſimè olim reſtiterat. Novos amicos, quia Pompeius in epiſt. de rep. per Ciceronem vindicata, & punitis ſupplicio ſontibus nullum verbum poſuerat, ne offenderet homines populares, eóque illis reconciliatus & amicus videbatur. J. F. Gronovius.

3. *Ne cujus*] Ut C. Cæſaris, aut M. Craſſi, quos occultè favere conjuratis multi ſuſpicati ſunt. Manutius.

M. T. C. M. Licinio, P. F. Crasso S. D.

8 Quantum meum ſtudium extiterit dignitatis tuæ, [1] vel tuendæ, vel etiam augendæ, non dubito quin ad te omnes tui ſcripſerint. Non enim fuit aut mediocre, aut obſcurum, aut

Arg. Craſſo in Syriam profecto, ſcribit, quantâ eum contentione defenderit, & excuſatâ, quæ interceſſerat, ſimultate, amicitiam à primo in forum ingreſſu repetit, cujus conſtantiam pollicetur adeò, ut, interjectis nonnullis de filiis Craſſis, has literas fœderis vim habituras eſſe ſanciat. *Anno* U. C. *699.*

1. *Vel tuendæ*] Contra Atteium Trib. pl. Epiſt. 8. lib. I. Corradus.

Digitized by Google

aut ejusmodi, quod silentio posset præteriri. Nam & cum [2] consulibus, & cum multis consularibus tantâ contentione decertavi, quantâ nunquam antea ulla in causa; suscepíque mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis; veteríque nostræ necessitudini jamdiu debitum, sed multâ varietate temporum [3] interruptum officium cumulatè reddidi. Neque mehercule unquam mihi tui, aut colendi, aut ornandi voluntas defuit: sed quædam pestes hominum, laude alienâ dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. Sed extitit tempus [4] optatum mihi magis, quàm speratum, ut, florentissimis tuis rebus, mea perspici posset & memoria nostræ voluntatis, & amicitiæ fides. Sum enim consecutus, non modò ut domus tua tota, sed ut cuncta civitas me tibi amicissimum esse cognosceret. Itaque & præstantissima omnium fœminarum uxor tua, & eximiâ pietate, virtute, gratiâ tui Crassi, meis consiliis, monitis, studiis, actionibúsque nituntur: & senatus, populúsque Romanus intelligit, tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quæ sint acta, quæque agantur, domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas vehementer velim, non me repentinâ aliquâ voluntate, aut fortuitò ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse; sed [5] ut primùm forum attigerim, spectasse semper, ut

2. *Consulibus*] L. Domitio Ænobarbo & Appio Claudio Pulchro. CORRAD.

3. *Interruptum*] Ob eam simultatem, quam inter eos Catilinæ temporibus exortam, quia Crassus conjurationis conscius & particeps putaretur, Plutarchus in Crassi vita prodidit. MANUTIUS.

4. *Optatum mihi magis, quàm speratum*] Hoc refertur ad id quod sequitur, *Florentissimis rebus tuis*: quia rebus afflictis, non florentissimis, amor verè perspicitur. Mihi autem, inquit, contigit, quod optabam potiùs, quàm sperabam, ut optimo rerum tuarum statu, mea tamen & memoria veteris nostræ necessitudinis, & post reconciliatam gratiam fides perspici posset. IDEM.

5. *Ut primùm*] Hoc est, ab ineunte adolescentia, simul ac indui togam virilem depositâ prætextâ, ab amicis deductus in forum, ut transcriberer in viros. Cic. lib. XV. epist. 16. *Qui postquam forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenissimum amplissimæ dignitatis.* Pro quo in lib. XIII. epist. 10. dicit *in forum venire.* Suet. est *in forum deduci.* Solebant enim tum ab amicis deduci in forum atque in templa sacrificandi causâ. Ipse dies, quo togam virilem capiebant, dicebatur *dies tyrocinii*, & annus ille, *annus tyrocinii*: qui pro captu adolescentum nonnunquam erat annus quartus, quintus aut sextus decimus. Certum enim non fuisse sat multis argumentis ostenderunt

tibi poſſem quàm maximè eſſe conjunctus. Quo quidem ex tempore, memoriâ teneo, neque meam tibi obſervantiam, neque mihi tuam ſummam benevolentiam ac liberalitatem defuiſſe. Si quæ interciderunt, non tam re, quàm ſuſpicione, [6] violata; ea cùm fuerint & falſa & inania, ſint evulſa ex omni memoria vitáque noſtra. Is enim tu vir es, & eum me eſſe cupio, ut quoniam in eadem reipublicæ tempora incidimus, conjunctionem amicitiámque noſtram utrique noſtrûm laudi ſperem fore. Quamobrem tu quantum tuo judicio tribuendum eſſe nobis putes, ſtatues ipſe: &, ut ſpero, ſtatues ex noſtra dignitate. Ego verò tibi profiteor atque polliceor eximium & ſingulare meum ſtudium in omni genere officii, quod ad honeſtatem & gloriam tuam ſpectet: in quo etiamſi multi mecum contendent, tamen cùm reliquis omnibus, tum Craſſis tuis judicibus, omnes facilè ſuperabo: quos quidem ego ambo unicè diligo, ſed in Marco benevolentiâ impari. Hoc magis ſum [7] Publio deditus, quòd me, quanquam à pueritia ſua ſemper, tamen hoc tempore maximè, ſicut alterum parentem, & obſervat, & diligit. Has literas velim exiſtimes fœderis habituras eſſe vim, non epiſtolæ, méque ea, quæ tibi promitto ac recipio, ſanctiſſimè eſſe obſervaturum, diligentiſſiméque eſſe facturum. Quæ à me ſuſcepta defenſio eſt, te abſente, dignitatis tuæ, in ea jam ego non ſolùm amicitiæ noſtræ, ſed etiam conſtantiæ meæ causâ permanebo. Quamobrem ſatis eſſe hoc tempore arbitratus ſum hoc ad te ſcribere: me, ſi quid ipſe intelligerem aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea ſponte id eſſe facturum: ſin autem quippiam aut à te eſſem admonitus, aut à tuis, effecturum ut intelligeres, nihil neque te ſcripſiſſe, neque quemquam tuorum fruſtrà ad me detuliſſe. Quamobrem velim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis,

runt viri docti. Plerumque tamen fuiſſe quartum decimum ſatis apparet ex Servio, qui ad VII. Æn. notat, tirones anno quarto decimo exeunte togam virilem ſumpſiſſe, quinto decimo armis ſe exercuiſſe in campo Martio, ſexto decimo exeunte ſtipendia mereri cœpiſſe. GRÆVIUS.

6. *Violata*] Sic ad Att. epiſt. 15. lib. I. *Illa, quæ violata, expiabuntur. Violari* enim dicitur, quaſi ſacroſancta amicitia ſit. MANUTIUS.

7. *Publio*] Quo intercedente, Cicero & Craſſus reconciliati ſunt. Amabat is Ciceronem unicè propter eloquentiam. Epiſt. 8. lib. II. ad fratrem: & in Bruto, cap. 81. Interfectus eſt à Parthis. IDEM.

Digitized by Google

nimis, maximis, mediocribúsque rebus, ut ad hominem amicissimum; & tuis præcipias, ut operâ, consilio, auctoritate, gratiâ meâ sic utantur in omnibus, publicis, privatis, forensibus, domesticis, tuis, amicorum, hospitum, clientium tuorum negotiis, ut, quoad ejus fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

VATINIUS IMP. CICERONI SUO S. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius cliens advenit, qui [1] *pro se causam dicier vult. Non, puto, repudiabis in honore, quem* [2] *in periculo recepisti. Ego autem quem potiùs adoptem, aut invocem, quàm illum, quo defendente vincere didici? An verear, ne, qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is pro honore meo pusillorum ac malevolorum obtrectationes, & invidias non prosternat, atque obterat? Quare, si me, sicut soles, amas, suscipe me totum: atque hoc quidquid est oneris ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta. Scis meam fortunam, nescio quomodo, facilè obtrectatores invenire, non meo quidem mehercules merito: sed quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit? Si qui fortè fuerit, qui nostræ dignitati obesse velit, peto à te, ut tuam consuetudinem &* [3] *liberalitatem in me absente defendendo mihi præstes. Literas ad senatum de rebus nostris gestis,* [4] *quo exemplo miseram, infrà tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus servus* [5] *anagnostes fugitivus cum* [6] *Vardæis esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen* 9

ARG. P. Vatinius, è consulatu Illyrici rector à Cæsare dictatore constitutus, Ciceroni dignitatem suam contra malevolos defendendam commendat. Scripta Cæsare IV. Consule sine collega. *Anno* U. C. 708.

1. *Pro se causam*] De supplicationibus obtinendis. CORRAD.

2. *In periculo recepisti*] Reum factum anno decimo ferè antè. Ep. 8. lib. I. IDEM.

3. *Liberalitatem*] Est studium de aliis bene merendi. Ut lib. I. epist. 9. & lib. X. epist. 3. GRÆVIUS.

4. *Quo exemplo*] Hoc est, exemplum, sive, ut barbari loquuntur, copiam epistolæ meæ ad Senatum de rebus gestis scriptæ, hisce literis subjeci. IDEM.

5. *Anagnostes*] Eruditi & opulenti homines inter alia ministeria habebant quoque, qui ipsis cœnantibus, lavantibus, aut vigilantibus noctu aut alio tempore libros vel aliorum, vel suos legerent, hos *anagnostas* Græco vocabulo, ut Cic. I. ad Att. epist. 9. *lectores* Latino appellarunt.

6. *Vardæis*] Dalmatiæ populus.

men terrâ marique ut conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. A. d. V. *idus Quintiles, ex castris,* [7] *Narona.*

7. *Narona*] Liburniæ civitas, postea colonia facta, ad fluvium Naronem.

P. VATINIUS CICERONI SUO S. D.

10 *SI vales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico: & eò minùs, quòd me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hîc refrigeravit. Sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. Sed tamen omnia mihi dura imperas. De Catilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimæ. Apage te cum nostro Sexto Servilio: nam mehercule ego illum quoque amo. Sed hujusmodi vos clientes, hujusmodi causas recipitis? hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuos, matres-familiâs, cives Romanos occidit, arripuit, disperdidit, regiones vastavit? Simius,* [1] *non semissis homo, contra me arma tulit, & eum bello cepi. Sed tamen, mi Cicero, quid facere possum? Omnia mehercule cupio, quæ tu mihi imperas. Meam animadversionem, & supplicium, quo usurus eram in eum quem cepissem, remitto tibi & condono. Quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naves expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos,* [2] *actiones expostulant? Si mehercules Appii os haberem,* [3] *in cujus locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? Faciam omnia sedulò, quæ te sciam velle. Defenditur à Q. Volusio, tuo discipulo, si fortè ea res poterit adversarios fugare; in eo maxima spes est. Nos, si quid erit istic opus, defendes. Cæsar adhuc mihi injuriam facit: de meis suppli-*

ARG. Agit de servo fugitivo Dionysio: de Catilio pirata captivo: de rebus à se gestis, & decernendis supplicationibus. *Anno* U. C. 708.

1. *Non semissis*] Id est, vilissimi ac nullius pretii. CELLAR.

2. *Actiones*] *Expostulare actionem*, est petere à prætore in urbe, aut proprætore in provincia, agendi contra hunc aut illum copiam, sicuti *dare actionem* dicebatur prætor quos admittebat ad agendum, hoc est, jus suum persequendum in judicio. GRÆV.

3. *In cujus locum suffectus sum*] Cui successi in provincia Illyrico. Non est autem hic Appius, ad quem Cicero lib. III. scribit, quippe qui bello civili periisset. (Val. Max. I. 6.) sed alius, qui rexit Illyricum A. U. C. 706. Cæsare Dictat. II. GRON.

Digitized by Google

supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi verò non [4] *justissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. Nam si hoc expectandum est, dum totum bellum conficiam; viginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua; quæ ipsi sibi asciverunt amplius sexaginta: hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur; longè aliâ conditione ego sum, ac cæteri imperatores.*

[5] *Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum: sex oppida vi oppugnando cepi: unum hoc, quod erat maximum, quater à me jam captum. Quatuor enim turres, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua me nives, frigora, imbres detruserunt: indignéque, mi Cicero, oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Cæsarem meam causam agas, méque tibi in omnes partes defendendum putes: hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale. Nonis Decemb. Narona.*

4. *Justissimi*] Ob numerum cæsorum hostium. Sic ep. 10. lib. II. *Victoriâ justâ imperator appellatus sum.* MANUT.

5. *Ego post supplicationes mihi decretas*] In quibusdam libris ab hoc loco nascitur epist. novæ principium; ita ut ex hac X. fiant duæ, X. & XI. Nos unam facimus, ut probabilius est. LAMBIN. Scriptâ, necdum missâ superiore epistolâ, certior factus de supplicationibus sibi decretis, in Dalmatiam, ut bellum conficeret, statim profectus est, oppida sex cepit. Quo facto eandem misit epistolam, quam per dies plures in manibus habuerat, ut aliquid de rebus à se post supplicationes gestis appingeret. MANUT.

M. T. C. P. VATINIO IMPERATORI S. D.

GRATA tibi mea esse officia non miror: cognovi enim te II
gratissimum omnium: ídque nunquam destiti prædicare. Nec enim tu mihi habuisti modò gratiam, verùm etiam cumulatissimè retulisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus pari me studio erga te, & eadem voluntate cognosces. Quòd mihi fœminam primariam, Pompeiam, uxorem tuam commendas: cum Sura nostro statim, tuis literis lectis, locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut, quidquid opus esset, mihi denuntiaret: me omnia, quæ ea vellet, summo studio curáque

ARG. Respondet epistolæ, quæ non extat, laudando gratum animum, & studium suum uxori, quam commendaverat, non defuturum pollicetur. Addit de Dionysio fugitivo; & spe triumphi Dalmatici. *Anno* U. C. 708.

Digitized by Google

facturum: itáque faciam, eamque, si opus esse videbitur, ipse conveniam. Tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parùm me digna videatur. Omnia, quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta videbuntur. De Dionysio, si me amas, confice. Quamcunque ei [1] fidem dederis, præstabo. Si verò [2] improbus fuerit, ut est, duces eum [3] captivum in triumpho. Dalmatis dii malè faciant, qui tibi molesti sunt. Sed, ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas: semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

1. *Fidem dederis*] Redire nolebat, pœnæ metu, Dionysius ad Ciceronem, à quo surreptis multis libris, aufugerat. Epist. 77. lib. XIII. Manutius.
2. *Improbus*] Ut redire nolit. Idem.
3. *Captivum*] Mss. *captum*.

M. C. L. [1] Lucceio, Q. F. S. D.

12 Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam penè subrusticus, quæ nunc expromam absens audaciùs. Epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis; quod etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum etsi erat semper à me vehementer expectatum, tamen vicit opinionem meam, méque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quàm celerrimè res nostras monumentis commendari tuis. Neque enim me solùm commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit: sed etiam illa cupiditas, vel ut auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentiæ, vel suavitate ingenii, vivi perfrua-

Arg. Lucceium, historiarum scriptorem, rogat, ut de rebus suis, in consulatu gestis, & de exilio reditúque, singularem separatúmque librum conficiat. Ipse ad Att. IV. 6. hanc valde bellam epistolam dixit, quia omni arte usus est ut Lucceio persuadeat. *Anno* U. C. 697.

1. *Lucceio*] Aliàs, *Luceio*.
2. *Callisthenes Troicum bellum*] Vide de hoc Callisthene & ejus scriptis Gerard. Voss. I. de hist. Græc. cap. 9. De hoc bello Homerus & Dictys Cretensis. Græv.
3. *Timæus Pyrrhi*] Fuit domo Siculus, Tauromenita, vixit tempore Agathoclis, cùm bellum Tarentinum à Pyrrho gereretur in Italia. Vide de ejus vita & scriptis G. Voss. de Hist. Græc. lib. I. cap. 12. De hoc bello verò vide Flor. lib. I. cap. 18. Liv. epit. lib. XII. & seqq. Plutarchum in vita Pyrrhi. Idem.

Digitized by Google

perfruamur. Neque tamen, hæc cùm ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerêre ſuſceptarum rerum, & jam inſtitutarum: ſed quia videbam Italici belli & civilis hiſtoriam jam à te penè eſſe perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri; deeſſe mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, conjuncténe malles cum reliquis rebus noſtra contexere, an, ut multi Græci fecerunt, [2] Calliſthenes Troicum bellum, [3] Timæus Pyrrhi, [4] Polybius Numantinum: qui omnes à perpetuis ſuis hiſtoriis ea, quæ dixi, bella ſeparaverunt: tu quoque item civilem [5] conjurationem ab hoſtilibus externiſque bellis ſejungeres. Equidem ad noſtram laudem non multùm video intereſſe: ſed ad properationem meam quiddam intereſt, non te expectare dum ad locum venias, ac ſtatim cauſam illam totam, & tempus arripere. Et ſimul ſi uno in argumento, unáque in perſona mens tua tota verſabitur, cerno jam animo, quantò omnia uberiora atque ornatiora futura ſint. Neque tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam, (poteſt enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, poſtulem. Quid, ſi illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen, qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementiùs etiam, quàm fortaſſe ſentis, & in eo leges hiſtoriæ negligas: gratiámque illam, de qua ſuaviſſimè quodam in proœmio ſcripſiſti, à qua te deflecti non magis potuiſſe demonſtras, quàm [6] Herculem Xenophontium illum à voluptate: ea ſi me tibi vehementiùs commendabit, ne aſpernere: amoríque noſtro pluſculum etiam, quàm concedet veritas, largiare. Quòd ſi te adducemus, ut hoc ſuſcipias; erit (ut mihi perſuadeo) materies digna facultate, & copiâ

4. *Polybius Numantinum*] Vixit temporibus Ptolemæi Philometoris. De quo vid. Ger. Voſſ. lib. I. de Hiſt. Græc. cap. 19. De bello verò Numantino vid. Flor. XI. 18. epit. Liv. 57. & ſeq. Vell. II. 4. IDEM.

5. *Conjurationem*] Factam ipſo conſule à duobus maximè patriciis, L. Sergio Catilina, prætorio, P. Cornelio Lentulo, conſulari, & prætore iterum. MANUT.

6. *Herculem Xenophontium*] De quo ſcribit Xenophon lib. II. Memorabilium, & Cicero lib. I. de Off. his verbis: *Herculem Prodicus dicit, ut eſt apud Xenophontem, cùm primùm pubeſceret, quod tempus à natura ad deligendum, quam quiſque viam vivendi ſit ingreſſurus, datum eſt, exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem diù ſecum multúmque dubitaſſe, cùm duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius eſſet.* MANUT.

Digitized by Google

copiâ tuâ. A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam [7] corpus confici posse: in quo & illâ poteris uti civilium commutationum scientiâ, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum, cùm & reprehendes ea, quæ vituperanda duces; &, quæ placebunt, exponendis rationibus comprobabis; &, si liberiùs, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, quæ vehementer animos hominum [8] in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum varietates, fortunæque vicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationem. Cæteris verò nullâ perfunctis propriâ molestiâ, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrûm ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli jubet spiculum, postea quàm ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum: ut, etiam in vulneris dolore, æquo animo cum laude moreretur. Cujus studium in legendo non erectum Themistoclis [9] fugâ [10] reditúque retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At viri sæpe excellentis ancipites variíque casus habent admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem. Si verò exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissimâ lectionis voluptate. Quò mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris,

---

7. *Corpus*] Hoc est, librum, volumen. In II. ad Q. Fratrem, epist. 12. *Sed utros ejus habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque nescio.* Vitruv. *Cùm corpus architecturæ scriberem.* Eodem modo Græcis σῶμα dicitur, & σωμάτιον. Cic. VI. ad Att. epist. 1. *Hoc tuum σῶμα curabo ut habeas.* Hesych. Γλιὰς τῦ Ὁμήρυ σωμάτιον. Sic & *Corpus Juris*, eodem sensu. GRÆV.

8. *In legendo scripto*] Videtur ad Ciceronis genium magis conformata oratio: si *scripto* deleatur, legatúrque, *vehementer animos hominum in legendo retinere possit.* ID.

9. *Fugâ*] Fugit ad Artaxerxem, Persarum regem, veritus iram Atheniensium, quibus in suspicionem venerat initæ cum Persarum rege contra Græciam societatis. MANUT.

10. *Reditúque*] Ad hæc verba Manutius scribit: *Reditum Themistoclis post fugam non invenio.* Hac re permotus Hieronymus Ferrarius legendum opinabatur, teste eodem Manu-

Digitized by Google

ris, ut à continentibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fabulam rerum eventorúmque noſtrorum. Habet enim varios actus, multáſque actiones & conſiliorum & temporum. Ac non vereor, ne aſſentatiunculâ quâdam aucupari tuam gratiam videar, cùm hoc demonſtrem, me à te potiſſimum ornari, celebraríque velle. Neque enim tu is es, qui, quid ſis, neſcias; & qui non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quàm eos qui laudent, aſſentatores arbitrere. Neque autem ego ſum ita demens, ut me ſempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipſe quoque in me commendando propriam ingenii gloriam conſequatur. Neque enim Alexander ille gratiæ causâ ab Apelle potiſſimùm pingi, & à Lyſippo fingi volebat: ſed quòd illorum artem cùm ipſis, tum etiam ſibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices, corporis ſimulacra [11] ignotis nota faciebant: quæ vel ſi nulla ſint, nihilo ſint tamen obſcuriores clari viri. Nec minùs eſt Spartiates Ageſilaus ille [12] perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quàm qui in eo genere laborarunt. Unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facilè omnes imagines omnium, ſtatuáſque ſuperavit. Atque hoc præſtantius mihi fuerit, & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, ſi in tua ſcripta pervenero, quàm ſi in cæterorum; quòd non ingenium mihi ſolùm ſuppeditatum fuerit tuum, ſicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themiſtocli; ſed etiam auctoritas clariſſimi & ſpectatiſſimi viri, & in reipublicæ maximis graviſſimíſque cauſis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non ſolùm præconium, quod, cùm in Sigæum veniſſet Alexander, ab Homero Achilli tribu-

Manutio, *interitu* pro *reditu*. Aliis placet *exitu* reſcribere, aliis *obitu*: alii planè audent *reditúque* delere. Sed hæc omnia ab antiquis libris diſſentiunt. Mihi dubium non eſt, quin Cicero ἁμάρτημα μνημονικὸν admiſerit, Themiſtocli tribuens, quæ de Alcibiade ſcripta reliquerunt Hiſtorici. Scribere igitur Cicero debebat, immò volebat, *Alcibiadis*, ſed imprudens poſuit *Themiſtoclis*: id quod notare Criticus debet, non emendare. HEUMANNUS.

11. *Ignotis nota faciebant*] *Ignotis*, poſuit, non pro iis qui ignorarentur, ſed qui ignorarent illa ſimulacra: ut id quod patitur, accipiatur pro eo quod agit: antiquè. Nam & Plautus in Pſeudolo: *Novi; notis prædicas*: pro, iis qui noverunt. Et noſter in oratione pro Cælio; *De dignitate, Cælius notis ac majoribus natu, etiam ſine mea oratione, tacitus facilè ipſe reſpondet.* MAN.

12. *Perhibendus*] Erat hîc à Mureto annotatum in margine, *perennis*.

Digitized by Google

tum esse [13] dixit; sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magníque videatur. Placet enim [14] Hector ille mihi Nævianus, qui non tantùm laudari se lætatur, sed addit etiam, *à laudato viro.* Quod si à te non impetro, hoc est, si quæ te res impedierit, (neque enim fas esse arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me: multorum tamen exemplo, & clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere vitia: & verecundiùs ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum; & prætereant, si quid reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas: multi denique reprehendant, & dicant, verecundiores esse [15] præcones ludorum gymnicorum, qui cùm cæteris coronas imposuerint victoribus, eorúmque nomina magnâ voce pronuntiarint, cùm ipsi ante ludorum missionem coronâ donentur, alium præconem adhibeant, ne suâ voce ipsi se victores esse prædicent. Hæc nos vitare cupimus; &, si recipis causam nostram, vitabimus; ídque ut facias, rogamus. Ac, ne fortè mirere, cur, cùm mihi sæpe ostenderis te accuratissimè nostrorum temporum consilia atque eventus literis mandaturum, à te id nunc tanto opere & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quòd alacres animo sumus: ut & cæteri viventibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi vivi gloriolâ nostrâ perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium. Sin autem differs me in tempus aliud, coràm tecum loquar. Tu interea non cessabis, & ea, quæ habes instituta, perpolies, nósque diliges. Vale.

M. C.

---

13. *Dixit*] His verbis: *O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* In oratione pro Archia, & Plutarchus in vita. MANUTIUS.

14. *Hector*] Vide lib. XV. epist. *6.*

15. *Præcones*] Præcones in ludis gymnicis erant poetæ Melici, qualis fuit Pindarus, & alii, qui lyrâ & cantu certatim Olympionicorum laudes & præclara facta celebrabant. Ex magno autem Poetarum numero, qui cæteris ingenio præstitisse putabatur, is & Olympionici coronam imponebat; cùm tamen ejus patriam, non eum, coronari pronunciaret; & ipse, tanquam Poetico certamine victor, ab alio Poeta, eum laudante, coronabatur. *Plin.* lib. XVI. cap. 4. IDEM.

Digitized by Google

M. C. L. LUCCEIO, Q. F. S. D.

QUANQUAM ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissi- 13
ma est: declarat enim summam benevolentiam conjunctam
pari prudentiâ: tamen illum fructum ex iis literis vel maximum
cepi, quòd te præclarè res humanas contemnentem, & opti-
mè contra fortunam paratum, armatúmque cognovi. Quam
quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde
pendêre, nec extrinsecus aut bene aut malè vivendi suspensas
habere rationes. Quæ cogitatio cùm mihi non omnino excidis-
set, (etenim penitus insederat) vi tamen tempestatum, & con-
cursu calamitatum erat aliquantum labefactata, atque convulsa:
cui te opitulari & video, & id fecisse etiam proximis literis,
multúmque profecisse sentio. Itaque hoc sæpius dicendum, ti-
bíque non significandum solùm, sed etiam declarandum arbi-
tror, nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius. Ad consolan-
dum autem cùm illa valent, quæ eleganter, copioséque colle-
gisti, tum nihil plus, quàm quòd firmitudinem gravitatémque
animi tui perspexi, quam non imitari turpissimum existimo. Ita-
que hoc etiam fortiorem me puto, quàm te ipsum præcepto-
rem fortitudinis, quòd tu mihi videre spem nonnullam habere,
hæc aliquando futura meliora. [1] Casus enim gladiatorii, simili-
tudinésque eæ, tum rationes in ea disputatione à te collectæ,
vetabant me reipublicæ penitus diffidere. Itaque alterum minùs
mirum, fortiorem te esse, cùm aliquid speres: alterum mirum,
spe ullâ teneri. Quid est enim non ita affectum, ut id non de-
letum extinctúmque esse fateare? Circumspice omnia membra
reipublicæ, quæ notissima sunt tibi; nullum reperies profectò,
quod non fractum debilitatúmve sit. Quæ persequerer, si aut
meliùs ea viderem, quàm tu vides, aut commemorare possem
sine dolore; quanquam tuis monitis præceptísque omnis est ab-

ARG. Consolationi respondet, qua se mirè levatum esse fatetur, ut forti animo sit, etsi de rep. desperet. Cæsare IV. consule sine collega. *Anno* U. C. 708.

1. *Casus enim gladiatorii*] Gladiatorum similitudine Lucceius probare studuerat, non esse penitùs de rep. desperandum: cùm sæpè, qui jam victus ab adversario gladiator videtur, is ita convaleat, ut victorem prosternat. MANUTIUS.

Digitized by Google

jiciendus dolor. Ergo & domestica feremus, ut censes, & publica paulò etiam fortiùs fortasse, quàm tu ipse, qui præcipis. Te enim spes aliqua consolatur, ut scribis: nos autem [1] erimus etiam in omnibus desperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris, & præcipis. Das enim mihi jucundas recordationes conscientiæ nostræ, rerúmque earum, quas, te in primis auctore, gessimus. Præstitimus enim patriæ non minùs certè, quàm debuimus: plus profectò, quàm est ab animo cujusquam, aut consilio hominis postulatum. Ignosces mihi de me ipso aliquid prædicanti: quarum enim tu rerum cogitatione nos levare ægritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque, ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestiis & angoribus abducam: transferámque animum ad ea, quibus secundæ res ornantur, adversæ adjuvantur: tecúmque & ero tantum, quantum patietur utriusque ætas & valetudo: & si esse unà minùs poterimus, quàm volumus, animorum tamen conjunctione, iisdem studiis ità fruemur, ut nunquam non unà esse videamur. Vale.

1. *Erimus etiam in omnibus desperatione fortes*] Vulg. *in omni desperatione fortes*, cùm alius codex præ se ferat, *in omnium rerum desperatione fortes*: sed nostra omnino melior, quam accepimus ex Pall. pr. tert. quint. Gruter. Vatic. videtúrque ideò hæc lectio immutata, quia non cuivis puero plana & obvia: sed non sic *itur in alta*. GEBHARD. Cùm id etiam Grævius receperit, nihil muto: neque hac tamen viâ iturum me in alta confido. Gebhardi optimi pace dixerim, mihi vulgatam placere. Neque unquam ita locutus est Cicero, neque unquam, opinor, ita sensit, ut se *desperatione fortem* diceret. Aliud fortitudinis genus, non barbarum illud noverat. OLIVET.

L. LUCCEIUS Q. F. M. T. CICERONI, M. F. S. D.

14 *SI vales, bene est: valeo sicut soleo; paululò tamen etiam deteriùs, quàm soleo. Te requisivi sæpius, ut viderem: Romæ quia postea non fuisti, quàm [1] discesserat, miratus sum; quod item nunc miror. Non habeo certum, quæ te res hinc maximè retrahat. Si solitudine delectare, cùm scribas, & aliquid agas [2] eorum,*

ARG. Quærit, cur tamdiu ab urbe absit Cicero. Laudat, si propter otium scribendi fiat: non probat, si propter mœrorem ex morte filiæ. Deinde rationes compescendi doloris addit: rationibus adjungit preces, & modeste claudit. *Anno* U. C. 708.

1. *Discesserat*] Cæsar scilicet.

2. *Eorum, quorum consuesti*] Genus loquendi Græcis usitatum: apud quos relativum, quod appellant, congruit cum eo quod antecedens nominant. LAMBIN.

Digitized by Google

rum, quorum consuesti, gaudeo, neque reprehendo tuum consilium. Nam nihil isto potest esse jucundius, non modò miseris his temporibus & luctuosis, sed etiam tranquillis & optatis; præsertim vel animo defatigato tuo, qui nunc requietem quærat ex magnis occupationibus, vel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, ipsum laudibus illustret. Sin autem, sicut hîc dum eras, lacrymis ac tristitiæ te tradidisti, doleo, quia doles, & angere: nec possum te, si concedis quod sentimus, ut liberiùs dicamus, non accusare. Quid enim? tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? Quòd si non possumus aliquid proficere suadendo, gratiâ contendimus, & rogando, si quid nostrâ causâ vis, ut istis te molestiis laxes, & ad convictum nostrum redeas, & ad [3] *consuetudinem, vel nostram communem, vel tuam solius ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio: cupio deterrere, ne permaneas in incepto: cùm duæ res istæ contrariæ me conturbent; ex quibus aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes, aut in altera* [4] *non offendas. Vale.*

3. *Ad consuetudinem vel nostram*] Lusus elegans in voce *consuetudo*, quæ cùm refertur ad τὸ *nostram communem*, significat familiarem usum, conversationem; cùm ad τὸ *tuam solius ac propriam*, significat morem ac rationem vivendi. J. F. GRON.

4. *Non offendas*] *Offendere* quinque modis accipitur. Aut enim est *lædere*: quæ notissima significatio est: propterea supersedeo exemplis. Aut *reperire*: ut epist. 9. lib. I. *Non offendes eum bonorum sensum, mi Lentule, quem reliquisti.* Et epist. 14. lib. IV. *Tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm rempubl. offendissem.* Aut *incidere*: ut lib. II. de Invent. *Quòd si in cæteris quoque studiis à multis eligere homines commodissimum quodque, quàm sese uni alicui certo vellent addicere, minùs in arrogantiam offenderent.* Aut *peccare*, vel aliquid committere, unde existimationis, honoris, benevolentiæ jactura fiat. Ut epist. 7. lib. I. *Si cecidisset ut volumus & optamus, omnes te & sapienter & fortiter; sin aliquid esset offensum, eosdem illos & cupidè & temerè fecisse dicturos.* Et epist. 18. lib. II. *Si dignum se majoribus suis præbuerit . . . sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit.* Et pro Cluent. *bis apud judices offendisset.* Aut *passivè* sumitur: quæ minùs nota significatio est. Non enim est hîc, *offendas*, pro *pecces*, ut credidit homo doctus, exemplis adductus aliò spectantibus, sed pro *offendaris.* Quod ipse probat Cicero. Nam epist. 1. lib. I. ad Q. Fr. *Si quis est*, inquit, *in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.* In Verrem lib. I. act. 2. *Hospes Janitor, veritus ne quid in ipso se offenderit, hominem summâ vi retinere cœpit.* Et Cæsar lib. II. bel. civ. *At, credo, si Cæsarem probatis, in me offenditis.* Quæ si attendantur, profectò patiendi vim potiùs habere videbuntur, quàm agendi. MANUT.

Digitized by Google

M. Cicero L. Lucceio, Q. F. S.

15 Omnis amor tuus ex omnibus partibus ſe oſtendit in his literis, quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, ſed tamen gratus & optatus. Dicerem, jucundus, niſi id verbum in omne tempus perdidiſſem. Neque ob eam unam cauſam, quam tu ſuſpicaris, & in qua me leniſſimis & amantiſſimis verbis utens, re graviter accuſas: ſed quòd illius tanti [1] vulneris quæ remedia eſſe debebant, ea nulla ſunt. Quid enim? ad amicóſne confugiam? quàm multi ſunt? habuimus enim ferè communes, quorum alii occiderunt, alli neſcio quo pacto obduruerunt. Tecum vivere poſſem, equidem & maximè vellem. Vetuſtas, amor, conſuetudo, ſtudia paria: [2] quod vinculum, quæ res deeſt noſtræ conjunctioni? Poſſumúſne igitur eſſe unà? Nec mehercule intelligo, quid impediat. Sed certè adhuc non fuimus, cùm eſſemus vicini in Tuſculano, in Puteolano. Nam quid dicam in urbe? in qua, cùm forum commune ſit, vicinitas non requiritur. Sed caſu neſcio quo in ea tempora noſtra ætas incidit, ut cùm maximè florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim mihi poterat eſſe perfugium, ſpoliato & domeſticis & forenſibus ornamentis, atque ſolatiis? literæ, credo, quibus utor aſſiduè: quid enim aliud facere poſſum? ſed neſcio quomodo ipſæ illæ excludere me à portu & perfugio videntur, & quaſi exprobrare, quòd in ea vita maneam, in qua nihil inſit, niſi propagatio miſerrimi temporis. Hìc tu eâ me abeſſe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit? ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiæ? Itaque ſic literis utor, in quibus conſumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, ſed ut exiguam doloris oblivionem petam. Quòd ſi id egiſſemus, ego atque tu, quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidianos metus,

Arg. Reſpondet ſuperiori epiſtolæ, lugere ſe non tam filiæ obitum, quàm reip. tempora, ob quæ ab urbe abſit, in qua nihil jucundum, odioſa omnia. In ſtudiis exiguam medicinam ſupereſſe. An. U. C. 708.

1. *Vulneris*] Ex obitu filiæ.

2. *Quod vinculum, quæ res deeſt noſtræ conjunctioni?*] Sic Manutius: ſic etiam Lambinus, niſi quòd omittit, *quæ res.* Nec erat cur id Grævius mutatum vellet.

Digitized by Google

tus, omne tempus unà fuissemus: neque me valetudo tua offenderet, neque te mœror meus: quod, quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est utrique nostrûm aptius? Propediem te igitur videbo. Vale.

M. T. CICERO TITIO S. D.

ETSI unus ex omnibus minimè sum ad te consolandum 16
accommodatus, quòd tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen cùm longiùs à summi luctûs acerbitate meus abesset dolor, quàm tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæque in te benevolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tamdiù: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ levare dolorem tuum posset, si minùs sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maximè, quam semper in ore atque in animo habere debemus, Homines nos ut esse meminerimus, eâ lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra, neque esse recusandum, quominus eâ, quâ nati sumus, conditione vivamus: néve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possimus: eventísque aliorum memoriâ repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hæ, neque cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris usurpatæ, [1] memoriæque literis proditæ, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostræ civitatis, & hæc prolatio temporum perditorum: cùm beatissimi sint, qui liberos non susceperunt; minùs autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bonâ, aut denique aliquâ republicâ perdidissent. Quòd si tuum te desiderium movet, aut si [2] tuarum rerum cogitatione mœres, non facilè exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt,

ARGUMENTUM. Consolatur diligenter amicum, obitum liberorum immoderatiùs ferentem. *Anno* U. C. 709.

1. *Memoriæque literis proditæ*] Vulgò *&* *literis* insertâ copulâ, quæ meliùs abest. Instrumentum sexto casu significatur.

2. *Tuarum rerum cogitatione*] Non puto, *Tuarum rerum*, de fortunis dici, sed de liberis immaturâ morte ereptis: ut fit, *Tuarum rerum*, pro, *tuorum incommodorum*: quod indicant & quæ antecedunt, & quæ sequuntur. MANUT.

Digitized by Google

derunt, miserias lugeas: ea non dicam, quæ sæpissime & legi & audivi, nihil mali esse in morte, [3] in qua si resideat sensus, immortalitas illa potiùs, quàm mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendêre reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? Non, mehercule, quemquam audivi hoc gravissimo & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseriis, atque ex iniquissima conditione vitæ videretur. Quare, si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse; permultum erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa jam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum propriè referetur: in qua non est jam gravitatis ac sapientiæ tuæ, quam tu à puero præstitisti, ferre immoderatiùs casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseriâ malóque sejunctus. Etenim eum semper te & privatis in rebus & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit gravitas, & constantiæ serviendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præcipere consilio prudentiáque debemus. Etenim si nulla unquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus: neque expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. His ego literis si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum: sin minùs fortè valuissent, officio tamen esse [4] functum benevolentissimi atque amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes velim, & futurum esse confidas. Vale.

M.

---

3. *In qua si resideat*] Mss. prim. Græv. Amstelod. tres Pall. Grut. *& quasi resideat.* Quod propter librorum consensum notandum. GRÆVIUS. Ex illo membranarum & Cellarius facit *ex*, legendúmque arbitratur, *ex qua si resideat*, &c.

4. *Functum*] Gebh. & Græv. *functurum*: Ejusdem pretii lectio utraque. Docti eligant.

M. CICERO [1] P. SEXTIO P. F. S. D.

NON oblivione amicitiæ noſtræ, neque intermiſſione conſuetudinis meæ, ſuperioribus temporibus ad te nullas literas miſi, ſed quòd priora tempora in ruinis reipublicæ, noſtríſque jacuerunt: poſteriora autem me à ſcribendo tuis injuſtiſſimis atque acerbiſſimis incommodis retardarunt. Cùm verò & intervallum jam ſatis longum fuiſſet, & tuam virtutem, animíque magnitudinem diligentiùs eſſem mecum recordatus, non putavi eſſe alienum inſtitutis meis hæc ad te ſcribere. Ego te, P. Sexti, & primis temporibus illis, quibus in invidiam abſens, & in crimen vocabare, defendi: & cùm in tui familiariſſimi judicio, ac periculo tuum crimen conjungeretur, ut potui, accuratiſſimè te, tuámque cauſam tutatus ſum: & proximè, recenti adventu meo, cùm rem aliter inſtitutam offendiſſem, ac mihi placuiſſet, ſi adfuiſſem, tamen nullâ re ſaluti tuæ defui: cùmque eo tempore [2] invidia annonæ, inimici non ſolùm tui, verùm etiam amicorum tuorum, iniquitas totius judicii, multáque alia reipublicæ vitia, plus, quàm cauſa ipſa veritáſque, valuiſſent; [3] Publio tuo neque operâ, neque conſilio, neque labore, neque gratiâ, neque teſtimonio defui. Quamobrem, omnibus officiis amicitiæ diligenter à me ſanctéque ſervatis, ne hoc quidem prætermittendum eſſe duxi, te ut hortarer rogarémque, ut & [4] hominem te, & virum eſſe meminiſſes, id eſt, ut communem incertúmque caſum, quem neque vitare quiſ- 17

ARG. Excuſat tarditatem literarum, & Sextium hortatur, ut ſapienter & fortiter exilium ferat, ad id vario uſus conſolationis argumento. *Anno* U. C. 700.

1. *P. Sextio*] Corrado eſt hic Sextius, Ciceronis contra Clodium defenſor, ab eodem poſthac luculentâ oratione defenſus. Manutius verò alium eſſe, multis argumentis contendit. CELLAR.

2. *Invidia annonæ*] Videtur Ædilis fuiſſe: unde invidia in cauſa annonæ. IDEM. Diſtinctionem verò non agnoſcit Manutius inter has voces, *annonæ inimici non ſolùm* &c. neque eſt, inquit, inuſitatum Ciceroni duobus uti generandi caſibus, ut in lib. de Seneƈt. *Quid de P. Licinii Craſſi & pontificii & civilis juris ſtudio loquar?* Et lib. II. de Nat. deor. *Iis artibus, quarum judicium eſt oculorum.*

3. *Publio tuo*] Filio tuo. CELLARIUS.

4. *Hominem te, & virum*] Ab homine ſapientiam, à viro fortitudinem poſtulat. Eſt enim ἔμφασις in *Virum*: ut in epiſtola ſequenti: *Te colligas, virúmque præbeas.* Et in Bruto: *Vidi Mitylenis virum, & vidi planè virum.* MANUT.

Digitized by Google

quam nostrûm, nec præstare ullo pacto potest, sapienter ferres, & dolori fortiter ac fortunæ resisteres: cogitarésque & in nostra civitate, & in cæteris, quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis viris injustis judiciis tales casus incidisse. Illud utinam ne verè scriberem, eâ te republicâ carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio vereor ne si nihil ad te scripserim, debitum ejus virtuti videar testimonium [5] non cepisse: sin autem omnia, quæ sentio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium ac dolorem tuum. Sed tamen prudentissimè facies, si illius pietatem, virtutem, industriam, ubicunque eris, tuam esse, tecum esse duces. Nec enim minùs nostra sunt, quæ animo complectimur, quàm quæ oculis intuemur. Quamobrem & illius eximia virtus, summúsque in te amor, magnæ tibi consolationi debet esse; & nos, cæteríque, qui te non ex fortuna, sed ex virtute tua pendimus, sempérque pendemus; & maximè, animi tui conscientia, cùm tibi nihil meritò accidisse reputabis: si & illud adjunges, Homines sapientes turpitudine, non casu; & delicto suo, non aliorum injuriâ commoveri. Ego & memoriâ nostræ veteris amicitiæ, & virtute atque observantiâ filii tui monitus, nullo locó deero, neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam. Tu si quid ad me fortè scripseris, perficiam, ne te frustrà scripsisse arbitrere. Vale.

5. *Non cepisse*] Libris omnibus veteribus invitis, edendum curavi, *non dedisse.* LAMBIN. Meus primus liber, *testimonium non accepisse.* Melior est lectio hæc, quàm vulgata. *Accipere* enim Ciceroni & aliis scriptoribus infinitis in locis est audire, intelligere. GRÆVIUS. Laudetur Grævius, quòd nihil tamen mutaverit.

M. CICERO T. [1] FADIO S. D.

18 ETSI egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum: propterea quòd nullam rem graviùs jamdiu tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor solùm,

ARG. T. Fadium, judicio damnatum, & ideò exulem consolatur à miseriâ communi, & virtute propriâ, nec non à commodis exilii, quo liber sit ab impendentibus malis; tandem ab innocentiæ testimonio: quibus sua adjungit officia. *Anno* U. C. 701.

1. *T. Fadio*] Sic est in Pall. quint. Vaticano. Sicque edidere Victorius & Lambinus.

Digitized by Google

solùm, sed etiam, pro amore nostro, rogo atque oro, te colligas, virúmque præbeas, & qua conditione omnes homines, & quibus temporibus nati simus, cogites. Plus tibi virtus tua [2] dedit, quàm fortuna abstulit: propterea quòd adeptus es, quod non multi homines novi: amisisti, quæ plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur conditio impendêre legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quàm levissimâ pœnâ ab hac republica discesserit. Tu verò, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos cæterósque necessitudine & benevolentiâ tecum conjunctissimos; quíque magnam facultatem [3] sis habiturus nobiscum & omnibus tuis vivendi; & cùm unum sit judicium, ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod [4] unâ sententiâ, eâque dubiâ, [5] potentiæ alicujus condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quàm lenissimè ferre. Meus animus erit in te, liberósque tuos semper, quem tu esse vis, & qui esse debet.

nus. Vulgò *T. Fabio*, qui fuerat cum P. Sextio Tribunus pleb. Malè. Fabii enim nobilissimi. Hic autem fuit homo novus, ut innuit ipse Cicero. GERHARD.

2. *Dedit*] Dedit hominum studia, honores, existimationem. MANUT.

3. *Sis habiturus*] Hæc spes est reditûs. Fortè non perpetuo exilio damnatus fuit, sed ad certos annos. CELLARIUS.

4. *Unâ sententiâ*] Quæ eum sententiæ damnarunt, unâ tantum plures fuere, quàm quæ absolverunt. MANUT.

5. *Potentiæ alicujus condonatum*] In quo reus non ob culpam, sed ob potentiam adversarii, vel alicujus judicum damnatus sit. Vide IV. Pec. Vet. 9. J. F. GRONOV.

[1] CICERO RUFO.

ETSI [2] mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem carissimus, tamen quotidie magis id perspicio, extátque id, 19
quod mihi ostenderas quibusdam literis, hoc te studiosiorem in me

ARG. Pompeio Italiâ pulso, Mescinius Rufus, Ciceronis antea quæstor in provincia, in illius, tanquam reip. castra transire, non planè certus cogitabat: quem Cicero confirmat, & ut maneat in sententia, suadet. *Anno* U. C. 704.

1. *Cicero Rufo*] Hos titulos epistolarum quemadmodum in antiquis exemplaribus invenimus, ita scripsimus: id alii postea facere neglexerunt. Quòd si res magni ponderis non est, non est fortasse tam levis quàm quispiam existimaret. Ita frequenter scribere solitos esse veteres duobus in locis, quod nunc meminerim, testatur Cicero: in quibus etiam non parum referre docet, prænomina ponantur, & tituli honorúmque gradus, an nominibus tantùm, qui scribit, utatur: alter est in epistola ad Volumnium, 5. *Quòd sine prænomine, familiariter ut debebas, ad me epistolam misisti*, &c. alter

me colendo fore, quàm in provincia fuisses, (etsi, meo judicio, nihil ad tuum provinciale officium addi poteſt) quò [3] liberius judicium eſſe poſſet tuum. Itaque me & ſuperiores literæ tuæ admodum delectaverunt, quibus & expectatum meum adventum abs te amanter videbam, &, cùm aliter res cecidiſſet ac putaſſes, te meo conſilio magnopere eſſe lætatum: & his proximis literis magnum cepi fructum & judicii, & officii tui: judicii, quòd intelligo, te, (id quod omnes fortes ac boni viri facere debent) nihil putare utile eſſe, niſi quod rectum honeſtúmque ſit: officii, quòd te mecum, quodcunque cepiſſem conſilii, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honeſtius eſſe quidquam poteſt. Mihi conſilium captum jamdiu eſt: de quo ad te, non quò celandus eſſes, nihil ſcripſi antea, ſed quia communicatio conſilii, tali tempore, quaſi quædam admonitio videtur eſſe officii, vel potius efflagitatio ad coeundam ſocietatem, vel periculi, vel laboris. Cùm verò ea tua ſit voluntas, humanitas, benevolentia erga me, libenter amplector talem animum: ſed ita (non enim dimittam

alter in Oratione pro domo ſua: *Literas in concione recitaſti, quas tibi à C. Cæſare miſſas diceres: CÆSAR PULCHRO. Cùm etiam es argumentatus amoris eſſe hoc ſignum, cùm nominibus tantùm uteretur: neque adſcriberet* Proconſul, *aut* Trib. pl. ita enim legendus ille locus eſt, non *Proconſuli*: pertinet enim ad Cæſarem vox illa, quemadmodum alia ad *Pulchro.* Tertium exemplum eſſe poteſt, ſi quis his contentus non ſit, titulus epiſtolæ M. Antonii, quæ in XIII. Philipp. incluſa eſt. Hujus autem & ſequentis epiſtolæ nomina nuda ſunt in priſcis & bonis libris. VICTOR.

L. Meſcinius Rufus fuit Ciceronis in Cilicia Quæſtor: unde paulò poſt Ciceronem deceſſit, & Romam venit, Cicerone jam oræ maritimæ præfecto. CORRADUS.

2. *Etſi mihi nunquam dubium fuit*] Si temporum ordo ſervatus eſſet ab eo qui has Cic. epiſtolas retulit in volumina, quædam (ut arbitror) nobis magis plana eſſent, neque in multis locis tantopere hæſitaremus. Hæc, niſi fallor, illam ſequi debebat cujus initium eſt, *Quoquo modo potuiſſem*, non præcedere. Obſcurum eſt totum negotium, de quo hîc agit: quid tamen ſentiamus, liberè pronuntiabimus, freti æquitate lectorum. Cùm illa non multò poſtquàm è provincia Cicero rediit, ſcripta ſit: hæc jam ſuſcepto civili bello, & pulſo ex Italia Pompeio ſcripta eſt. Exornabat jam Tullius fugam, & in caſtra Pompeiana proficiſci cogitabat, cupiebátque comitem habere illius conſilii & itineris Rufum: de quo ipſe Rufus in epiſtola ſua ſpem aliquam Ciceroni dederat: quod tamen cùm cupidè Cicero optaret, modeſtè cautéque rogat: quia res multum periculi, ſi emanaſſet, habebat: ideò obſcurè loquitur, ne ſi fortè literæ in alienas manus incidiſſent, aliquid mali moleſtiæque ex ea re ſuſciperet. VICTORIUS.

3. *Liberius*] Nam in provincia officio quæſtorio adductus videri poterat eum ſtudioſè colere: cùm præſtare quæſtor prætori ſuo debeat, quidquid officio poteſt; nec in eo liberum judicium ſit. Confectâ verò provinciâ, verus animi ſenſus apparet neceſſitudine quæſtoria ſolutus. MANUTIUS.

Digitized by Google

mittam pudorem in rogando meum) si feceris id, quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris, ignoscam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. Est enim res profectò maxima. Quid rectum sit, apparet; quid expediat, obscurum est: ita tamen, ut, si nos ii sumus, qui esse debemus, id est, studio digni & literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maximè conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, si simul placebit, statim ad me venies. Sin idem placebit, atque eòdem, nec continuò poteris; omnia tibi ut nota sint, faciam. Quidquid statueris, te mihi amicum; sin id quod opto, etiam amicissimum judicabo. Vale.

CICERO RUFO.

QUo modo potuissem, te convenissem, si eò, quò consti- 20
tueras, venire voluisses. Quare etsi mei commodi causâ commovere me noluisti, tamen ita existimes velim, me antelaturum fuisse, si ad me misisses, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea quæ scripsisti, commodiùs equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si [1] M. Tullius, scriba meus, adesset: à quo mihi exploratum est, in rationibus duntaxat referendis (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam. Dein, si rationum referendarum [2] jus vetus & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro conjunctione nostræ necessitudinis contulissem, confecissémque, non fuisse. Quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id, cùm lege Juliâ relinquere rationes in provincia ne-

ARG. Excusat se Rufo, querenti per literas, quòd rationes provinciæ ad ærarium, eo non expectato, detulisset. Ipsum enim vel addita quædam, vel immutata in iis cupere. Tota est de rationibus, & ob id obscura, etiam, variantibus libris, si quæ alia vexata. *Anno* U. C. 704.

1. *M. Tullius, scriba meus*] Ciceronis libertus, fortasse Laurea cognomento, cujus egregios versus, in Ciceronis academiam scriptos, recitat Plinius lib. XXXI. cap. 2. Neque enim Tiro liberatus est, n[illegible] posteaquam è provincia ad urbem Cicero rediit: at ille scriba, qui rationes in provincia tractavit, libertus omnino fuit. MANUT.

2. *Jus vetus*] Mos vetus erat ut ad urbem is, qui proconsul erat, cum quæstore suo rationes conferret, priusquam ad ærarium referret. Jus autem vetus est, quod fuit ante legem Juliam. GRÆVIUS.

Digitized by Google

cesse erat, easdémque totidem verbis referre ad ærarium, feci in provincia. Neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam me pœnitebit. Totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi. Tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adjunxisti. Rationes confectæ me absente sunt tecum, ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. Ita accepi librum à meo servo scriba, ut eundem acceperim à fratre tuo. Si honor is fuit, majorem tibi habere non potui: si fides, majorem tibi habui, quàm penè ipsi mihi. Si providendum fuit, ne quid aliter ac tibi & honestum, & utile esset, referretur: non habui cui potiùs id negotii darem, quàm [3] cui dedi. Illud quidem certè factum est, quod lex jubebat, ut apud duas civitates, Laodicensem & Apameensem, quæ nobis maximæ videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consolidatas deponeremus. Itaque huic loco primùm respondeo, me quanquam justis de causis [4] rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in provincia relictas rationes pro [5] latis haberem. Quamobrem [6] de Volusio quod scribis, non est id rationum. Docuerunt enim me periti homines, in his cùm omnium peritissimus, tum mihi amicissimus, C. Camillus, ad Volusium

---

3. *Quàm cui dedi*] Hoc est, tibi. Nemo fuit, cui tutiùs ac fideliùs hoc negotium committi potuerit. J. F. GRONOVIUS.

4. *Rationes* referre *properarim*] Ita legendum. Ad ærarium puta. Etsi causæ impellerent atque urgerent graves, ut primo quoque tempore hoc officio edendarum ad ærarium rationum defungerer: tamen id dilaturum fuisse usque in adventum tuum, nisi putarem frustrà exspectari, ut conferremus, cùm jam depositæ essent. Nihil enim jam poterat mutari [illegible]m utrumque codicem concordari oporteret. IDEM.

5. *Latis*] Alii, *relatis*, vel delatis. CORR. Videtur scribendum, *collatis*. Suprà: *Nisi tecum . . . contulissem*. J. F. GRONOVIUS.

6. *De Volusio quod scribis*] Volusius, multæ nomine, magnam pecuniæ vim publicè debebat. Eam pecuniam Valerius periculo suo exigendam à Volusio susceperat, prædésque dederat: quos puto Ciceronis legatum & præfectum fuisse; id enim sequentibus verbis indicatur. Videtur autem Cicero, cùm rationes conficeret, Volusium liberare voluisse, & à prædibus multam amovere, ut eorum fortunis consuleret. Quod ejus consilium & factum infrà demonstratur. Contrà Rufus Valerium quidem, & prædes liberare, sed nomen illud à Valerio ad Volusium transferre cupiisset. Quod Cicero ex amicorum, præcipuéque Camilli hominis peritissimi sententiâ, fieri non potuisse demonstrat: aut enim Valerii mancipiis prædes teneri, qui se pecuniam illam, à Volusio debitam, curaturos jam promiserant: aut si prædes liberandi essent, Volusium quoque simul oportere liberari: quod utrumque ut fieret, rationem à se initam esse infrà Cicero dicit. MAN.

7. *Reliquum*] Ita distingue. Ejus, quo usus non eram, quódque restabat inconsumptum, id retuli, populo scilicet, in rationi-

Digitized by Google

lusium transferri nomen à Valerio non potuisse: sed prædes Valerianos teneri: neque id erat H-S XXX, ut scribis, sed XIX. Erat enim nobis curata pecunia Valerii mancipis nomine: ex qua [7] reliquum quod erat, in rationibus retuli. Sed sic me & liberalitatis fructu privas, & diligentiæ, & (quod minimè tamen laboro) mediocris etiam prudentiæ. Liberalitatis, quòd mavis scribæ mei beneficio, quàm meo, legatum meum præfectúmque maximâ calamitate levatos, cùm præsertim non deberent esse obligati. Diligentiæ, quòd existimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo, nec scisse me quidquam, nec cogitavisse: scribam, quidquid voluisset, cùm id mihi ne recitavisset quidem, retulisse. Prudentiæ, cùm rem à me non insipienter excogitatam, ne cogitatam quidem putes. Nam & Volusii liberandi meum fuit consilium; & [8] ut multa tam gravis Valerianis prædibus, ipsíque T. Mario depelleretur, à me inita ratio est: quam quidem omnes non solùm probant, sed etiam laudant. Et, si verum scire vis, hoc uni scribæ meo intellexi non nimiùm placere. Sed ego putavi esse viri boni, [9] cùm populus suum servaret, consulere fortunis tot vel amicorum, vel civium. [10] Nam de Lucceio est ita actum, ut, auctore Cn. Pompeio, ista pecunia in fano poneretur. Id ego agnovi meo jussu esse factum.

---

tionibus scripsi vel scribi curavi, seu testatus sum & residuum salvum esse. Manutius vult simul cum rationibus eam pecuniam ad ærarium relatam: quod fieri potest, ut quandoque factum fuerit: sed hoc propriè verbis his non explicatur. J. F. GRONOV.

8. *Ut multa*] Si in re obscura licet divinare, censeo Volusium quendam fuisse publicanum, & reipublicæ debuisse XXX. sestertiûm In ejus locum postea successisse Valerium, & non solùm conduxisse vectigal illud, sed & reliqua Volusii solvenda in se suscepisse, & hoc nomine prædibus prædiisque reipublicæ cavisse. Ideóque prædes ejus tenebantur, quos liberare cupiebat Cicero. *Multa* verò dicitur hic pecunia, quæ & à mancipe Volusio, & ejus prædibus solvenda erat. Hæc mea de hoc loco sententia est: modò sit sanus, sed dubito. GRÆVIUS.

9. *Cùm populus*] Hac sententiâ: Putavi esse boni viri, cùm possem, nullo populi damno, commodare civibus, & eorum fortunas sustentare. VICTOR.

10. *Nam de Lucceio*] Scaliger ad Catullum emendat, *Nam de lucello est ita actum.* Satis constat vitiosum esse τὸ *Lucceio*: sed multò constat magis alienissimum esse *lucello*, quod ille substituit. *Vides*, inquit, *privatum amicorum ac civium vocari lucellum.* Ego verò non video. Nam duo genera diversissima sunt, hoc *quod in fano positum* est, & istæ *fortunæ amicorum vel civium.* Fortunæ istæ sunt ipsum patrimonium vel bona Volusii, & prædium Valerianorum & Marii: at illa pecuniæ publicæ pars: neutra ullam lucelli hujus, de quo agitur, habet imaginem. Nam cur ponebatur in foro, si distribuenda erat prætoriæ cohorti? J. F. GRONOVIUS. *Nam de logeio* habent omnes præter hunc nuper Venetiis impressum excusi codices. VICTORIUS. Vide mox Lambinum.

Digitized by Google

factum. Quâ pecuniâ Pompeius est usus, ut tuâ, quam tu deposueras, Sextius. Sed hæc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me non animadvertisse molestè ferrem, ut adscriberem, te in fano pecuniam jussu meo deposuisse, nisi ista pecunia gravissimis esset, certissimisque monumentis testata, cui data, quo senatusconsulto, quibus tuis, quibus meis literis P. Sextio tradita esset. Quæ cùm viderem tot vestigiis impressa, ut in his errari non posset, non adscripsi id, quod tua nihil referebat. Ego tamen adscripsisse mallem, cùm id te video desiderare. Sicut scribis tibi id esse referendum, idem ipse sentio: neque in eo quidquam à meis rationibus discrepabunt tuæ. Addes enim tu, meo jussu, quod ego quidem non addidi: nec causa est cur negem: nec, si esset, & tu nolles, negarem. Nam de H-S nongentis millibus, certè ita relatum est, ut tu sive frater tuus referri voluit. Sed, si quid est, [11] quando de logeo parum gratum est, quod ego in rationibus referendis etiam nunc corrigere possim, do eo mihi, cùm senatus-consulto non sim usus, quid per leges

11. *Quando de logeo parum gratum est*] Ego quàm proximè potui, accessi ad scripturam antiquam. Nam libri manuscripti hoc loco sunt corrupti: sed tamen partim sic habent, *quando de logeo parum gratiosum est*, partim *gravissimum est*. Vulgati autem, *parum provisum est*, quæ lectio tolerabilis est: nec eam damnamus. Præterea quod ad vocem *logeum* pertinet, nos putavimus utrobique, & suprà, ibi, *nam de logeo ita est actum*, &c. & hîc, *quando de logeo*, &c. eandem rem agi: ideóque idem nomen poni oportere. *Logium* autem, seu *logeium*, vox Græca est, quæ significat, præter alia, locum ubi rationes referuntur, & ubi deponuntur. LAMBIN. Fortè scripsit Cicero, *si quid est*, *quod de legato parum gratum visum est.* Nimirum de legato, quem cum præfecto maximâ calamitate levare cupiebat, ut suprà ostendit. GRÆVIUS.

12. *In pecunia exacta*] Rectè in meo libro scribitur, *in pecuniæ exactu.* Cur non veteres *exactus* ut *abactus* dixerint? Et sanè ab hoc verbo eos non abhorruisse ostendit etiam Quintil. declamat. 19. *Sacrosanctus mercator opportunum mercis exactum puto invenit.* Pro *ita efferre* nonnulli libri legunt, *ista referre.* Hinc Ciceronis hæc fuisse verba colligo, *te certè in pecuniæ exactu ista referre ex meis rationibus relatis non oportuit.* Hoc est: Te non oportuit in rationes pecuniæ à te exactæ referre, quod ego in meas rationes ad ærarium relatas jam antè aliter retuleram. Videtur enim Cicero HS. nongenta millia in rationes suas retulisse, quæ postea in pecuniam à se fortè post Ciceronis decessum exactam quoque retulit Rufus. Sed viderint acutiores. Alii aliter mutant. Nihil in re tam obscura definio, nec mihi ipse satisfacio. GRÆVIUS.

13. *Ita efferri*] Sic lege. Ex rationibus à me relatis causam capere cur mihi succenseres. Pro Cœl. 9. *læsi dolent, irati efferuntur.* De Harusp. resp. 2. *dolore me elatum & iracundiâ longiùs propè digressum.* GRON.

14. *De beneficiis*] Comites & contubernales magistratuum & adjutores publicorum negotiorum deferebantur in beneficiis ad ærarium à Proconsulibus & Propræt. & Quæstoribus, cùm redirent ex provinciis. Non hoc erat emolumentum, ut Scaliger ad Catul. notat, sed merus honor & commendatio illarum personarum apud populum Romanum, profutura illis, vel ad majora

ges liceat, considerandum est. Te certè [12] in pecunia exacta [13] ita efferre ex meis rationibus relatis non oportuit, nisi quid me fallit; sunt enim alii peritiores. Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quæ interesse tua, aut etiam velle te existimem, si ullo facere modo possim. Quod scribis [14] de beneficiis, scito à me & tribunos militares, & præfectos, & contubernales duntaxat meos delatos esse. In quo quidem ratio me fefellit. Liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari. Postea certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem. Sanè molestè tuli, non illa beneficia tuæ potiùs [15] ambitioni reservata esse, quàm meæ, qui ambitione nihil uterer. De centurionibus tamen, & de tribunorum militarium contubernalibus, res est in integro: genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de H-S centum millibus, de quibus memini mihi à te [16] Myrinâ literas esse allatas, non mei errati, sed tui: in quo peccatum videbatur esse, si modò erat, fratris tui & Tullii. Sed cùm id corrigi non posset, quòd jam depositis rationibus ex provincia [17] decessimus, credo me quidem tibi pro animi mei voluntate,

 próque

jora emolumenta ab rep. consequenda, vel ad pericula, si quæ extitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut judicio & beneficio principum honestarentur. Sic Archiam *in beneficiis ad ærarium delatum* ab Lucullo Prætore & Consule, sic L. Cornelium Balbum à Pompeio in illorum defensione jactat Cicero. Malè Scaliger hoc dicit *nomen in ærarium referri*, & *vocari in beneficiariis*. Omni antiquitati ignoratur hoc loquendi genus, quæ dicebat *deferri in beneficiis ad ærarium*. IDEM, lib. III. *de Pec. Vet.* cap. 17.

15. *Ambitioni*] *Ambitionem* non rectè interpretatur Manutius, quasi ostendere voluerint cohortem apud se fuisse lectissimorum hominum, qui beneficia in rem publicam contulissent. Non quidem de nihilo est, & potuerunt hoc quoque nonnulli respicere: sed non id intelligit Cicero, cui *ambitio* est gratia & demonstratio studii in clientes. Significat se facilè pati potuisse, ut hanc apud delatos gratiam iniret Rufus, cùm ipse deferendo non sit secutus gratiam, sed morem, & veritatem, & merita. Illud haud protritum, *qui ambitione nihil uterer.* Plaut. Trinum. *Apage à te amor, non places, nihil te utor.* Cæsar III. Civ. *Si verò alteri paulum modò tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore æquâ parte contentum, qui se omnia habiturum consideret.* Liv. IX. *tum pacem petentes, quòd uti eâ, cùm daretur, noluissent, aspernatus.* IDEM, lib. III. de Pecun. vet. cap. 17.

16. *Myrinâ*] Libri duo habent, *Smyrna.* Reliqui, *Myrina.* Utraque nota urbs, Smyrna in Ionia, Myrina in Æolia. Quis potest divinare, ex utra scripserit Rufus eas literas? Smyrna quidem naviganti in Italiam Mescinio propinquior & commodior. MAN.

17. *Decessimus*] Sic omnes, quos viderim, veteres libri. A quibus olim discedendum putabam, & legendum, unius literæ mutatione, *Decessemus.* Nunc me ipse revoco, & ita statuo, syncopen esse non posse in iis verbis, quorum in præteritis ultima Syllaba est, *si*: ut

próque ea ſpe facultatum, quam tum habebamus, quàm humaniſſimè potuerim reſcripſiſſe: ſed neque tum me humanitate literarum mearum [18] obligatum puto, neque tuam hodie epiſtolam de H-S centum ſic accepiſſe, ut ii accipiunt, quibus epiſtolæ per hæc tempora moleſtæ ſunt. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me ſalvis legibus perveniſſet, Epheſi apud publicanos depoſuiſſe: id fuiſſe [19] H-S XXII: eam omnem pecuniam Pompeium abſtuliſſe: quod ego ſive æquo animo, ſive iniquo fero, tu de H-S centum æquo animo ferre debes, & exiſtimare eo minùs ad te, vel de tuis cibariis, vel de mea liberalitate perveniſſe. [20] Quòd ſi mihi expenſa iſta H-S centum tuliſſes, tamen, quæ tua eſt ſuavitas, quíque in me amor, nolles à me hoc tempore [21] æſtimationem accipere. Nam numeratum ſi cuperem, non erat. Sed hæc jocatum me putato, ut ego te exiſtimo. Ego tamen cùm Tullius rure redierit, mittam eum ad te, ſi quid ad rem putabis pertinere. Hanc epiſtolam cur non [22] ſcindi velim, cauſa nulla eſt. Vale.

ſi: ut *Cedo*, *Ceſſi*, *Ceſſiſſem*, non *Ceſſem*; eodémque modo in compoſitis, *decedo*, *recedo*, *incedo*, *diſcedo*, *concedo*. Antea *deceſſiſſemus* legebatur. IDEM. Lege, *deceſſemus*. Sic rectè Manutius: quam ſententiam malè poſtea mutavit. J. F. GRONOV.

18. *Obligatum*] Deberi ſibi à Cicerone mutuam pecuniam ex literis ab eo antea humaniſſimè ſcriptis, Rufus oſtenderat. MAN.

19. *H-S. XXII.*] Parva ſumma. Itaque legendum opinor *Bis, & vicies*, ut eſt in epiſt. 1. lib. XI. ad Att. *In ciſtophoro in Aſia habeo ad H-S. bis & vicies.* Loquitur de hac Epheſi depoſita pecunia; nam Epheſus in Ionia, quæ regio eſt Aſiæ. MANUT.

20. *Quòd ſi mihi expenſa iſta H-S. centum tuliſſes*] Si mihi ea mutua dediſſes, aut in rem meam expendiſſes juſſu meo, ut juſtus tibi debitor forem. *Quod* eleganter παρίλλει. Vide not. ad Liv. XXVII. 7. J. F. GRON.

21. *Æſtimationem accipere*] Poſſeſſionem æſtimatam accipere pro pecunia mihi commodata. Hic locus videtur indicare ſcriptam hanc epiſtolam Cæſare iterum & Servilio iterum coſſ. poſt latam à Cæſare legem de æſtimandis poſſeſſionibus, quanti quæque ante civile bellum fuiſſent; ut debitoribus conſuleretur; quorum erat iniqua conditio, jacentibus prædiorum pretiis: quod ferè ſolet in bellis evenire. Dicebantur autem poſſeſſiones illæ, *Æſtimationes*, ut epiſt. 16. lib. IX. & epiſt. 18. ejuſdem libri. MANUT.

22. *Scindi*] Variè dixit, hîc quidem *Scindi*; alibi *Conſcindi*, ut epiſt. 18. lib. VII. &, *Concerpito*, epiſt. 10. lib. X. ad Att. IDEM.

M. T. C. L. MESCINIO S. D.

21 GRATÆ mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam ſine literis arbitrabar, te ſummâ cupiditate affectum

ARG. Meſcinio Ruſo, ſui videndi cupido, mutuâ ſe teneri cupiditate ſignificat, eúmque

ctum esse videndi mei: quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam. Nam [1] tecum esse, [2] ita mihi omnia, quæ opto, contingant, ut vehementer velim. [3] Etenim, cùm esset major & virorum, & civium bonorum, & jucundorum hominum, & amantium mei copia, tamen erat nemo quicum essem libentiùs, quàm tecum, & pauci, quibuscum essem æquè libenter. Hoc verò tempore, cùm alii interierint, alii absint, alii mutati voluntate sint, unum, medius fidius, tecum diem libentiùs posuerim, quàm hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum vivo necessariò. Noli enim existimare, mihi solitudinem non jucundiorem esse, quâ tamen ipsâ uti non licet, quàm sermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut summùm altero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, literulis nostris; præterea [4] conscientiâ etiam consiliorum meorum. Ego enim is sum, quemadmodum tu facillimè potes existimare, qui nihil unquam meâ potiùs, quàm meorum civium causâ fecerim: cui [5] nisi invidisset is, quem tu nunquam amasti, (me enim amabas) & ipse beatus esset, & omnes boni. Ego sum, qui nullius vim plus valere volui, quàm honestum otium: idémque, cùm illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quàm illum consensum bonorum, [6] quem ego idem effeceram, quàvis tutâ conditione

 ditione

que hortatur, ut temporum acerbitatem literarum studiis & optimæ conscientiæ recordatione mitiget. *Anno* U. C. 707.

1. *Tecum*] Vulgò, *tecum esse mihi communia omnia, ita quæ opto*, &c.

2. *Ita*] Elegans adversandi formula, & quasi jurandi, per *ita*, *ut*: Divinat. cap. 13. *Ita deos mihi velim propitios, ut, cùm illius diei*, &c. Catil. IV. 6. *Ita mihi salvâ rep. vobiscum frui liceat, ut ego* &c. Cell.

3. *Etenim, cùm esset major*] Aliis placet, *Ut enim*, pro *Etenim*: quia sic habent plerique veteres libri. Solœcismi species apparet. Quid refert? inquiunt. Quàm multa præterea hujusce generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque responderi videtur posse: solœcismum, si modò libri veteres in eo consentiant, ferendum: sin aliter, tollendum. Itaque, cùm habeam duos veteres libros, unum M. Antonii Maffei, quo etiam olim, commodante ejus fratre Bernardino Cardinali, usus sum; alterum Fulvii Ursini, in quibus disertè legitur, *Etenim*: libenter aufero solœcismum, & integritatem Cicerone dignam restituo. Manut.

4. *Conscientiâ consiliorum meorum*] Sæpe hanc sententiam usurpat, epist. 3. lib. IV. epist. 1. & 4. & 6. & 10. & 13. & 21. lib. VI. & epist. 3. lib. VII. quæ recitare longum est: indicare loca, & quasi digitum ad fontem intendere, unde hauriant qui copiæ student, satis duco. Idem.

5. *Nisi invidisset is*] Pompeium, opinor, designat; à quo se proditum, contra datam fidem, sæpe queritur. Idem.

6. *Quem ego idem effeceram*] In consulatu. Epist. 9. lib. I. Idem.

Digitized by Google

ditione pacem accipere malui, quàm viribus cum valentiore pugnare. Sed & hæc, & multa alia coràm brevi tempore licebit. Neque me tamen ulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio [7] rerum Africanarum. Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. Puto autem mea nonnihil interesse, (quanquam id ipsum, quid intersit, non sanè intelligo) veruntamen, quidquid illinc nuntiatum sit, non longè abesse velim à consiliis amicorum. Est enim res jam in eum locum adducta, ut quanquam multùm intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias non multùm interfuturum putem. Sed planè animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multùm; quem etiam tuæ superiores literæ confirmarunt, quibus intellexi quàm fortiter injuriam ferres: juvítque me, tibi cùm summam humanitatem, tum etiam tuas literas profuisse. Verum enim scribam, teneriore mihi animo videbare, sicut omnes ferè, qui vitâ ingenuâ in beata civitate & in libera viximus. Sed ut illa secunda moderatè tulimus, sic hanc non solùm adversam, sed funditùs eversam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debeamus, propterea quòd nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti, non modò contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere isto otio, tibíque persuade, præter culpam ac peccatum, quâ semper caruisti, & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si videbitur rectè fieri posse, ad te veniam brevi: si quid acciderit, ut mutandum consilium sit, te certiorem faciam statim. Tu ita fac cupidus mei videndi sis, ut istinc ne te moveas tam infirmâ valetudine, nisi ex me priùs quæsieris per literas, quid te velim facere. Me velim, ut facis, diligas, valetudiníque tuæ, & tranquillitati animi servias.

---

7. *Rerum Africanarum*] Africani belli, quod inter Cæsarem, & Scipionem ac regem Jubam gestum est. MANUT.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER VI.

M. CICERO A. TORQUATO S. D.

ETsi ea perturbatio est omnium rerum, ut 1
suæ quemque fortunæ maximè pœniteat, nemóque sit, quin ubivis, quàm ibi ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono viro Romæ esse miserrimum sit. Nam, etsi, quocunque in loco quisquis est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum & suarum; [1] tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere à miseriis cogitationem sinunt. Quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est, tamen illo dolore, quo maximè te confici audio, quòd Romæ non sis, animum tuum libera. [2] Etsi enim cum magna molestia tuos tuáque desideras, tamen illa quidem, quæ requiris, suum statum tenent, nec meliùs, si tu adesses,

ARGUMENTUM. Aulum Torquatum, qui Pompeio victo, cujus partes secutus fuerat, Athenis exulabat, consolatur, ut absentiam ab urbe æquo animo ferat, quia turbata sint omnia, & qui præsentes sint, multa cernant, quæ nolint videre. Addit spem reditûs nonnullam, hortatúrque ut virtute se sustentet & recti conscientiâ: etiam ex civitate, in qua exulet, & Sulpicii consuetudine levamen petat. Scripta bello Hispaniensi. *Anno* U. C. 707.

1. *Tamen oculi augent dolorem*] Lib. IV. epist. 4. & 13. & VII. 30. Aurium autem sensum plus doloris afferre quàm oculorum dixit suprà ad Marcellum IV. 9. Oratoris hoc est eisdem rebus, si res postulet, vel contrariis uti. GRÆVIUS.

2. *Etsi*] Adverte in principio hujus epistolæ quater esse repetitum *etsi tamen*, quod in nobis vitio duceretur. IDEM.

ſes, tenerent, nec ſunt ullo in proprio periculo. Nec debes tu, cùm de tuis cogitas, aut præcipuam aliquam fortunam poſtulare, aut communem recuſare. De te autem ipſo, Torquate, eſt tuum ſic [3] agitare animo, ut non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem, aut timorem. Nec enim [4] is, qui in te adhuc injuſtior, quàm tua dignitas poſtulabat, fuit, non magna ſigna dedit animi erga te mitigati. [5] Nec tamen is ipſe, à quo ſalus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem ſalutis ſuæ. Cúmque omnium bellorum exitus incerti ſint, ab altera victoria tibi periculum nullum eſſe perſpicio, quod quidem ſejunctum ſit ab omnium interitu: ab altera te ipſum nunquam timuiſſe certè ſcio. Reliquum eſt, ut te id ipſum, quod ego quaſi conſolationis loco pono, maximè excruciet, commune periculum reipublicæ: cujus tanti mali, quamvis docti viri multa dicant, tamen vereor ne conſolatio ulla poſſit vera reperiri, præter illam, quæ tanta eſt, quantum in cujuſque animo roboris eſt atque nervorum. Si enim bene ſentire, rectéque facere, ſatis eſt ad bene beatéque vivendum, vereor, ne eum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientiâ ſuſtentare poſſit, miſerum eſſe nefas ſit dicere. Nec enim nos arbitror, victoriæ præmiis ductos, patriam olim, & liberos, & fortunas reliquiſſe; ſed quoddam nobis officium juſtum, & pium, & debitum reipublicæ, noſtræque dignitati videbamur ſequi: nec cùm id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis eſſet victoria. Quare ſi id evenit, quod ingredientibus nobis in cauſam propoſitum fuit accidere poſſe, non debemus ita cadere animis, quaſi aliquid evenerit, quod fieri poſſe nunquam putarimus. Simus igitur eâ mente, quam [6] ratio & veritas præſcribit, ut nihil in vita nobis præſtandum præter culpam putemus: eáque cùm careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus.

3. *Agitare animo*] Tribus modis hoc verbum ad eandem ſententiam accommodatur, *Agitare animo*, *Agitare in mente*, *Agitare* ſimpliciter. Primus hoc in loco modus oſtenditur, & pro Fonteio: *Vos & ſæpius eandem rem animis agitare*, & *diutius unoquoque de teſte cogitare poteſtis.* Alter lib. I. de Nat. d·or. *Habet nihil aliud, quod agitet in mente.* Tertius in Verrem: *Si hoc unum agitare cæperit, eſſe aliquod genus cogendæ pecuniæ.* MANUTIUS.

4. *Is*] C. Julius Cæſar. CORRAD.

5. *Nec tamen is ipſe*] Cur ſalutis amittendæ timore angamur, cùm is ipſe, à quo ſervari volumus, eodem timore vacare non poſſit? Augurium Ciceronis brevi Cæſaris interitus comprobavit. MANUT.

Digitized by Google

mus. Atque hæc eò pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur. Sed, si est spes aliqua rebus communibus, eâ tu, quicunque status est futurus, carere non debes. Atque hæc mihi scribenti veniebant in mentem, me eum esse, cujus tu [7] desperationem accusare solitus esses, quémque auctoritate tuâ cunctantem & diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego causam nostram, sed consilium improbabam. Serò enim nos iis armis adversari videbam, quæ multo antè confirmata per nosmetipsos erant: dolebámque, pilis & gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus nostris de jure publico disceptari. Neque ego ea, quæ facta sunt, fore cùm dicebam, divinabam futura: sed quod & fieri posse, & exitiosum fore, si evenisset, videbam; id ne accideret, timebam: præsertim cùm, si mihi alterutrum de eventu atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod evenit, exploratiùs possem promittere. Iis enim rebus præstabamus, quæ non prodeunt in aciem; usu autem armorum & militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe, quæso, quo me tum esse oportere censebas. Hæc eò scripsi, quòd mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti, fidelissimo animo (ut mihi quidem visus est) narravit, te interdum sollicitum solere esse vehementiùs: quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliquâ republicâ sis futurus, qui esse debes; aut perditâ non afflictiore conditione, quàm cæteri. Hoc verò tempus, quo exanimati omnes & suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quòd & in urbe ea es, ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ: & habes Ser. Sulpicium, quem semper unicè dilexisti; qui te profectò & benevolentiâ, & sapientiâ consolatur: cujus si essemus & auctoritatem & consilium secuti, [8] togati potiùs potentiam, quàm armati

6. *Ratio & veritas*] Est, per ἓν διὰ δυοῖν *vera ratio*: quam dictat sana ratio, quam sapientes homines sequuntur. Sic inferiùs in hac epistola, *in ea urbe es, ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ.* Est ratio moderandæ vitæ. Justinus lib. II. *lanæ iis usus ac vestium ignotus*; hoc est, lanearum vestium usus ignotus est. Exempla passim occurrunt, & multa viri docti pridem congesserunt. GRÆVIUS.

7. *Desperationem*] Cùm de rep. desperabam, si res ad arma deduceretur. MANUT.

8. *Togati potiùs*] Simile illud in epist. 6. *Nolo hunc existimare, ea me scripsisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, & princeps, sed tantas opes, quantas nunc*

Digitized by Google

mati victoriam subissemus. Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quàm necesse fuit: illa, quæ majora sunt, breviùs exponam. Ego habeo, cui plus, quàm tibi, debeam, neminem: quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi hujus belli casus eripuit. Qui sim autem hoc tempore, intelligo. Sed quia nemo est tam afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, non possit navare aliquid, & efficere: omne meum consilium, operam, studium certè velim existimes tibi tuisque liberis esse [9] debitum.

nunc habet, non haberet. Subissemus, inquit, potentiam, ut rem gravem, sed victoriâ tamen leviorem. Ideò in epist. 4. *Cupiebam quamvis iniquâ conditione pacem.* Et in ultima superioris libri: *Quavis tutâ conditione pacem accipere malui, quàm viribus cum valentiore pugnare.* MANUT.

9. *Debitum*] Fortè, *deditum.* IDEM.

M. T. C. A. TORQUATO S. D.

2 PETO à te, ne me putes oblivione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam, sed aut gravitate valetudinis, quâ tamen jam paulùm videor levari, aut quòd absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim. Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere, tuásque omnes res non minori mihi curæ, quàm meas esse. Quòd majore in varietate versata est adhuc tua causa, quàm homines aut volebant, aut opinabantur, mihi crede, non est pro malis temporum, quòd molestè feras. Necesse est enim, aut armis urgeri rempublicam sempiternis; aut, his positis, recreari aliquando; aut funditùs interire. Si arma valebunt, nec eos, à quibus [1] reciperis, vereri debes; nec eos, quos adjuvisti.

ARG. Excusat quòd rariùs scripserit: solatur ex spe meliorum temporum, propter quam non sit, quod timeat; saltem ex communi omnium conditione, ideóque æquiùs ferenda. *Anno* U. C. 707.

1. *Reciperis*] Recipiebatur, quia, licet in urbem redire non posset, in Italia tamen ei licebat esse. Hoc etiam è postremis epistolæ verbis colligitur: *Ut, aut quò scribam, aut quò veniam, scire possim.* Nam, si extra Italiam Torquatus esset, non diceret Cicero, *quò veniam.* Præterea, Torquatum in Tusculano fuisse, ejúsque causam Dolabellæ à Cicerone commendatam, ut scilicet ejus reditum in urbem à Cæsare ex Hispania redeunte impetraret, licet intelligere ex epist. 9. lib. XIII. ad Attic. Εὐκαίρως, inquit, *ad me venit, cùm haberem Dolabellam, Torquatus: humanissiméque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit: quæ diligentia grata est visa Torquato.* Et ad eundem epistolâ 20. *Torquato nostra officia grata esse, facilè patior: eáque*

visti. Si armis aut conditione positis, aut defatigatione abjectis, aut victoriâ detractis, civitas respiraverit; & dignitate frui tibi, & fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus [2] M. Antonius jam tum timebat, cùm tantum instare malorum suspicabatur; misera est illa quidem consolatio, tali præsertim civi & viro, sed tamen necessaria, nihil esse præcipuè cuiquam dolendum in eo, quod accidit universis. Quæ vis insit in his paucis verbis, (plura enim committenda epistolæ non erant) si attendes, quod facis, profectò etiam sine meis literis intelliges, te aliquid habere, quod speres; nihil quod aut hoc, aut aliquo reipublicæ statu timeas: omnia si interierint, cùm superstitem te esse reipublicæ, ne, si liceat quidem, velis, ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit à culpa. Sed hæc hactenus. Tu velim scribas ad me quid agas, & ubi futurus sis, ut, aut quò scribam, aut quò veniam, scire possim. Vale.

---

eáque augere non desinam. Et epist. 21. *Quid possum à Torquato, nisi aliquid à Dolabella?* Et epist. 44. *Cum Dolabella vivendum esse istis diebus, vides. Quod nisi me Torquati causa teneret; satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem.* Atque illæ ad Atticum epistolæ, Cæsare ex Hispania, devictis jam Pompeii liberis, redeunte, scriptæ sunt: hæ verò ad Torquatum, adhuc pugnante: id quod perspicuum satis est: hæc tamen una, confecto jam bello, & concessâ Torquato manendi in Italia, non in urbem veniendi, potestate, scripta videtur esse, ideóque rejicienda in extremum locum. MANUT.

2. *M. Antonius*] Orator. *Jam tum*, ante Marii & Syllæ bellum, quo in bello ipse est interfectus. IDEM.

M. T. C. A. TORQUATO S. D.

SUPERIORIBUS literis benevolentiâ magis adductus, quàm quòd res ita postularet, fui longior. Neque enim confirmatione nostrâ egebat virtus tua: neque erat ea mea causa, atque fortuna, ut, cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. Hoc item tempore brevior esse debeo. Sive enim nihil tum opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nunc opus est: sive 3

ARG. Consolatur ita, ut bene actum cum iis putet, qui ante exitum civilis belli ex vita decesserint. Miserius enim morte esse, ita vivere, ut post alterius utrius partis victoriam vivendum esse divinat. Addit graviorem consolationem vivo, quòd vacuus sit culpâ: mortuo, quòd cariturus sit sensu. *Anno* U. C. 707.

Digitized by Google

five tum opus fuit, illud satis est, præsertim cùm accesserit nihil novi. Nam etsi quotidie aliquid audimus earum [1] rerum, quas ad te perferri existimo, summa tamen eadem est, & idem exitus, quem ego tam video animo, quàm ea quæ oculis cernimus. Nec verò quidquam video, quod non idem te videre certò sciam. Nam etsi, quem exitum acies habitura sit, divinare nemo potest; tamen & belli exitum video, &, si id minùs, hoc quidem certè, cùm sit necesse alterutrum vincere, qualis futura sit vel hæc, vel illa victoria. Idque cùm optimè perspexi, tale video, nihil ut mali videatur futurum, si id vel antè acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur. Ita enim vivere, [2] ut tum sit vivendum, miserrimum est: mori autem nemo sapiens miserum dixit, [3] ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua hæc, vel plura, & ornatiora parietes ipsi loqui posse videantur. Ego tibi hoc confirmo, etsi levis est consolatio ex miseriis aliorum, nihilo te nunc majore in discrimine esse, quàm quemvis aut eorum qui discesserint, [4] *aut eorum qui remanserint*. Alteri dimicant, alteri victorem timent. Sed hæc consolatio levis est; illa gravior, quâ te uti spero, ego certè utor: nec enim, dum ero, angar ullâ re, cùm omni vacem culpâ: &, si non ero, sensu omnino carebo. Sed rursus [5] γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maximæ curæ sunt, &, dum vivam, erunt. Vale.

M. T.

1. *Rerum*] Hispaniensium rerum, quia scripta epistola, cùm Cæsar in Hispaniam adversus Pompeii filios profectus esset. CELL.

2. *Ut non sit vivendum*] Manuscripti codices *ut tum sit vivendum* habent: quantum autem intelligo, ex utraque lectione idoneus sensus elicitur: ex recepta, ut opinor, hic: Vivere amissâ dignitate miserrimum est: docti enim & graves viri rectum non esse judicabant vivere illi qui dignitatem perdidisset. Ex antiqua verò sic: Vivere ut vivendum tum esset, si Cæsar, aut Pompeiani Rempub. oppresserint. Eam unusquisque lectionem sequatur, quam veriorem putat. VICTORIUS.

3. *Ne beato*] Quòd si ne beato quidem, quanto minùs nobis in iis miseriis, quæ post bellum impendent? MANUT.

4. *Aut eorum qui remanserint*] Quia uno membro deminuti hîc sunt omnes non solùm veteres, sed etiam recentiores mss. codices, ipse meum esse arbitratus sum rem notam facere, lectorésque admonere notha esse hæc verba (nisi fallor) & supposititia: ab aliquo suppleta eorum, qui semper, quæ desiderari credunt, pro suo arbitrio reponunt: quantum dissentiam ab his, alibi dixi. VICTORIUS.

5. *Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας*] Noctuam Athenas. Et proverbium est loco maximè accommodatum. Nam Torquatus Athenis erat. CORR. Adagium inde ortum, quòd Athenis nummi percuterentur cum imagine noctuæ. Noctuæ igitur Athenis multæ, quia nummi multi. Epist. 3. lib. IX. & ult. lib. II. ad Q. Fr. & interpres Aristophanis. MANUT.

M. T. C. A. TORQUATO S. D.

NOVI, quod ad te scriberem, nihil erat: & tamen si quid 4
esset, sciebam te à tuis certiorem fieri solere. De futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum conjecturâ possis propiùs accedere, cùm est res ejusmodi, cujus exitus provideri possit. Nunc tantùm videmur intelligere, non diuturnum [1] bellum: etsi id ipsum nonnullis videatur secus. Equidem cùm hæc scribebam, aliquid jam actum putabam: non quò [2] *ego certò sciam*, sed quòd *haud* difficilis erat conjectura. Nam cùm [3] omnis belli Mars communis, & cùm semper incerti exitus prælionum sunt: tum hoc tempore ita magnæ utrinque copiæ, ita paratæ ad depugnandum esse dicuntur, ut, utercunque vicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur, etiam si inter causas armorum aliquantum interfit, tamen inter victorias non multùm interfuturum. [4] Alteros propemodum jam sumus experti; [5] de altero nemo est quin cogitet, cùm sit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando levare debeam; fateor me communium malorum consolationem nullam invenire, præter illam: quæ tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quáque ego quotidie magis utor: conscientiam rectæ voluntatis, maximam consolationem

ARG. Brevi ante exitum belli Hispaniensis, quem instare videt, & bellum non diuturnum inde auguratur, solatium, qualecunque potest in re trepida, adhibet: & studium ac diligentiam suam pollicetur. *Anno U. C. 707.*

1. *Bellum*] Quod in Hispania cum Pompeii liberis Cæsar gerebat. MANUTIUS.

2. *Non quò ego certò sciam*] Hæc verba, *ego certò sciam*, infarcta sunt à primis editoribus. In nullo enim ne recentissimis quidem extant codicibus, in quibus sic distinguitur, *non quo: sed quod difficilis conjectura. Haud* etiam intruserunt, qui omnes lacunas ex ingenio supplere in animum induxerunt suum. Pantaghatus, *non quorsum, quod difficilis erat conjectura.* GRÆV.

3. *Omnis belli Mars communis*] Incerta semper victoria est. Unde illud Phil. 10. *Ut concedam, incertos exitus esse belli, Martémque communem.* De hoc genere ornamenti sic lib. III. de Orat. *Gravis est modus orationis, & sæpe sumendus : ex quo genere sunt hæc, Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellari pro vino, &c.* MANUT.

4. *Alteros*] Cæsarianos. Et ait, *propemodum sumus experti*, quasi significet non omnino, & adhuc modestiores fuisse, dum supererant, quos timere poterant. J. F. GRONOVIUS.

5. *De altero*] Pompeio filio, præsagiunt omnes, si fuerit superior, victoriâ crudelissimè usurum. IDEM.

esse rerum incommodarum: nec esse ullum magnum malum, præter culpam. A qua cùm tantum absumus, ut etiam optimè senserimus, eventúsque magis nostri consilii, quàm consilium reprehendatur; & cùm præstitimus, quod debuimus, moderatè, quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis; quæ ad consolandum, majoris ingenii; & ad ferendum, singularis virtutis indigent. Illud cuivis facile est docere, cur præcipuè tu dolere nihil debeas. [6] Ejus enim, qui tardior in te levando fuit, quàm fore putaremus, non est mihi dubia de tuâ salute sententia. De aliis autem non arbitror te expectare quid sentiam. Reliquum est, ut te angat, quòd absis à tuis tamdiu. Res molesta, præsertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festivius. Sed, ut ad te scripsi antea, tempus est hujusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet, &, ubi quisque sit, ibi esse minimè velit. Equidem nos quòd Romæ sumus, miserrimum esse duco; non solùm quòd in malis omnibus acerbius est videre, quàm audire, sed etiam quòd ad omnes casus subitorum periculorum magis objecti sumus, quàm si abessemus. Etsi meipsum, consolatorem tuum, non tantùm [7] literæ, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigavit. Quanto fuerim dolore, meministi. In quo prima illa consolatio est, vidisse me plus quàm cæteros, cùm cupiebam, quamvis iniquâ conditione, pacem. Quod etsi casu, non divinatione meâ factum est, tamen in hac inani prudentiæ laude delector. Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si jam vocer ad exitum vitæ, non ab ea republica avellar, quâ carendum esse doleam, præsertim cùm id sine ullo sensu futurum sit. Adjuvat etiam ætas, & acta jam vita, quæ cùm cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quò nos jam natura ipsa penè perduxerit. Postremò, [8] is vir, vel etiam ii viri hoc bello occiderunt, ut impudentia videatur eandem fortunam, si res cogat, recusare. Equidem mihi omnia propono, nec ullum est tantum malum, quod non putem impendêre. Sed cùm plus in

6. *Ejus*] Cæsaris. Manutius.

7. *Literæ*] Vide hujus libri, epist. 6. IV. 3. V. 15. IX. 2. 3. & ult. Idem.

8. *Is vir*] Pompeius. Corradus.

Digitized by Google

in metuendo mali sit, quàm in ipso illo quod timetur, desino: præsertim cùm impendeat, in quo non modò dolor nullus, verùm finis etiam doloris futurus sit. Sed hæc satis multa, vel plura potiùs, quàm necesse fuit. Facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. [9] Servium discessisse Athenis molestè tuli: non enim dubito, quin magnæ tibi levationi solitus sit esse quotidianus congressus, & sermo cùm familiarissimi hominis, tum optimi & prudentissimi viri. Tu velim te, ut debes & soles, tuâ virtute sustentes. Ego, quæ te velle, quæque ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè diligentèrque curabo: quæ cùm faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

9. *Servium*] Sulpicium, qui Achaiæ præerat. Lib. IV. 12. VI. 1. MANUTIUS.

M. T. C. A. [1] CÆCINÆ S. D.

QUOTIESCUNQUE filium tuum video, (video autem ferè quotidie) polliceor ei studium quidem meum & operam, sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem, atque auctoritatem, cum hac exceptione, quantùm valeam, quantúmque possim. [2] Liber tuus & lectus est, & legitur à me diligenter, & [3] custoditur diligentissimè. Res 5

Y 3 &

ARG. A. Cæcina, Pompeii partes in bello secutus, etiam scripto libro Cæsarem offenderat. Ob id patriâ carentem solatur Cicero, & bene sperare de se & fortunis suis jubet. Scripta videtur inter Africanum & Hispaniense bellum medio tempore. *Anno* U. C. 707.

1. *Cæcinæ*] Cognomen est Liciniæ gentis, ut ostendit Plinius lib. XX. cap. 18. Cæcina verò ex Etruria Romam venit, ut epistolâ sequenti, & oratione pro illo habitâ, quæ extat, intelligitur. Et videtur hoc accepisse cognomen à Cæcina, Volaterrani agri fluvio, quem nominat Plinius lib. III. cap. 5. nam & Cæcinam Volaterranum, idem Plinius appellat lib. X. cap. 24. Hujus uxor *Cæsennia* nominatur in oratione, quæ illum moriens ex deunce & semuncia heredem reliquit. *Cæcina*, & unicâ *n* scribo, & secundâ syllabâ productâ, ut Porcina, Catelina, Arvina, Spurina, Hemina: quibus Romanæ cognominibus usæ sunt. Id trium quoque veterum lapidum testimonio comprobatur. MANUTIUS.

2. *Liber*] Quo Cæsarem laudabat, ut epist. 7. nam ille, quo maledixit, antea scriptus erat. IDEM.

3. *Custoditur*] Scripserat enim Cæcina epist. 7. *Filius, ut audio, pertimuit, neque injuriâ, si liber exisset; quando non tam interest, quo animo scribatur, quàm quo accipiatur; ne ea res ineptè mihi noceret.* Et in ejusdem epistolæ clausula, *Peto à te, ne liber exeat; aut ita corrigas, ne mihi noceat.* Nec dubito, quin hæc epistola post illam scripta sit. IDEM.

Digitized by Google

& fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt; quæ quidem quotidie faciliores mihi & meliores videntur, multisque video magnæ esse curæ: quorum de studio, & de sua spe filium ad te perscripsisse certò scio. His autem de rebus, quas conjecturâ consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam, quàm te videre atque intelligere mihi persuaserim: sed tamen, quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, exponere. Ea natura rerum est, & is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna, neque hærere in tam bona causa, & in tam bonis civibus tam acerba injuria. Quare ad eam spem, quam [4] extra ordinem de te ipso habemus, non solùm propter dignitatem & virtutem tuam (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua, propter [5] eximium ingenium summámque virtutem: cui, mehercules, hic, cujus in potestate sumus, multùm tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se [6] violatum putasset. Quod ipsum lenitur quotidie: significatúrque nobis ab iis, qui simul cum eo vivunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenii apud ipsum plurimùm profuturam. Quapropter primùm fac animo forti atque magno sis. Ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum sit: deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. A me verò tibi omnia liberísque tuis paratissima esse confidas velim. Id enim & vetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant. Vale.

M. T.

---

4. *Extra ordinem*] Hoc fortasse dixerit: Accedunt ad spem, ut extraordinaria sit, ingenium & virtus: accedunt autem præter illa, quæ tibi sunt cum aliis communia. Est omnino inconsequens & obscura locutio: ex quo vereor, ne corruptè totus hic locus legatur. Ac fieri tamen potest, ut ita scripserit Cicero, & inciderit in vitium, quod Græci τελοικοφανὶς appellant. MAN.

5. *Eximium*] Seneca Quæst. Nat. lib. II. cap. 56. *Hoc apud Cæcinam invenio, facundum virum, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset.*

6. *Violatum*] Quia Cæcina in Cæsarem scripserat, epistola 7. & Suetonius, ubi de Cæsaris moderatione ac clementia loquitur, *A Cæcinæ*, inquit, *criminosissimo libro laceratam existimationem suam civili animo tulit.* MANUT.

M. T. C. A. CÆCINÆ S. D.

VEREOR, ne desideres officium meum: quod tibi pro nostra & meritorum multorum, [1] & studiorum, & partium conjunctione deesse non debet: sed tamen vereor, ne literarum à me officium requiras, quas tibi & jam pridem & sæpe misissem, nisi quotidie melius expectans, gratulationem, quàm confirmationem animi tui, complecti literis maluissem. Nunc, ut spero, brevi gratulabimur. Itaque in aliud tempus id argumentum epistolæ differo. His autem literis animum tuum, quem minimè imbecillem esse & audio, & spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto: nec iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum, & jam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cujus incolumitate non plus dubitem, quàm te memini dubitare de mea. Nam cùm me ex republica [2] expulissent ii, qui illam cadere posse stante me non putarunt; memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, venerant, audire, te de glorioso & celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quædam Etruscæ disciplinæ, quam à patre, nobilissimo atque optimo viro acceperas, non fefellit; ne nos quidem nostra divinatio fallet, quam cùm sapientissimorum virorum monumentis atque præceptis, plurimóque, ut tu scis, doctrinæ studio, tum magno etiam usu tractandæ reipublicæ, magnáque nostrorum temporum [3] varietate consecuti sumus. Cui quidem divinationi hoc plus confidimus, quòd ea nos nihil in his tam obscuris rebus támque perturbatis unquam omnino fefellit. Dicerem, quæ antè futura dixissem, ni vererer, ne ex eventis fingere viderer. Sed tamen plurimi sunt testes, me & initio, ne conjungeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, & postea, ne

ARG. Consolatur divinatione melioris fortunæ sumptâ ex ingenio Cæsaris & naturâ rerum ac temporum: propositâ fortitudinis laude & conscientiæ rectè factorum, quibus addit communis calamitatis & turbatæ reipubl. argumentum. *Anno* U. C. 707.

1. *Et studiorum, & partium*] Placuit eorum sententia, qui *studiorum parium*, ope aliquâ veteris libri reposuerunt. MANUT.

2. *Expulissent*] Clodiana tempora significat: nec magis ipsum Clodium, quàm Cæsarem, Pompeium, Crassum tacitè carpit. Vide Orat. pro Sextio. IDEM.

3. *Varietate*] Exilio, & reditu. IDEM.

Digitized by Google

ne sejungeret. Conjunctione frangi senatûs opes: disjunctione civile bellum excitari videbam. Atque utebar familiarissimè Cæsare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cùm fidele Pompeio, tum salutare utrique. Quæ præterea providerim, prætereo. Nolo enim hunc de me optimè meritum existimare, [4] ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, & princeps; sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. [5] Eundum in Hispaniam censui; quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. [6] Rationem haberi absentis non tam pugnavi ut liceret, quàm ut, cùm, [7] ipso consule pugnante, [8] populus jusserat, haberetur. [9] Causa orta belli est: quid ego prætermisi aut monitorum, aut querelarum, cùm vel iniquissimam pacem justissimo bello anteferrem? Victa est auctoritas mea, non tam à Pompeio, (nam is movebatur) quàm ab iis, qui duce Pompeio freti peropportunam & rebus domesticis & cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Susceptum bellum est, quiescente me: depulsum ex Italia, manente me, quoad potui: sed valuit apud me plus pudor meus, quàm timor. Veritus sum deesse Pompeii saluti, cùm ille aliquando non defuisset meæ. Itaque vel officio, vel famâ bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis [10] Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.

---

4. *Ea me suasisse Pompeio*] Quæ suaserit, ipse exponit Phil. 2. his verbis: *Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: unum, ne quinquennii imperium Cæsari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri, ut absentis ejus ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus.* Phil. II. 10. Manut.

5. *Eundum*] Pompeio in suam provinciam, quæ in quinquennium ei data erat. Vide lib. XVI. epist. 11. Idem.

6. *Rationem haberi absentis*] Hoc est, ut absens inter candidatos consulatûs reciperetur. *Ratio illius* dicitur *haberi*, qui in numerum candidatorum recipitur, cui licet petere magistratum. Est proprium in hac re loquendi genus. Liv. XXVII. *Si suum nomen dictator acciperet, comitiis intercessurum: si aliorum præterquam ipsius ratio haberetur, comitiis se moram non facere.* Flor. IV. 2. *Nec ille abnuebat si ratio sui proximis comitiis haberetur.* Suet. Cæs. 18. *Sed cùm edictis jam comitiis, ratio ejus haberi non posset.* Utitur & Cicero sæpe in aliis locis. Vide Brisson. de Form. lib. II. Græv.

7. *Ipso consule*] Pompeio solo. Corrad.

8. *Populus jusserat*] Populus propriè dicitur *jubere* cùm aliquid in comitiis suis suffragiis comprobat. Hinc sollemnis formula ferentium aliquid ad populum, *Velitis, jubeatis Quirites.* Vide Brisson. lib. II. de Formulis. Grævius.

9. *Causa belli*] Cùm Pompeius & ejus amici rationem absentis Cæsaris in petitione consulatûs haberi nollent; Cæsar, quod ei populus dederat, id servari vellet. Manut.

10. *Amphiaraus*] Poetæ fingunt, vatem Amphia-

Digitized by Google

fectus. Quo in bello nihil adversi accidit non prædicente me. Quare cùm ut augures & astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurii & divinationis meæ, debebit habere fidem nostra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec è cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis [11] solistimis, aut [12] soniviis tibi auguror: sed habeo alia signa, quæ observem; quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis, vel erroris. Notantur autem mihi ad divinandum signa duplici quadam viâ: quarum alteram duco à Cæsare ipso, alteram è temporum civilium natura atque ratione. In Cæsare hæc sunt: mitis cleménsque natura, qualis exprimitur præclaro illo libro [13] Querelarum tuarum. Accedit, quòd mirificè ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur. Præterea [14] cedit multorum justis & officio incensis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus: in quo vehementer eum [15] consentiens Etruria movebit. Cur hæc igitur adhuc parum profecerunt? Quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui justiùs videtur irasci posse, concesserit. Quæ est igitur, inquies, spes ab irato? Ex eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas, è quo sit leviter adspersus. Postremò homo valde est acutus, & multùm providens: intelligit, te, hominem [16] in parte Italiæ minimè contemnenda facilè omnium nobilissimum, & in com-

Amphiaraum, cùm videret se interiturum, si ad bellum Thebanum iret, latitasse, uxore tantùm consciâ: eam, accepto monili aureo, virum indicasse: itaque coactum ire cum cæteris, hiatu terræ absorptum. Diodorus Siculus lib. V. Pausanias, Statius, alii, Cicero lib. I. de Invent. & in Verrem. Servius in Æneid. VI. 445. MANUT.

11. *Solistimis*] Vide Divin. I. 15. & II. 34.

12. *Soniviis*] Festus: SONIVIO *significat in carmine, item in commentario augurali* SONANTI. Idem: *Sonivium tripudium dicitur, ut ait App. Pulcher*, quod sonet, *ut cùm pullo excidit puls, quadrupedive aliquid ex ore.* Cæcina *de Etrusca disciplina* scripserat, ut ex Indice Pliniano lib. II. colligimus: & illum Cæcinæ librum hîc respicere videtur Cicero. OLIVETUS.

13. *Querelarum*] Querebatur de sua calamitate, Cæsarem laudabat potiùs, quàm accusabat. Nam hîc non prior Cæcinæ liber, quem *criminosissimum* vocat Suetonius, verùm alter significatur, de quo in epistolâ superiore, & in ea, quæ post hanc legitur; in qua partem harum querelarum licet animadvertere. MANUTIUS.

14. *Cedit multorum justis*] Hoc est, facilè patitur Cæsar se exorari ab iis, quos justæ causæ & officii ratio pro parentibus, cognatis, patronis & amicis intercedere compellit; non verò ab iis, qui nullâ inducti ratione, aut saltem favoris aucupandi gratiâ pro aliis supplicant. GRÆVIUS.

15. *Consentiens Etruria*] Pro te, qui Volaterranus es, rogans. CORRADUS.

16. *In parte Italiæ*] Etruriâ. IDEM.

Digitized by Google

communi republica cuivis ſummorum tuæ ætatis vel ingenio, vel gratiâ, vel [17] famâ populi Romani parem, non poſſe prohibere republicâ diutiùs. Nollet hoc temporis potiùs eſſe aliquando beneficium, quàm jam ſuum. Dixi de Cæſare. Nunc dicam de temporum rerúmque natura. Nemo eſt tam inimicus ei cauſæ, quam Pompeius animatus meliùs, quàm paratus, ſuſceperat, qui nos malos cives dicere, aut homines improbos audeat. In quo admirari ſoleo gravitatem, & juſtitiam, & ſapientiam Cæſaris: nunquam niſi honorificentiſſimè Pompeium appellat. At in ejus perſonam multa fecit aſperiùs. Armorum iſta, & victoriæ ſunt facta, non Cæſaris. At nos quemadmodum eſt complexus? [18] Caſſium ſibi legavit, [19] Brutum Galliæ præfecit, [20] Sulpicium Græciæ; Marcellum, cui maximè ſuccenſebat, cum ſumma illius dignitate reſtituit. Quo igitur hæc ſpectant? Rerum hoc natura & civilium temporum non patietur; nec manens, nec mutata ratio feret, primùm ut non in cauſa pari eadem ſit & conditio, & fortuna omnium: deinde, ut in eam civitatem boni viri & boni cives, nullâ ignominiâ notati, non revertantur, in quam tot [21] nefariorum ſcelerum condemnati reverterunt. Habes augurium meum; quo, ſi quid addubitarem, non potiùs uterer, quàm illâ conſolatione, quâ facilè fortem virum ſuſtentarem: te, ſi exploratâ victoriâ arma ſumpſiſſes pro republica, (ita enim tum putabas) non nimis eſſe laudandum: ſin, propter incertos exitus eventúſque bellorum, poſſe accidere, ut vinceremur, putaſſes; non debere te ad ſecundam fortunam bene paratum fuiſſe, adverſam ferre nullo modo poſſe. Diſputarem etiam, quanto ſolatio tibi conſcientia tui facti, quantæve delectationi in rebus adverſis literæ eſſe deberent. Commemorarem non ſolùm veterum, ſed horum etiam recentium vel ducum, vel comitum tuorum graviſſimos caſus. Etiam externos multos claros viros nominarem. Levat enim dolorem commu-

17. *Famâ populi Romani*] Opinione & ſermone omnium. MANUTIUS.

18. *Caſſium*] C. Caſſium: Legatum ſuum eſſe voluit. Epiſt. 15. lib. XV. IDEM.

19. *Brutum*] M. Brutum, qui poſtea conſpiravit cum Caſſio contra Cæſarem. Lib. XIII. epiſt. 10. Illum autem præfecit Galliæ Ciſalpinæ, cùm ad bellum Africanum profecturus eſſet. CORRAD.

20. *Sulpicium*] Lib. IV. ep. 12. VI. 11.

21. *Nefariorum ſcelerum condemnati*] Maximè ſignificat eos, quos lege Pompeiâ de ambitu damnatos Cæſar reſtituit. Epiſt. 4. ad Att. lib. X. MANUT.

Digitized by Google

communis quaſi legis, & humanæ conditionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodum hîc, & quanta in turba, quantáque in confuſione rerum omnium viveremus. Neceſſe eſt enim minore deſiderio perditâ republicâ carere, quàm bonâ. Sed hoc genere nihil opus eſt. Incolumem te citò, ut ſpero, vel potiùs, ut perſpicio, videbimus. Interea tibi abſenti, & huic, qui adeſt, imagini animi & corporis tui, conſtantiſſimo atque optimo filio tuo, ſtudium, officium, operam, laborem meum jampridem & pollicitus ſum, & detuli: nunc hòc amplius, quòd me amiciſſimè quotidie magis Cæſar amplectitur: [22] familiares quidem ejus, ſicuti neminem. Apud quem quidquid valebo vel auctoritate, vel gratiâ, valebo tibi. Tu cura, ut cùm firmitudine te animi, tum etiam ſpe optimâ ſuſtentes. Vale.

22. *Familiares*] Subaudi, amplectuntur me. Familiares Cæſaris, iidémque amici Ciceronis, Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, &c. CELLAR.

A. CÆCINA M. CICERONI S. D.

QUOD tibi non tam celeriter [1] liber eſt redditus, ignoſce timori noſtro, & miſerere temporis. Filius, ut audio, pertimuit, (neque injuriâ, ſi liber exiſſet, cùm non tam intereſt, quo animo ſcribatur, quàm quo accipiatur) ne ea res ineptè mihi noceret, cùm præſertim adhuc ſtyli pœnas dem. Qua quidem in re ſingulari ſum fato: nam cùm mendum ſcripturæ liturâ tollatur, [2] ſtultitia famâ multetur, meus error exilio corrigitur: cujus ſumma criminis eſt, quòd armatus adverſario maledixi. Nemo 7

ARG. Excuſat quòd alterum librum filius non reddiderit. Queritur ſibi Cæſarem iraſci propter ſtylum, cùm ignôrit iis qui contra ipſum Deos precati ſint. Parcè & timidè de Cicerone æquè & de Cæſare ſcribere ait, ne hunc offendat. Rogat tandem, ut reditum ſibi impetret: nec librum exire patiatur, niſi correctum ita, ne ſibi noceat. *Anno* U. C. 707.

1. *Liber*] Is, de quo epiſt. 5. Itaque patet, illam poſt hanc fuiſſe collocandam. Hanc autem poſt eam, quæ ſequitur: in qua Cicero ſcripſit, *In Sicilia cenſeo commorandum*: cui reſpondit in hac Cæcina, *De Aſiatico itinere, ut imperaſti, feci.* Hic liber cum laude Cæſaris Ciceroniſque ſcriptus erat, ut infrà perſpicuum eſt: illum alterum, quo Cæſari maledixerat, ante pugnam Pharſalicam Cæcina compoſuit: quo ſe duriorem in venia danda Cæſar præbuit. MANUTIUS.

2. *Stultitia famâ multetur*] Qui ſtultè aliquid commiſit, fama illi pœna eſt, & ſtultus eſſe dicitur. IDEM.

Digitized by Google

nostrûm est, ut opinor, quin vota victoriæ suæ fecerit; nemo, quin, etiam cùm de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quàm primùm Cæsar superaretur, optarit. Hoc si non cogitat, omnibus rebus felix est. Si scit, & persuasus est, quid irascitur ei, qui aliquid scripsit contra suam voluntatem, cùm ignôrit omnibus, qui multa deos venerati sint contra ejus salutem? Sed, ut eodem revertar, causa hæc fuit timoris. Scripsi de te parcè medius fidius & timidè, [3] *non revocans me ipse, sed penè refugiens. Genus autem hoc scripturæ, non modò liberum, sed incitatum atque elatum esse debere, quis ignorat?* [4] *Solutum existimatur esse alteri maledicere; tamen cavendum est, ne* [5] *in petulantiam incidas. Impeditum, se ipsum laudare; ne vitium arrogantiæ subsequatur. Solùm verò liberum, alterum laudare; de quo quidquid detrahas, necesse est aut infirmitati, aut invidiæ assignetur. Ac nescio, an* [6] *tibi gratiùs, opportuniúsque acciderit. Nam quod præclarè facere non poteram, primum erat non attingere: secundum beneficium, quàm parcissimè facere. Sed tamen ego quidem me sustinui. Multa minui, multa sustuli, complura ne posui quidem. Quemadmodum igitur scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non adscensum pares: sic tot malis cùm vinctum, tum fractum studium scribendi, quid dignum auribus aut probabile potest afferre? Cùm verò ad ipsius Cæsaris nomen veni, toto*

3. *Non revocans me ipse, sed penè refugiens*] Hoc est, non quòd pristinam meam de te sententiam mutarim, sed quòd penè invitus mihi vim intulerim in tam parcè scribendo de te contra animi mei sententiam metu subactus. GRÆVIUS.

4. *Solutum existimatur alteri maledicere*] Hoc est, liberè licere in adversarium invehi, eúmque atro sale defricare. *Soluto* opponitur *impeditum*: cùm non licet nobis scribere ut volumus, cùm refrænatur impetus cogitationum sive ipsâ materiâ, sive aliâ quadam ratione. Sic Mela proœm. descriptionem situs orbis vocat *impeditum opus & facundiæ minimè capax.* IDEM.

5. *In petulantiam*] *Petulantia* Latinis significat sæpe maledicentiam, linguæ effusam procacitatem, effrænem aliis obtrectandi, & acerbis dicteriis ac conviciis proscindendi libidinem. IDEM.

6. *An tibi gratius*] Fortassè gratius tibi erit, ac meliùs cadere videbitur, quòd parcè te laudaverim. MANUT.

7. *Animum*] Quo modo animum affici atque angi meum putas, ubi hæc secum ipse cogitat? Hæc scilicet quæ sequuntur, usque ad illud, *Quid faciet?* IDEM.

8. *Laudo aliquem*] Alium. Fortè quenquam alium honestè appello: quid scio an eum laudari ferat? J. F. GRONOV.

9. *Cùm porrò offendam*] Legendum esse, *cùm porrò non offendam*, intelligent qui & attentè legent, & non erunt tardissimi. Hoc enim sentit M. Tullius: Age, laudo aliquem: sic mecum cogito: num offendo Cæsarem illius laudatione? Sed finge me non offendere:

toto corpore contremisco, non pœnæ metu, sed illius judicii: totum enim Cæsarem non novi. Quem putas [7] *animum esse, ubi secum loquitur? hoc probabit: hoc verbum suspiciosum est: quid si hoc muto? at vereor ne pejus sit. Age verò,* [8] *laudo aliquem, num offendo?* [9] *cùm porrò offendam, quid si non vult? armati stylum persequitur: victi & nondum restituti quid faciet? Auges etiam tu mihi timorem, qui in* Oratore *tuo* [10] *caves tibi per Brutum, & ad excusationem socium quæris. Ubi hoc omnium patronus facis, quid me, veterem tuum, nunc omnium clientem sentire oportet? In hac igitur* [11] *calumnia timoris, & cæcæ suspicionis tormento, cùm plurima ad alieni sensus conjecturam, non ad suum judicium scribantur, quàm difficile sit* [12] *evadere, si minùs expertus es, quòd te ad omnia summum atque excellens ingenium armavit, nos sentimus. Sed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret, & auferret: aut eâ conditione daret, si reciperes te correcturum, hoc est, si totum alium faceres.* [13] *De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas premebat, ut imperasti, feci. Te pro me quid horter? vides tempus venisse, quo necesse sit de nobis constitui. Nihil est, mi Cicero, quòd filium meum expectes: adolescens est, omnia excogitare* [14] *vel studio, vel ætate, vel metu non potest. Totum negotium tu sustineas oportet: in te mihi omnis spes est. Tu, pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar, tenes: à te omnia proficiscantur, & per te*

re: quid si non vult illum laudari? Fieri enim potest ut facto aliquo aliquis non offendatur, neque lædatur: id factum tamen non probet, aut id factum nolit. LAMB. Est locus procul dubio corruptus. Medicina verò anceps. Legebam ex vestigiis mei & Menteliani libri, *Laudo aliquem. Non offendo. At potero offendere. Quid si enim non vult?* scilicet illum laudari. GRÆVIUS.

10. *Caves tibi per Brutum*] Quem te Bruto petenti negare non potuisse scribis. Nisi malimus illum librum intelligere, qui Brutus, sive de Claris oratoribus inscribitur: in quo & major de temporibus querela est, & Brutus ipse loquitur. CORRAD.

11. *Calumnia timoris*] Calumniator ea fingit, quæ vera non sunt. Itidem timor sæpe falsa proponit: ut rectè, propter similitudinem, *Calumnia timoris* dici possit. MAN.

12. *Evadere*] Ita scribere, ut animus acquiescat. *Evadere* dixit, tanquam ex difficultate. IDEM.

13. *De Asiatico itinere*] Petierat à Cicerone consilium Cæcina, quid sibi esset auctor, in Siciliáne subsideret, an ut ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficisceretur. Respondit Cicero: *In Sicilia censeo commorandum.* Vide epistolam sequentem: quæ tamen ante hanc scripta est.

14. *Vel studio*] Hoc est, nimio amore mei, vel nimio impetu meam restitutionem conficiendi. GRÆVIUS.

Digitized by Google

te ad exitum perducantur, necesse est. Apud ipsum multùm, apud ejus omnes plurimùm potes. Unum tibi si persuaseris, non hoc esse tui muneris, si quid rogatus fueris, ut facias, (quanquam id magnum & amplum est) sed totum tuum esse onus; perficies. Nisi fortè aut in miseria nimis stultè, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. Sed utrique rei excusationem tuæ vitæ consuetudo dat. Nam quòd ita consuêris pro amicis laborare; non jam sic sperant abs te, sed etiam sic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit, peto à te ne exeat, aut ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.

M. CICERO A. CÆCINÆ S.D.

8 CUM esset mecum Largus, homo tui studiosus, locutus, kalendas Januarias [1] tibi præfinitas esse: quod omnibus rebus perspexeram, quæ [2] Balbus & [3] Oppius absente Cæsare egissent, ea solere illi rata esse; egi vehementer cum his, ut hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad vellemus, esse uti liceret. Qui mihi consuessent aut libenter polliceri, si quid esset ejusmodi, quod eorum animos non offenderet, aut etiam negare, & afferre rationem cur negarent, huic meæ rogationi [4] potiùs non continuò responderunt: eodem die tamen ad me reverterunt, mihi hoc dederunt ut esses in Sicilia, quoad velles; se præstaturos, nihil ex eo te offensionis habiturum. Quando, quid tibi permittatur, cognovisti; quid mihi placeat, puto te scire oportere. Actis his rebus, literæ à te mihi redditæ sunt, quibus à me consilium petis, quid sim tibi auctor, in Siciliáne subsi-

ARG. Sibi hoc datum à Balbo & Oppio scribit, ut Cæcinæ liceret in Sicilia esse, ibíque ut commoretur, nec longiùs abeat, suadet. *Anno* U. C. 707.

1. *Tibi præfinitas esse*] Ne ultrà tibi esse liceret in Sicilia. MANUT.

2. *Balbus*] L. Cornelius Balbus, Gaditanus, pro quo extat Ciceronis oratio. Hic absentis Cæsaris negotia procurabat. IDEM.

3. *Oppius*] C. Oppius Cæsaris legatus Africano bello. Extat ejus, & L. Balbi epistola ad Ciceronem lib. IX. ad Att. & Ciceronis ad eum lib. XI. IDEM.

4. *Potiùs non continuò*] Fallor an Cicero scripsit, *huic meæ rogationi protinùs non responderunt.* *Tò continuò est τοῦ protinùs* explicatio à magistro margini adscripta, aut *protinùs* superposita, quæ inde in contextum irrepsit, & monstrosam hanc produxit lectionem. GRÆVIUS. Obscurus & ineptus ex vulgari lectione sensus: ex emendatione perspicacissimi Grævii planus. CELLAR.

Digitized by Google

ſubſidas, an ad reliquias Aſiaticæ negotiationis proficiſcare. Hæc tua deliberatio non mihi convenire viſa eſt cum oratione Largi. Ille enim mecum, quaſi tibi non liceret in Sicilia diutius commorari, ita locutus erat: tu autem, quaſi conceſſum ſit, ita deliberas. Sed ego, ſive hoc, ſive illud eſt, in Sicilia cenſeo commorandum. Propinquitas locorum vel ad impetrandum adjuvat crebris literis & nuntiis, vel ad reditûs celeritatem re aut impetratâ, quod ſpero, aut aliquâ ratione confectâ. Quamobrem cenſeo magno opere commorandum. T. Furſanio Poſtumo, familiari meo, legatiſque ejus, item meis familiaribus, diligentiſſimè te commendabo, cùm venerint. Erant enim omnes Mutinæ. Viri ſunt optimi, & tui ſimilium ſtudioſi, & mei neceſſarii. Quæ mihi venient in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabor, ea meâ ſponte faciam. Si quid ignorabo, de eo admonitus omnium ſtudia vincam. Ego etſi coràm de te cum Furſanio ita loquar, ut tibi literis meis ad eum nihil opus ſit; tamen, quoniam tuis placuit te habere meas literas, quas ei redderes, morem his geſſi. Earum literarum exemplum infrà ſcriptum eſt. Vale.

M. T. C. T. [1] FURFANIO, PROCOS. S. D.

CUM A. Cæcina tanta mihi familiaritas conſuetudóque ſemper fuit, ut nulla major eſſe poſſit. 9
Nam & patre ejus, claro homine & forti viro, plurimùm uſi ſumus: & hunc à puero, quòd & ſpem magnam mihi afferebat ſummæ probitatis, ſummæque eloquentiæ, & vivebat mecum conjunctiſſimè, non ſolùm officiis amicitiæ, ſed etiam ſtudiis communibus, ſic ſemper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctiùs viverem. Nihil attinet me plura ſcribere. Quàm mihi neceſſe eſt ejus ſalutem & fortunas, quibuſcunque rebus poſſim, tueri, vides. Reliquum eſt, ut, cùm cognôrim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de reipublicæ calamitatibus ſentires, nihil à te

ARG. Brevi, ſed perfecto commendationis exemplo, Cæcinam Furſano commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Furfanio*] Sic F. Urſinus ex vetuſta inſcriptione, quam vidit. *Furſano* habet Victorius, & retinet Grævius.

à te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tuâ sponte erga Cæcinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione meâ, quanti me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. T. C. [1] TREBIANO S. D.

10 EGo quanti te faciam, sempérque fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. Nam & consilium tuum, vel casus potiùs diutius in armis civilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: & hic eventus, quòd tardiùs, quàm est æquum, & quàm ego vellem, recuperas fortunam & dignitatem tuam, mihi non minori curæ est, quàm tibi semper fuerunt casus mei. Itaque & Postumuleno, & Sestio, & sæpissime Attico nostro, proximéque Theudæ, liberto tuo, totum me patefeci; & hæc his singulis sæpe dixi, quacunque re possem, me tibi & liberis tuis satisfacere cupere: ídque tu ad tuos velim scribas: hæc quidem certè, quæ in potestate mea sunt, ut operam, consilium, rem, fidem meam sibi ad omnes res parata putent. Si auctoritate & gratiâ tantum possem, quantum in ea republica, de qua ita meritus sum, posse deberem; tu quoque is esses, qui fuisti, cùm omnî gradu amplissimo dignissimus, tum certè [2] ordinis tui facilè princeps. Sed cùm eodem tempore, eadémque de causa, nostrûm uterque cecidit, tibi & illa polliceor, quæ suprà scripsi, quæ sunt adhuc mea: & ea, quæ præterea videor mihi ex aliqua parte retinere, tanquam ex reliquiis pristinæ dignitatis. Neque enim ipse

ARG. Pollicetur exuli Trebiano, quantum potest: cui iratior Cæsar erat, quòd post Pharsalicam pugnam non cesserat ab armis, sed bellum in Africa persecutus fuerat. *Anno U. C. 707.*

1. *Trebiano*] Antea legebatur *Trebatio*: postea Paulus Manutius veterum librorum secutus scripturam, restituit *Trebiano*: atque ita planè est in manuscripto apud me codice. Ego tamen *Trebanio* legendum puto ex auctoritate argentei nummi, & item ærei, in quibus *L. Trebani* incisum est. Errorem autem ex transpositione literarum fluxisse arbitror ab imperitis librariis facta, qui *Trebiano* scripserint pro *Trebanio*. URS.

2. *Ordinis tui*] Equestris: nam, si senatorii fuisset, *Ordinis nostri*, dixisset. MAN.

3. *Casu*] Non pauci habent, *quasi*.

4. *Casu devincti*] *Casu* hoc loco nihil significat, & Manutius non explicat hanc vocem, sed sensum qualemcunque fingere maluit, quàm fateri, se, quid ea vox hîc sibi velit, ignorare. Mihi dubium nullum est, quin aliquis vocem *ejus* ex proximè antecedentibus

Digitized by Google

ipſe Cæſar, ut multis rebus intelligere potui, eſt alienus à nobis, & omnes ferè familiariſſimi ejus, [3] caſu [4] devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter obſervant & colunt. Itaque ſi qui mihi erit aditus de tuis fortunis, id eſt, de tua incolumitate, in qua ſunt omnia, agendi, quod quidem quotidie magis ex eorum ſermonibus adducor ut ſperem, agam per me ipſe & moliar. Singula perſequi non eſt neceſſe. Univerſum ſtudium meum, & benevolentiam ad te defero. Sed magni mea intereſt, hoc tuos omnes ſcire, quod tuis literis fieri poteſt, ut intelligant omnia Ciceronis patêre Trebiano. Hoc eò pertinet, ut nihil exiſtiment eſſe tam difficile, quod non pro te mihi ſuſceptum jucundum ſit futurum.

[5] Antea miſiſſem ad te literas, ſi genus ſcribendi invenirem. Tali enim tempore, aut conſolari amicorum eſt, aut polliceri. Conſolatione non utebar, quòd ex multis audiebam, quàm fortiter ſapientérque ferres injuriam temporum, quámque te vehementer conſolaretur conſcientia factorum & conſiliorum tuorum: quod quidem ſi facis, magnum fructum ſtudiorum optimorum capis, in quibus te ſemper ſcio eſſe verſatum; ídque ut facias, etiam atque etiam te hortor. Simul & illud tibi, homini peritiſſimo rerum, & exemplorum, & omnis vetuſtatis, ne ipſe quidem rudis, ſed in ſtudio minùs fortaſſe, quàm vellem, at in rebus atque uſu plus etiam quàm vellem, verſatus, ſpondeo, tibi iſtam acerbitatem & injuriam non [6] diuturnè fore. Nam & ipſe qui plurimùm poteſt, quotidie mihi delabi ad æquitatem & ad rerum naturam videtur: & ipſa cauſa ea eſt, ut jam ſimul cum republica quæ in perpetuum jacêre non poteſt, neceſ-

tibus explicaturus, in margine appoſuerit *Caſ.* compendioſâ ſcribendi ratione pro *Cæſaris.* Ex illo ſcripturæ compendio deinceps *caſu* factum eſſe ab imperito librario, planè mihi perſuadeo. HEUMAN.

5. *Antea miſiſſem*] In meis libris ſanè priori annectitur epiſtolæ. In aliis tamen initium eſt novæ epiſtolæ, quos ſecutus eſt Manutius, qui & eam ſcriptam putavit ante ſuperiorem proximam, quia prima illa verba, *antea miſiſſem ad te literas, ſi genus ſcribendi invenirem,* nullas antea Ciceronem literas ad eum miſiſſe perſpicuè demonſtrent. Hæc quidem ille in argumento hujus epiſtolæ declaravit. Quamvis autem mei libri adſtipulentur vulgatis editionibus, has epiſtolas conjungentibus, & pro una habentibus, tamen ſententia Manutii mihi videtur potior. Nam verba quæ hæc præcedunt, planè oſtendunt eis finiri epiſtolam: iſta verò *Antea miſiſſem,* &c. initium novæ epiſtolæ arguunt. Sed ſine libris nihil auſus ſum immutare. GRÆVIUS.

6. *Diuturnè*] Manutius: *Spondeo tibi, iſtam ... non diuturnam fore.*

Digitized by Google

necessariò reviviscat, atque recreetur: quotidiéque aliquid fit lenius & liberalius, quàm timebamus. Quæ quoniam in temporum inclinationibus sæpe parvis posita sunt, omnia momenta observabimus, neque ullum prætermittemus tui juvandi & levandi locum. Itaque illud alterum, quod dixi, literarum genus quotidie mihi, ut spero, fiet proclivius, ut etiam polliceri possim. Id re, quàm verbis, faciam libentiùs. Tu velim existimes, & plures te amicos habere, quàm qui in isto casu sint ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim; & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas & magnum, quod est in uno te. Quæ sunt in fortuna, temporibus regentur, & consiliis nostris providebuntur. Vale.

M. Cicero Trebiano S. D.

II DOLABELLAM [1] antea tantummodò diligebam; obligatus ei nihil eram: nec enim acciderat mihi opus esse, & ille mihi debebat, quòd non defueram [2] ejus periculis. Nunc tanto sum devinctus ejus beneficio, quòd & antea [3] in re, & hoc tempore in salute tua cumulatissimè mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quàm gratias agere, malim. Alterum omnino non desidero, alterum verè facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi virtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit, est tuæ sapientiæ, magnitudinísque animi, quid amiseris oblivisci, quid recuperaris cogitare. Vives cum tuis, vives nobiscum. Plus acquisisti dignitatis, quàm amisisti rei familiaris:

· Arg. Gratulatur de restitutione, quam Dolabellæ beneficio ipsi impetraverat: hortatúrque, ut æquo animo jacturam fortunarum ferat, quia plus acquisiverit quàm amiserat. *Anno* U. C. 707.

1. *Dolabellam*] P. Cornelium Dolabellam, antea Ciceronis generum. Divortium jam cum Tullia fecerat, quo tempore scripta est hæc epistola. Id licet conjicere ex epist. 23. ad Att. lib. II. quæ scripta est ante bellum Africanum: hæ verò ad Trebianum omnes post id bellum. Nec verò simul cum affinitate dirempta amicitia est: nisi si temporum causâ simulatum est. Extant Ciceronis epistolæ lib. IX. ad Dolabellam insigni cum amoris argumento: & hæc ipsa, prodesse Ciceroni gratiam Dolabellæ apud Cæsarem in amicorum negotiis demonstrat. Manutius.

2. *Ejus periculis*] Bis eum Cicero, ante filiam suam ei collocatam, in capitis periculo defenderat. Epist. 10. libro III. Idem.

3. *In re*] In fortunis tuis. Idem.

Digitized by Google

liaris: quæ ipsa tum esset jucundior, si ulla res esset publica. [4] Vestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prædicatio tua mihi valde grata est, eáque te uti facilè patior, cùm apud alios, tum mehercule apud [5] Syronem, nostrum amicum. Quæ enim facimus, ea prudentissimo cuique maximè probata esse volumus. Te cupio videre quàm primùm. Vale.

4. *Vestorius*] Puteolanus, de quo sæpe fit mentio in epist. ad Att. MANUT.
5. *Syronem*] Epicureum, lib. II. de Finib.

M. T. CICERO [1] AMPIO S. D.

GRATULOR tibi, mi Balbe, veréque gratulor. Nec sum 12
tam stultus, ut te usurâ falsi gaudii frui velim, deinde frangi repentè, atque ita cadere, ut nulla res ad æquitatem te animi possit postea extollere. Egi tuam causam apertiùs, quàm mea tempora ferebant. Vincebatur enim [2] fortuna ipsa debilitatæ gratiæ nostræ, tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentissimè. Omnia promissa, confirmata, certa & rata sunt, quæ ad reditum & ad salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui. Etenim omnes Cæsaris familiares satis opportunè habeo implicatos consuetudine & benevolentiâ, sic

ut,

ARG. Gratulatur de reditu per Cæsaris amicos impetrato, ideóque cessare consolationem, re confectâ. Esse tamen vel restituto aliquid ferendum, reip. calamitatem, in qua nullum solatium supersit nisi quod ex literarum studiis capiatur. *Anno* U. C. 707.

1. *Ampio*] Vulgò *T. Ampio Balbo*, contra libros. Victorii editio rectè solum medium nomen agnoscit, ut & Vatic. & Grut. codices. GEBHARD. Videtur is esse, ad quem scribit epist. 29. lib. X. quod si ita est, collocari illam epistolam ante hanc oportuit; ut ex utriusque cognoscitur argumento. Idem commendatur epist. 70. lib. XIII. Quatuor Balbos invenio, unum hunc Ampiæ gentis; alterum Atiæ, qui Juliam, C. Cæsaris sororem, in matrimonio habuit, ex qua genuit Atiam, Augusti matrem; duos reliquos Gadibus natos, & civitate Romanâ donatos, Corneliæ gentis: quorum alter Balbus major, alter minor, ejus fratre genitus, vocatus est. Major est, qui nominatur inter Cæsaris amicissimos in hac ipsâ epistolâ, & in ep. 8. 19. & in 5. 7. 18. lib. VII. & in 17. lib. IX. pro quo extat egregia Ciceronis oratio. Primus in Oceano genitorum consulatum est adeptus, ut ait Plinius lib. VII. cap. 43. Minor Balbus ex Africa triumphavit, ut idem Plinius lib. V. cap. 5. Strabo lib. III. Nominatur à Cicerone epist. 11. lib. VIII. ad Att. à Pollione epistola 32. lib. X. MANUT.

2. *Fortuna ipsa debilitatæ gratiæ nostræ*] Sic olim hunc locum emendaram, *fortuna ipsa, debilitásque gratiæ nostræ.* Nunc sententiâ mutatâ, receptam tueor. LAMB. Id est, Caritas in te mea faciebat, ut apertiùs agerem, quàm per nostram miseram fortunam liceret. MANUTIUS.

Digitized by Google

ut, cùm ab illo diſceſſerint, me habeant proximum. Hoc Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumius planè ita faciunt, ut me unicè diligant. Quod ſi mihi [3] per me efficiendum fuiſſet, non me pœniteret pro ratione temporum ita eſſe molitum. Sed nihil eſt à me inſervitum temporis causâ: veteres mihi neceſſitudines cum his omnibus intercedunt, quibuscum ego agere de te non deſtiti. Principem tamen habuimus Panſam, tui ſtudioſiſſimum, mei cupidum, qui valeret apud illum non minùs auctoritate, quàm gratiâ. Cimber autem Tillius mihi planè ſatisfecit. Valent tamen apud Cæſarem non tam ambitioſæ rogationes, quàm neceſſariæ: [4] quam quia Cimber habebat, plus valuit, quàm pro ullo alio valere potuiſſet. [5] Diploma ſtatim non eſt datum, quòd mirifica eſt improbitas in quibuſdam, qui tuliſſent acerbiùs veniam tibi dari, quem illi appellant *tubam belli civilis*: multáque ita dicunt, quaſi non gaudeant id bellum incidiſſe. Quare viſum eſt occultiùs agendum, neque ullo modo divulgandum, de te jam eſſe perfectum. Sed id erit perbrevi: nec dubito, quin, legente te has literas, confecta jam res futura ſit. Panſa quidem mihi, gravis homo & certus, non ſolùm confirmavit, verùm etiam recepit, perceleriter ſe ablaturum diploma. Mihi tamen placuit hæc ad te perſcribi. Minùs enim te firmum ſermo [6] Epuleiæ tuæ, lacrymæque Ampiæ declarabant, quàm ſignificant tuæ literæ: atque illæ arbitrabantur, cùm à te abeſſent ipſæ, multò in graviore te

3. *Per me*] Egerat Cicero per familiares Cæſaris, amicos ſuos, non per ſeipſum. Ita porrò in Ampii ſalute impetranda ei ſatisfecerant amici ejus omni ſedulitate atque officio, ut vix ipſe Cicero, ſi auctoritate & gratia pari fuiſſet, agere potuiſſet. MAN. Lego, *pro se efficiendum*, id eſt, Qui ſi nunc demum conciliandi mihi fuiſſent, ut tibi per eos conſulerem. *Non me pœniteret*: non faſtidiſſem illorum gratiam ambire ut quidem nunc ſunt tempora, quibus multis indignis etiam adulandum eſt. *Nihil eſt à me inſervitum*: Neminem colui, aut delinivi, nunc demum ob præſentem neceſſitatem. J. F. GRONOVIUS.

4. *Quam*] Vulgò *quas*, quòd *rogationes* præceſſit. At mſſ. *quam*. Intellige unam ſolius Cimbri rogationem, ſeu unam è multis: quæ quòd *neceſſaria* erat, videtur Tillius propinquus Ampii fuiſſe. CELLAR.

5. *Diploma*] Sunt literæ indices ac teſtes conceſſi beneficii ab eo qui præeſt reipublicæ; propriè & per excellentiam *diplomata* dicebantur literæ, quibus dabatur à ſummo reipublicæ rectore curſus publicus. Sunt ſic à forma appellata: nam formabantur in modum tabularum duplicum, ut docet Caſaubonus ad Sueton. GRÆVIUS.

6. *Epuleiæ*] Uxoris. Nam Ampia, filia: quia feminæ gentis nomine appellabantur. MANUTIUS.

Digitized by Google

te cura futurum. Quare magno opere putavi, angoris & doloris tui levandi causâ, pro certis ad te ea, quæ essent certa, [7] perscribi. Scis, me antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem virum atque sapientem, quàm ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi quam ab ipsa republica, cùm hic ardor restinctus esset, sperari oportere censerem. Recordare tuas literas, quibus & magnum animum mihi semper ostendisti, & ad omnes casus ferendos constantem ac paratum: quod ego non mirabar, cùm recordarer, te & à primis temporibus ætatis in republica esse versatum, & tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis fortunarúmque communium: & in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solùm ut victor, beatus; [8] sed etiam, si ita accidisset, victus, ut sapiens esses. Deinde, cùm studium tuum consumas in virorum fortium factis [9] memoriæ prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, te non simillimum præbeas. Sed hæc oratio magis esset apta ad illa tempora, quæ jam effugisti. Nunc verò tantùm te para ad hæc nobiscum ferenda: quibus ego si quam medicinam invenirem, tibi quoque eandem traderem. Sed est unum perfugium, doctrina ac literæ, quibus semper usi sumus: quæ secundis rebus delectationem modò habere videbantur, nunc verò etiam salutem. Sed, ut ad initium revertar, cave dubites, quin omnia de salute ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

7. *Perscribi*] Rectè Lambinus ostendit necessarium esse ut τῷ *perscribi* adjiciatur *oportere:* pendet enim sensus sine hoc verbo. Immo istam locutionem quæ in editis extat, planè repudiat Latina lingua, quæ postulat, *magnopere putavi mihi perscribendum esse;* aut *perscribi oportere*, ut habent editiones multæ. GRÆVIUS. Abest *oportere* ab omnibus mss. itaque mendi suspicio nondum exspirat. CELLAR.

8. *Sed etiam, si ita accidisset, victus, ut sapiens esses*] Libri aliquot veteres: *Sed etiam ut, si ita accidisset, victus & sapiens esses.* Alii: *Sed etiam ut, si ita accidisset, victus ut sapiens esses.* Quos ita sum secutus, ut primum *Ut*, induxerim, tanquam non necessarium. Sententia similis epist. 1. *Si id evenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse; non debemus ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse nunquam putaverimus.* Et epist. 6. *Sin propter incertos exitus eventúsque bellorum, posse accidere, ut vinceremur, putasses; non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse.* MANUTIUS.

9. *Memoriæ prodendis*] Ampius hic historiam scribebat. IDEM.

Digitized by Google

CICERO LIGARIO.

13 Etsi tali tuo tempore me aut consolandi, aut juvandi tui causâ scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat; tamen adhuc id non feceram: quia neque lenire videbar oratione, neque levare posse dolorem tuum. Postea verò quàm magnam spem habere cœpi, fore ut te brevi tempore incolumem haberemus; facere non potui, quin tibi & sententiam, & voluntatem declararem meam. Primùm igitur scribam, quod intelligo & perspicio, non fore in te Cæsarem duriorem. Nam & res eum quotidie, & dies, & opinio hominum, &, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit: ídque cùm de reliquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis ejus, quibus ego ex eo tempore, quo primùm [1] ex Africa nuntius venit, supplicare unà cum fratribus tuis non destiti. Quorum quidem & virtus, & pietas, & amor in te singularis, & assidua & perpetua cura salutis tuæ tantum proficit, ut nihil sit, quod non ipsum Cæsarem tributurum existimem. Sed si tardiùs fit, quàm volumus; magnis occupationibus ejus, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: & simul Africanæ causæ iratior, diutiùs velle videtur eos habere sollicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. Sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissiùs & placatiùs ferre. Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutiùs non futurum. Cùm, quid sentirem, exposui; quid vellem tuâ causâ, re potiùs declarabo, quàm oratione: &, si tantùm possem, quantùm in ea republica, de qua ita sum meritus, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen, quidquid imago veteris meæ dignitatis, quidquid reliquiæ gratiæ valebunt; studium, consilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper

Arg. Solatur Ligarium exulem, eúmque bene sperare jubet, ac, ut interea forti animo sit, hortatur. Scripta post Africanum bellum videtur. *Anno* U. C. 707.

1. *Ex Africa nuntius*] De Pompeianis in Africa devictis. Manut.

ſemper habuiſti, primùm ob eas cauſas, quas ſcripſi: deinde, quòd ea de republica ſemper voluiſti atque ſenſiſti, ut non modò [2] nunc ſecunda ſperare debeas; ſed etiam, ſi omnia adverſa eſſent, tamen conſcientiâ & factorum & conſiliorum tuorum, quæcunque acciderent, fortiſſimo & maximo animo ferre deberes. Vale.

2. *Nunc ſecunda*] Victorius, Gebhardus, Gronovius *cum ſecunda*, quæ præpoſitio eſt cum ſexto caſu. CELLARIUS. Vulgata ſcriptura non eſt abolenda. Senſus enim hic eſt. Quia tam bene de rep. ſemper voluiſti & ſenſiſti, debes nunc ſperare ſecunda, tanquam bonæ hujus tuæ voluntatis & ſenſus præmia: ſed etſi fortuna tibi adverſaretur, non debes tamen iniquè hanc fortunæ injuriam ferre, ſed &c. GRÆVIUS.

CICERO LIGARIO.

ME ſcito omnem laborem, omnem operam, curam, ſtudium in tua ſalute conſumere. Nam cùm te ſemper maximè dilexi, tum [1] fratrum tuorum, quos æquè atque te ſummâ benevolentiâ ſum complexus, ſingularis pietas amórque fraternus, nullum me patitur officii erga te, ſtudiíque munus aut tempus prætermittere. Sed quæ faciam, fecerímque pro te, ex illorum te literis, quàm ex meis, malo cognoſcere. Quid autem ſperem, aut confidam, & exploratum habeam de ſalute tua, id tibi à me declarari volo. Nam ſi quiſquam eſt timidus in magnis periculoſíſque rebus, ſempérque magis adverſos rerum exitus metuens, quàm ſperans ſecundos, is ego ſum: &, ſi hoc vitium eſt, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen [2] cùm a. d. v. kal. intercalares priores, rogatu fratrum tuorum 14

ARG. Quæ cum Cæſare egerit de Ligarii reſtitutione, & quam ſpem ſalutis habeat, declarat: & ad lætitiam exhortatur.

1. *Fratrum*] Tres erant Ligarii fratres, quorum unus Q. ad Pompeii caſtra tranſierat.

2. *Cùm a. d. v. Kalend. intercalares priores*] Scripta eſt hæc epiſtola anno U. C. 707. quo Cæſar faſtos correxit. Ut annus Romanus, valdè perturbatus, in eam formam componeretur, quam nunc obtinet, & Kalendæ Januariæ deinceps ordinatè recurrerent, neceſſe fuit aſſignari huic anno dies 445. itaque præter menſem Mercedonium, qui ex Numæ inſtituto in Februarium inſertus fuit, duos menſes intercalari juſſit Cæſar ante menſem Decembrem. Hinc *Kalendæ intercalares priores* & *poſteriores*. Nonnulli, poſt Joſephum Scaligerum, *lib. II. de Emend. Temp.* aiunt *Kalendas intercalares priores* eſſe diem primum menſis Merkedonii. At Merkedonius inſerebatur in Februarium; & per menſem Februarium Romæ Cæſar non erat, ſed in Africa, unde rediit die 26. Julii. ANONYMUS.

Digitized by Google

rum venissem manè ad Cæsarem, atque omnem adeundi & conveniendi illius indignitatem & molestiam pertulissem: cùm fratres & propinqui tui jacerent ad pedes, & ego essem locutus, quæ causa, quæ tuum tempus postulabat: non solùm ex oratione Cæsaris, quæ sanè mollis & liberalis fuit; sed etiam ex oculis & vultu; ex multis præterea signis, quæ faciliùs perspicere potui, quàm scribere, hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno fortique sis: &, si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora lætè feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis: neque Cæsari solùm, sed etiam amicis ejus omnibus, quos mihi amicissimos esse cognovi, pro te, sicut adhuc feci, libentissimè supplicabo. Vale.

Cicero [1] Basilio S.

15 Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor. A te amari, & quid agas, quidque agatur, certior fieri volo.

1. *Basilio*] Sic libri: nisi forsan *Basilo*, vel *Basillo*, tribus syllabis scribendum. Lucius quidam Minucius Basiius, dives homo, in Græcia mortuus, cujus falsum testamentum Cicero Offic. III. 18. & Val. Maximus IX. 4. memoraverunt. Cujus fortè filius fuit L. Minucius Basilus, Cæsaris in Gallia Legatus, postea in percussoribus ejus. Appianus de B. C. lib. III. extremo, Μινύκιος Βασίλλος, &c. Cellarius.

[1] Bithynicus Ciceroni S.

16 *Si mihi tecum non & multæ & justæ causæ amicitiæ privatim essent, repeterem initia amicitiæ ex parentibus nostris; quod faciendum iis existimo, qui paternam amicitiam nullis ipsi officiis prosecuti sunt. Itaque contentus ero nostrâ ipsorum amicitiâ, cujus fiduciâ peto à te, ut absentem me, quibuscunque in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas. Vale.*

M.

Arg. Commemoratâ suâ, & patris amicitiâ, rogat, ut se absentem tueatur. *Anno* U. C. 709.

1. *Bithynicus*] Pompeiæ gentis, cui genti cognomen hoc dedit Bithynia devicta. Nominatur etiam in libro de claris Orat. *Q. Pompeius Bithynicus*: sed eum puto hujus Bithynici patrem fuisse: nam illum inter mortuos oratores Cicero numerat in eo libro, qui scriptus videtur ante exitum Africani belli. Hæc autem & quæ sequitur epistola, scriptæ sunt, nisi me conjectura fallit, post Cæsaris necem. Manut. De Bithynico hujus patre, vide in Bruto, cap. 68.

Digitized by Google

M. CICERO BITHYNICO S.

CUM cæterarum rerum causâ cupio esse aliquando rempu- 17
blicam constitutam; tum velim mihi credas, [1] accedere, id etiam quò magis expetam, promissum tuum, quo in literis uteris. Scribis enim, si ita sit, te mecum esse victurum. Gratissima mihi tua voluntas est, facisque nihil alienum necessitudine nostra, judiciisque patris tui de me, summi viri. Nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt, aut valeant, conjunctiores tecum esse, quàm me; necessitudine, neminem. Quamobrem grata mihi est & memoria tua nostræ conjunctionis, & ejus etiam augendæ voluntas. Vale.

ARG. Respondet Bithynici cuidam epistolæ, qua ille, constitutâ rep. cum Cicerone se futurum promiserat, quod gratum sibi fore significat, & se ejus esse amantissimum confirmat. *Anno* U. C. *709*.

Non respondet hæc Ciceronis epistola, quemadmodum ego existimo, superiori Bithynici: id autem, qui attentè ambas legerit, facilè animadvertet. Scripserat alias literas Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere se ostenderat cum eo vivere. Quæ aut postea periere, aut in hæc volumina relatæ non sunt. VICTOR.

1. *Accedere, id etiam*] Manut. Lambin. Græv. *accidere*. Non ita bene. Sensus est: Promissum tuum accedit ad res cæteras, quarum causâ cupio Remp. esse aliquando constitutam. *Id*, hoc ipsum est, Remp. esse constitutam. Doctores videant: quibus morem geram, & libenter quidem. OLIVETUS.

CICERO [1] LEPTÆ.

SIMUL accepi à Seleuco tuo literas, statim quæsivi à Balbo 18
per codicillos, quid esset [2] in lege. Rescripsit, Eos qui facerent præconium, vetari esse in [3] decurionibus; qui fecissent, non

ARG. Quæstioni respondet ex lege de decurionibus. Addit de bello Hispaniensi, de Leptæ negotio, de oratore suo, de Tulliola, & de Leptæ Junioris studiis consilium ac præceptum dat. *Anno* U. C. 708.

1. *Leptæ*] Q. Leptæ, quo Fabrûm præfecto usus est Cicero proconsul in Cilicia. Epist. 7. lib. III. MANUT.

2. *In lege*] Quam Cæsar, ubi Romam ex Hispania revertisset, ferre cogitabat: scripserat autem vel ipse ante quàm iret in Hispaniam, vel, post profectionem, Balbus & reliqui familiares, ex ejus sententia: ut ipso in urbem reverso promulgaretur, & ferretur. Nam, si lata fuisset, vel etiam promulgata, non à Balbo, quid in ea esset, Cicero quæsisset. IDEM.

3. *Decurionibus*] Senatores vel coloniarum, vel municipiorum, *decuriones* vocabantur. Et ut Romam ad senatum consules, ita ut municipiis ad decuriones *quatuor viri*, in coloniis *duum viri* referebant. Ac nomine quidem ipso *decuriones*, decem tantùm videntur: sed plures fuisse constat ex eo, quòd in secunda agraria centum nominantur. IDEM.

Digitized by Google

non vetari. Quare bono animo ſint & tui, & mei familiares. Neque enim erat ferendum, cùm, [4] qui hodie haruſpicinam facerent, [5] in ſenatu Romæ legerentur, eos qui aliquando præconium feciſſent, in municipiis decuriones eſſe non licere. De Hiſpaniis novi nihil. Magnum tamen exercitum [6] Pompeium habere conſtat. Nam Cæſar ipſe ad nos miſit exemplum [7] Paciæci literarum, in quo erat, illi undecim eſſe legiones. Scripſerat etiam Meſſala Q. Salaſſo, P. Curtium fratrem ejus, juſſu Pompeii, inſpectante exercitu, interfectum, quòd conſenſiſſet cum Hiſpanis quibuſdam, ſi in oppidum neſcio quod Pompeius rei frumentariæ causâ veniſſet, eum comprehendere, ad Cæſarémque deducere. De negotio tuo, quòd ſponſor es pro Pompeio, ſi Galba conſponſor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non deſinam cum illo communicare, ſi quid expediri poſſit: quod videbatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere à te probari vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me quidquid habuerim judicii de dicendo, in illum librum contuliſſe. Qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum: ſin aliter, non recuſo, quin, quantum de illo libro, [8] tantundem de mei judicii fama detrahatur. Leptam noſtrum cupio delectari jam talibus ſcriptis: etſi abeſt maturitas ætatis, jam tamen perſonare aures ejus hujusmodi vocibus non eſt inutile. Me Romæ tenuit omninò Tulliæ meæ [9] partus. Sed cùm ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit, teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus [10] exigam

gam

4. *Qui hodie*] Jocus (niſi fallor) in Cæſarem, qui in eum ordinem indigniſſimos legerat: ſupplevit enim ille Senatum : nam multi civilibus bellis Senatores defecerant. VICTORIUS.

5. *In ſenatu*] Fortè, in *ſenatum*. LAMB.

6. *Pompeium*] Cnæum, Magni filium, qui, ad Mundam victus, paulo poſt interfectus eſt. MANUTIUS.

7. *Paciæci*] L. Junii Paciæci, Hiſpani hominis, Romanâ civitate donati : quod prænomen & nomen indicant. IDEM.

8. *Tantundem*] Imperitè nonnulli ſcribunt, *Tantumdem*. Nam Priſcianus lib. I. admonet, *m* tranſire in *n*, ſequentibus *d*, *t*, *c*, *q*, ut *tam tandem*, *tantum tantundem*, *idem identidem*, *num nuncubi*. MANUT.

9. *Partus*] Ex partu Tulliam deceſſiſſe, Plutarchus auctor eſt. Bis igitur peperit, ſemel ante pugnam Pharſalicam, cùm in Græciam ad Pompeium Cicero iturus eſſet; ut epiſt. ult. lib. X. ad Att. iterum, cùm in Hiſpania Cæſar contra Pompeii liberos pugnaret: quod hic locus oſtendit. IDEM.

10. *Exigam primam penſionem*] Tertiam partem dotis, quæ primùm debebatur. Annua, bima, trima die numerabatur dos uxoris marito, hoc eſt, tribus penſionibus: & ſi divortium factum eſſet, eodem modo reddebatur. Vide not. ad M. Senecæ ſuaſor. I. J. F. GRONOVIUS.

Digitized by Google

gam primam pensionem: &, mehercule, non tam sum peregrinator jam, quàm solebam. Ædificia mea me delectabant, & otium. Domus est, quæ nulli villarum mearum cedat; otium, omni desertissimâ regione majus. Itaque ne literæ quidem meæ impediuntur, in quibus sine ulla interpellatione versor. Quare, ut arbitror, priùs hîc te nos, quàm istic tu nos videbis. Lepta suavissimus edificat Hesiodum: & habeat in ore,

[11] Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα.

11. Τῆς δ' ἀρετῆς] Ante virtutem, sudorem posuerunt dii immortales. *Hesiod.* Op. & Dier. vers. 289. Quòd non quatuor integros Hesiodi versus, sed primi partem scripsimus, in hoc etiam antiquorum codicum auctoritatem secuti sumus. Scimus præterea semper in his allegationibus Ciceronem brevem & concisum admodum esse, ut trium etiam dictionum proverbium non integrum quandoque adducat, nedum quatuor totos versus celebres & vulgatissimos recitaret. VICTOR.

CICERO LEPTÆ S. D.

MACULAM [1] officio [2] functum esse gaudeo. Ejus Falernum mihi semper idoneum visum est diversorio, si modò tecti satis est [3] ad comitatum nostrum recipiendum. Cæteroqui mihi locus non displicet, nec eâ re [4] Petrinum tuum deseram. Nam & villa, & amœnitas illa, commorationis est, non diversorii. De curatione aliqua [5] munerum regiorum, cum Oppio locu- 19

ARG. Cùm Cæsar ludos regionatim daturus esset, curationem eorum Lepta ambiebat, cui id Cicero dissuadet, diffisus, propter multitudinem intimorum, impetrari posse. *Anno* U. C. 708.

1. *Maculam*] Fortasse Pompeium Maculam, amatorem Faustæ, L. Syllæ filiæ: de quo Macrobius lib. II. Sat. MANUT.

2. *Officio functum*] Parando nobis (sic enim interpretandum videtur) hospitio. CORRAD.

3. *Ad comitatum nostrum*] Qui Cæsari ex Hispaniis redeunti ire obviam cogitamus. IDEM.

4. *Petrinum*] Villæ nomen, à vico Petrino, qui fuit in Sinuessano. Horatius epist. 15. lib. I. *Sinuessanúmque Petrinum.* MAN.

5. *Munerum regiorum*] Ludorum qui à Tarquinio rege instituti, modò Romani, modò Magni, modò etiam Circenses sunt appellati: sed nunc *regii* à Cicerone in Cæsaris invidiam dicuntur. Legitur tamen etiam *regionum*, ut cum Suetonio exponas, regionatim faciendorum. CORRAD. Et antiquus liber, & Suetonii testimonium, ipsa etiam sententia me hortatur, ut, *Regionum*, legam. Ludi enim significantur, quos Cæsar, superatis jam in Hispania Pompeii liberis, per singulas regiones dare cogitabat: id quod è Suetonii cognoscitur historia. Ac, ne quis, mentione à me regionum factâ, contradicendi occasionem arripiat, quòd ante Augustum divisa urbs non fuerit in regiones: moneo lectorem, urbis *regiones* hîc vocari quasdam urbis partes, licet earum certi fines nondum essent, qui postea statuti sunt ab Augusto, Italiam urbémque in regiones dividente. MAN.

Digitized by Google

locutus sum. Nam Balbum, postea quàm tu es profectus, non vidi; tantis pedum doloribus afficitur, ut se conveniri nolit. Omnino de tota re, ut mihi videtur, sapientiùs faceres, si non curares: quod enim eo labore assequi vis, nullo modo assequêre. Tanta est enim intimorum multitudo, ut ex his aliquis potiùs effluat, quàm novo sit aditus, præsertim qui nihil afferat præter operam: in qua ille se dedisse beneficium putabit, [6] si modò ipsum sciet; [7] non accepisse. Sed tamen aliquid videbimus [8] in quo sit species. Aliter quidem non modò non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me [9] Asturæ diutiùs arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat. Vale.

---

6. *Si modò ipsum sciet*] Te ludos curasse: quod ignorare potest, in tanta majorum rerum occupatione. Manut.

7. *Non accepisse*] Hoc ipsum Cicero monet lib. II. Off. *Qui se* (inquit) *locupletes, honoratos, & beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cùm ipsi quamvis aliquod magnum acceperint.* Ejusdem generis illud in epist. ad M. Antonium, lib. XIV. ad Attic. *Literæ tuæ sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere à te ita petente.* Idem.

8. *In quo sit species*] Id est, Victorio interpretante, dignitas & honestas. Vulgò *spes*, quod ex compendio scripturæ natum. Cellar. *In quo sit spes*: in hac enim curatione spes ponenda non est. Nam, quod eo labore assequi vis, nullo modo assequêre. Aliquid igitur videbimus, unde sperare liceat, in eorum numerum, qui Cæsaris intimi familiares sunt, posse te pervenire. Manut. Victorianam lectionem exprimunt Gebhardus & Grævius.

9. *Asturæ*] Epist. 38. ad Attic. lib. XIII. significat velle se Asturæ Cæsarem ex Hispania redeuntem expectare. Idem.

Cicero [1] Toranio S.

20 Dederam triduo antè pueris Cn. Plancii literas ad te. Eò nunc ero brevior, téque, ut antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quàm ibidem opperiri, quoad scire possis quid tibi agendum sit. Nam præter navigationis longæ, & hiemalis, & minimè portuosæ periculum, quod vitaveris; ne illud quidem [2] non quantivis, subitò, cùm certi

---

Arg. Toranius exul voluit Cæsarianis ex Hispania venturis occurrere, ut, captatâ illorum gratiâ, faciliùs Cæsari reconciliaretur: quod Cicero dissuadet, & manere jubet, ubi erat, quoad scire possit, quid agendum sit. Addit consolationem à communi calamitate, & recti conscientiâ. *Anno* U. C. 707.

1. *Toranio*] Toranius vir prætorius, paulo ante Ciceronem à Triumviris interfectus fuit. Corrad.

2. *Non quantivis*] Hoc sensu: Præter pericula & molestias quæ vitaris, commodum illud non parvum habendum est, sed tale ut magnifaciendum sit, subitò cùm certi aliquid audieris te istinc posse proficisci. Victor.

Digitized by Google

certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci. Nihil est cur [3] adventibus te offerre gestias. Multa præterea metuo, quæ cum Chilone nostro communicavi. Quid multa? Loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocunque opus erit, facillimè & expeditissimè conferas. Quòd [4] si recipiet ille se, ad tempus aderis. Sin (cùm multa accidere possunt) aliqua res eum vel impediet, vel morabitur, tu ibi eris, ubi omnia scire possis. Hoc mihi prorsus valde placet. De reliquo, ut te sæpe per literas hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod tibi timendum sit præter communem casum civitatis: qui etsi est gravissimus, tamen ita viximus, & id ætatis jam sumus, ut omnia, quæ non nostrâ culpâ nobis accidant, fortiter ferre debeamus. Hîc tui omnes valent, summáque pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura ut valeas, & te istinc ne temerè commoveas.

3. *Adventibus*] Ita Victorius, ex quo Grævius. Vulgò *advenientibus*.

4. *Si recipiet ille se*] Si Cæsar ex Hispania redibit. Hæc verba nondum Hispaniense bellum esse confectum demonstrant: quod è sequenti etiam epistola intelligitur. MANUTIUS.

CICERO TORANIO S.

ETSI, cùm hæc ad te scribebam, aut appropinquare exitus hujus calamitosissimi [1] belli, aut jam aliquid actum, & confectum videbatur, tamen quotidie [2] commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi: solósque nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo, spe pacis exclusâ, ipsa victoria futura esset acerbissima, quæ aut interitum allatura esset, si victus esses, aut [3] si vicisses, servitutem. 21

ARG. Toranium consolatur ex suo exemplo, qui, cùm antea idem quod ille sentiret, nihilque proficeret etiam rectis consiliis; moderatè nunc ferat quæ acciderant, ostendens, quantum levamen sit, rectè veréque sensisse: monétque, ut nihil de rebus suis, præterquam quod commune est, timeat. *Anno* U. C. 707.

1. *Belli*] Quod gerebatur in Hispania.

2. *Commemorabam*] Aliis, an sibi? sibi potiùs, & cogitatione, non voce. Quasi dixerit: memoriâ repetebam, in memoriam redigebam. MANUTIUS.

3. *Si vicisses, servitutem*] Injustos Dominos eramus habituri, Pompeium & paucos, quos ille audiebat: quanquam mallem, *si vicisses, interitum*, propter proscriptiones & cædes denuntiatas à Pompeianis: *aut si victus esses, servitutem*, nempe sub Cæsare, quod evenit. J. F. GRONOV.

Digitized by Google

tem. Itaque ego, quem tum fortes illi viri & ſapientes, Domitii & Lentuli, timidum eſſe dicebant (eram planè: timebam enim, ne evenirent ea quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem eventum paratus ſum. Cùm aliquid videbatur caveri poſſe, tum id negligi dolebam. Nunc verò, everſis omnibus rebus, cùm conſilio profici nihil poſſit, una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre moderatè: præſertim cùm omnium rerum mors ſit extremum: & mihi ſim conſcius, me, quoad licuerit, dignitati reipublicæ conſuluiſſe: &, hac amiſſâ, [4] ſalutem retinere voluiſſe. Hæc ſcripſi, non ut de me ipſe dicerem, ſed ut tu, qui conjunctiſſimâ fuiſti mecum & ſententiâ, & voluntate, eadem cogitares. Magna enim conſolatio eſt, cùm recordare, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen rectè veréque ſenſiſſe. Atque utinam liceat aliquando aliquo reipublicæ ſtatu nos frui, inter nóſque conferre ſollicitudines noſtras, quas pertulimus tum, cùm timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quæ facta ſunt. De tuis rebus nihil eſſe quod timeas, præter univerſæ reipublicæ interitum, tibi confirmo. De me autem ſic velim judices, quantum ego poſſim, me tibi, ſaluti tuæ, liberíſque tuis ſummo cum ſtudio præſtò ſemper futurum. Vale.

4. *Salutem*] Ipſius reip. cujus antea dignitas, bello autem civili ſalus etiam concidit. Significat illud tempus, cùm accipiendas, quas tulit Cæſar, conditiones cenſuit, ne reip. ſalus, quando jam dignitas amiſſa erat, in diſcrimen adduceretur. Manut.

Cicero Domitio.

22 Non ea res me deterruit, quo minùs, poſtea quàm in Italiam veniſti, literas ad te mitterem, quòd tu ad me nullas miſeras: ſed quia nec quid tibi pollicerer, ipſe egens rebus omnibus, nec quid ſuaderem, cùm mihimet ipſi conſilium deeſſet, nec quid conſolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Hæc quanquam nihilo meliora ſunt, nunc etiam atque etiam

Arg. Cn. Domitium, L. F. qui poſt pugnam in Theſſalia ab armis receſſerat, ſeriùs tamen quàm Cicero, ſpe veniæ impetrandæ, & venerat in Italiam; orat, ut cùm reip. jam ſatisfecerit, incolumitati ſuæ conſulat, & amicorum deſiderium, quos belli caſus eripuerat, æquo, ſaltem forti ferat animo. *Anno* U. C. 707.

Digitized by Google

etiam multò desperatiora; tamen inanes esse meas literas, quàm nullas, malui. Ego si te intelligerem [1] plus conatum esse suscipere reipublicæ causâ muneris, quàm quantùm præstare potuisses, tamen, quibuscunque rebus possem, ad eam conditionem te vivendi, quæ daretur, quǽque esset, hortarer. Sed cùm consilii tui bene fortitérque suscepti, eum tibi finem statueris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse voluisset; oro, obtestórque te pro vetere nostra conjunctione ac necessitudine, próque summa mea in te benevolentia, & tua in me pari, te ut nobis, [2] parenti, conjugi, tuísque omnibus, quibus, es, fuistíque semper carissimus, salvum conserves, incolumitati tuæ, tuorúmque, qui ex te pendent, consulas: quæ didicisti, quǽque ab adolescentia pulcherrimè à sapientissimis viris tradita, memoriâ & scientiâ comprehendisti, his hoc tempore utare: quos conjunctos summâ benevolentiâ plurimísque officiis amisisti, eorum desiderium si non æquo animo, at forti feras. Ego quid possim nescio, vel potius me parum posse sentio: illud tamen tibi polliceor, me, quæcunque saluti dignitatíque tuæ conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper tu & studio, & officio, in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatem ad matrem tuam, optimam fœminam, tuíque amantissimam, detuli. Si quid ad me scripseris, ita faciam, ut te velle intellexero. Sin autem tu minùs scripseris, ego tamen omnia, quæ tibi utilia esse arbitrabor, summo studio, diligentérque curabo. Vale.

---

1. *Plus conatum esse*] Plus conatus esset muneris suscipere reipubl. causâ, quàm præstare posset, si post pugnam Pharsalicam bellum cum aliis renovare voluisset. Quod non fecit, desperatâ victoriâ. MANUT.

2. *Parenti*] Porciæ, M. Catonis sorori.

EPISTO-

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER VII.

M. CICERO M.[1] MARIO S.D.

I SI te dolor [2] aliqui corporis, aut infirmitas valetudinis tuæ tenuit, quo minùs ad ludos venires, fortunæ magis tribuo, quàm ſapientiæ tuæ. Sin hæc, quæ cæteri mirantur, contemnenda duxiſti, & cùm per valetudinem poſſes, venire tamen noluiſti; utrumque lætor, & ſine dolore corporis te fuiſſe, & animo valuiſſe, cùm ea, quæ ſine cauſa mirantur alii, neglexeris: modò ut tibi conſtiterit fructus otii tui, quo quidem tibi perfrui mirificè licuit, cùm eſſes in iſta amœnitate penè ſolus relictus. Neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi [3] Stabianum [4] perforaſti,

ARGUMENTUM. Ludos deſcribit à Pompeio ſecundo conſulatu editos, quos quòd Marius abſens non ſpectaverit, eidem gratulatur. Se quoque hujus generis vanitatibus non capi, & inter ludos Caninii cauſam egiſſe narrat, cujus occaſione dimiſſionem ſibi ex foro optat, ut liberè poſſit in villis & cum Mario vivere. *Anno* U. C. *698*.

1. *Mario*] Arpinati: quod illa indicant verba; *Cùm Oſcos ludos vel in ſenatu noſtro ſpectare poſſis. Marium Gratidium* nonnulli vocant, ut ſit Gratidius ille, qui legatus fuit Q. Ciceronis. Quod falſum puto. Non enim & Mariæ gentis & Gratidiæ idem poteſt eſſe. Aut igitur non is eſt: aut, ſi eſt, *Marius Gratidianus* appellari debet: ut epiſt. 1. lib. I. ad Q. Fr. MANUTIUS.

2. *Aliqui*] Pro *aliquis*: ἀρχαϊκῶς.

3. *Stabianum*] Plinius lib. III. cap. 5. *In Campano*, inquit, *agro Stabiæ oppidum fuere uſque ad Cn. Pompeium & L. Catonem coſſ. pridie Cal. Maii: quo die L. Sylla legatus bello ſociali id delevit: quod nunc in villas abiit.* MANUTIUS.

4. *Perforaſti*] Proſpectum in Stabianum agrum aperuiſti. IDEM.

Digitized by Google

forasti, & patefecisti [5] Sejanum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris: cùm illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communes mimos [6] semisomni. Reliquas verò partes diei tu consumebas his delectationibus, quas tibi ipse ad arbitrium tuum comparâras: nobis autem erant ea perpetienda, quæ scilicet Sp. [7] Mæcius probavisset. Omnino, si quæris, ludi apparatissimi, sed non tui stomachi. Conjecturam enim facio de meo. Nam primùm [8] honoris causâ in scenam redierant ii, quos ego honoris causâ de scena decessisse arbitrabar. Deliciæ verò tuæ noster Æsopus ejusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is jurare cùm cœpisset, vox eum defecit in illo loco, [9] *Si sciens fallo.* Quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos ludos. Quid? ne id quidem lepôris habuerunt, quod solent mediocres ludi. Apparatûs enim spectatio tollebat omnem hilaritatem: quo quidem apparatu non dubito quin animo æquissimo carueris. Quid enim delectationis habent [10] sexcenti muli in Clytæmnestra? aut [11] in Equo Trojano [12] craterarum tria millia? aut armatura varia peditatûs & equitatûs

5. *Sejanum*] Nomen vicini prædii, sed unde sit, incertum. Mirè etiam in nomine libri variant. CELLAR.

6. *Semisomni*] Vel quia nihil novum spectarent: vel etiam, quia matutino tempore. Nam verbum *interea*, ad matutina referri tempora satis constat. Ut eos dicat matutina tempora spectandis communibus mimis consumpsisse, quæ Marius multo & sapientiùs & jucundiùs legendo traducebat. MANUT.

7. *Mæcius*] Qui poemata à mimis in scena recitanda priùs judicabat. Est enim hic, ut opinor, P. Mæcius Tarpa, de quo Horatius in epistola ad Pisones: *Si quid tamen olim Scripseris, in Mæci descendat judicis aures, Et patris, & nostras.* Quo loco inquit Porphyrio: *Mæcius perdiligens carminum fuit æstimator.* IDEM.

8. *Honoris causâ*] Ut ludos Pompeii honorarent, mimi veteres in scenam redierant, qui antea, ne quid ætatis vitio peccarent, in scena agere desierant. In his Galeria Copiola Emboliaria significatur, de quâ Plinius lib. VII. cap. 48. *Reducta est,* inquit, *in scenam, C. Poppæo, Q. Sulpicio coss. ludis pro salute divi Augusti votivis, annum CIV. agens: quæ producta fuerat tirocinio à M. Pomponio ædili pl. C. Mario, Cn. Carbone coss. ante annos XCI. & à Magno Pompeio, magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta.* IDEM.

9. *Si sciens fallo*] Hoc enim erat carmen jurantis per Jovem lapidem. CORRAD.

10. *Sexcenti*] Numerus finitus pro infinito. *Muli:* Troicâ prædâ onusti. Nam in Clytæmnestra, Attii Poetæ tragœdia, ut ex Nonio cognoscitur, reditus ostendebatur Agamemnonis in patriam ab excisa Troja. MANUT.

11. *In Equo Trojano*] Tragœdia Livii Andronici. Nominatur & epist. 16. lib. VII. IDEM.

12. *Craterarum*] Quid crateræ in equo Trojano? Fortè ut heroes Achivi in isto carcere lætiùs se iis invitarent, aut, ne captâ Trojâ, cùm diis esset libandum, crateras desiderarent? Nugæ. Præterea equus Trojanus nullâ prædâ fuit onustus. Josephus Scaliger legi volebat *arcerarum;* quod laudat

tatûs [13] in aliqua pugna? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. Quod si tu per eos dies operam dedisti [14] Protogeni tuo, dummodo is tibi quidvis potiùs, quàm orationes meas legerit; næ tu haud paulo plus, quàm quisquam nostrûm, delectationis habuisti. Non enim te puto [15] Græcos, aut Oscos ludos desiderasse: præsertim cùm Oscos ludos [16] vel in senatu nostro spectare possis: Græcos ita non ames, ut ne [17] ad villam quidem tuam viâ Græcâ ire soleas. Nam quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? in quibus ipse Pompeius confitetur se & [18] operam & oleum perdidisse. Reliquæ sunt venationes binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat: sed quæ potest [19] homini esse polito delectatio, cùm aut homo imbecillus à valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transverberatur? Quæ tamen, si videnda sunt, sæpe vidisti: neque nos, qui hæc spectavimus, quidquam novi vidimus. Extremus [20] elephantorum dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turbæ, delectatio nulla extitit. Quin etiam [21] misericordia quædam consecuta est, atque opinio ejusmodi, esse quandam illi belluæ

laudat Lambinus. Sed quis credat currus equo fuisse inclusos? Prim. Græv. *creterarum*, Amstelodam. *createrarum*. Lege, *cetrarum*. Cetræ sunt clypei exsecti ex corio elephantino, quibus variæ gentes utebantur, Hispani, præcipuè & Afri, aliique. Hinc *cetratæ cohortes* apud Cæs. cetris armatæ. Hæ *cetræ* quoniam tum temporis raræ erant Romæ, tantam vim earum secum advexit Pompeius, ut omnes ex equo Trojano Livii Andronici prodeuntes tali clypeo fuerint instructi, quod magnificentiam fabulæ auxit. Hæc mea de hoc loco est sententia, quam spero doctis & acutis viris me probaturum. Græv.

13. *In aliqua pugna?*] Pro *aliqua* videtur legendum *Iliaca*, vel *Attica*, vel aliquid tale, ut rectè Anton. Augustinus conjecit. Ursin.

14. *Protogeni*] Anagnostæ, sive lectori.

15. *Græcos aut Oscus*] Nam hos quoque Pompeius dedit suâ quosque linguâ. Similiter Brutus prætor XVI. Att. 5. *commissione Græcorum frequentiam non fuisse*. Sueton. Oct. 45. *nullique Græco certamini interfuit, quo non &c.* Sueton. Jul. 39. *Ludos regionatim urbe totâ, & quidem per omnium linguarum histriones*. Osci vetus gens Campaniæ, & vicinæ regionis. Tacit. IV. An. 14. *Oscum quondam ludicrum levissimæ apud vulgum oblectationis, quas alioquin Atellanas vocant*. Liv. VII. 2. & *Atellanum exodium*. Suet. Tib. 45. Cal. 27. Galb. 13. Gronov.

16. *Vel in senatu nostro*] Arpini (unde ortus erat Cicero, & ab inimicis *municeps Arpinas* vocabatur) inter decuriones ubi erant reliquiæ Oscorum: non quòd in Senatu agerentur fabulæ, sed quia ei consilio interveniebant Osci, hoc est, Oscorum posteritas, (homines in veterum Oscorum sedibus habitantes.) Ipsam eorum consultationem de rebus non magnis *ludos* vocat. Idem.

17. *Ad villam quidem tuam viâ Græcâ*] Jocus elegans. Erat ibi viæ publicæ pars, quæ vocabatur via Græca, octo stadiorum, quam Hercules muniisse credebatur. Eam vitabat Marius, quòd quacunque de causâ parum

belluæ cum genere humano societatem. His ego tamen diebus, [22] ludis scenicis, ne fortè videar tibi non modò beatus, sed liber omninò fuisse, dirupi me penè in judicio Galli Caninii, familiaris tui. Quòd si tam facilem populum haberem, quàm Æsopus habuit, libenter mehercule artem desinerem; tecúmque, & cum similibus nostri viverem. Nam me cùm antea tædebat, cùm & ætas & ambitio me hortabantur, & licebat denique, quem nolebam, non defendere; tum verò hoc tempore vita nulla est. Neque enim fructum ullum laboris ex his expecto: & cogor nonnunquam homines non optimè de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere. Itaque quæro causas omnes aliquando vivendi arbitratu meo; téque & istam rationem otii tui & laudo vehementer, & probo; quódque nos minùs intervisis, hoc fero animo æquiore, quòd, si Romæ esses, tamen neque nos lepôre tuo, neque te (si quis est in me) meo frui liceret, propter molestissimas occupationes meas: quibus si me relaxaro, (nam ut planè [23] exsolvam, non postulo) te ipsum, qui multos annos nihil aliud commentaris, doce-

parum commoda esset. Id calumniatur lepidè Cicero, quasi id faceret odio Græcorum. IDEM.

18. *Operam & oleum*] Laborem & sumptum. Oleo enim ungebantur athletarum corpora. Id primò dictum in una re, de athletis scilicet, qui labore & sumptu exercitati, mox interdum parum probarentur; deinde ad omnia similia translatum est, in quibus & operæ & sumptûs jacturam factam esse constaret. Plautus in Pœn. *Et oleum & operam perdidi.* MANUT.

19. *Homini... polito*] Mediceus sanè liber, & Petrarchæ manu (ut putant) scriptus, hanc lectionem retinent, quæ non video cur rejici debeat: est enim elegans & huic loco valde accommodata. Tantæ autem hi apud me auctoritatis sunt, &, nisi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut testimonio duorum illorum magis credam, quàm reliquorum omnium. VICTOR. *Politico*, mavult Manutius: sed, opinor, non ita bene. OLIVETUS.

20. *Elephantorum*]. Quos XX. ut Plinius ait, vel, ut Dio, XVIII. Pompeius in Circo dedit. MANUTIUS.

21. *Misericordia quædam*] *Quædam*, dixit, quia propriè miseremur nostri similium, non brutorum. Causam hujus misericordiæ Plinius exponit his verbis lib. VIII. cap. 7. *Amissâ fugæ spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, dirásque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.* Eadem fere Dio. Plutarchus hanc rem breviter attigit. IDEM.

22. *Ludis scenicis*] Vereor ne duæ illæ dictiones *ludis scenicis* vacent, & Ciceronis non sint, sed declaratio quondam fuerint prioris illius partis, quæ postea ab imperitis librariis temerè huc inculcata sit. VICTORIUS.

23. *Exsolvam*] Non omnino occupationibus expediri, sed impediri minùs vult. Plus enim, *Exsolvere*, quàm *Relaxare*; contraria verò, *Relaxare*, & *Adstringere*, ut epist. 6. ad Att. lib. XVI. *Pater, quidquid ego adstrinxi, relaxat.* MANUT.

Digitized by Google

docebo profectò, quid sit humaniter vivere. Tu modò istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta & tuere, ut facis, ut nostras villas obire, & mecum simul lecticulâ concursare possis. Hæc ad te pluribus verbis scripsi, quàm soleo, non otii abundantiâ, sed amoris erga te, quod me quâdam epistolâ subinvitaras, si memoriâ tenes, ut ad te aliquid hujusmodi scriberem, quo minùs te prætermisisse ludos pœniteret. Quod si assecutus sum, gaudeo: sin minùs, hoc me tamen consolor, quòd posthac ad ludos venies, nósque vises, neque in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuæ. Vale.

M. T. C. M. Mario S. D.

2 Mandatum tuum curabo diligenter. Sed homo acutus, ei mandasti potissimùm, cui expediret, illud venire quàm plurimo. Sed eò vidisti multum, quòd præfinisti, quò ne pluris emerem. Quòd si mihi permisisses, qui meus amor in te est, confecissem cum cohæredibus. Nunc, cùm tuum pretium novi, [1] licitatorem potiùs apponam, quàm illud minoris væneat. Sed de joco satis est. Tuum negotium agam, sicuti debeo, diligenter. [2] De Bursa te gaudere certo scio: sed nimis verecundè mihi gratularis. Putas enim, ut scribis, propter hominis sordes minùs me magnam illam lætitiam putare. Credas mihi velim, magis me judicio hoc, quàm morte [3] inimici, lætatum. Primùm enim judicio malo, quàm gladio; deinde gloriâ potiùs amici, [4] quàm calamitate. In primísque me delectavit,

Arg. Emptionis negotium, sibi mandatum, post jocos, (nam & ipse inter heredes bonorum erat, quæ emi volebat Marius) diligenter se curaturum dicit. Deinde respondet gratulationi de Planco Bursa, qui, Cicerone accusante, damnatus fuerat, quo judicio quantum lætetur, significat, & Marium quoque gaudere jubet. A. U. C. 701.

1. *Licitatorem*] Subornabo (jocatur) qui licitando pretium extendat, ne viliùs vendatur. Cellar.

2. *De Bursa*] Hic est T. Munatius Plancus Bursa, frater L. Planci oratoris, ad quem sunt Ciceronis epistolæ lib. X. Tribunus pleb. anno proximo acerbissimis concionibus in invidiam rapere Milonem Ciceronemque conatus erat: eóque incitante plebs curiam incenderat. Quo crimine anno sequenti, statim post depositum magistratum, lege Pompeiâ de vi damnatus est. Epist. 1. lib. VIII. & Plutarchus in Pompeio & Catone, Dio lib. XL. & Pedianus. Restitutus à Cæsare post victum Pompeium. Qua de re Phil. 13. Manut.

3. *Inimici*] Clodii. Idem.

4. *Quàm calamitate*] Non tanti mihi est inimi-

vit, tantum studium bonorum in me extitisse contra incredibilem contentionem [5] clarissimi & potentissimi viri. Postremò, vix verisimile fortasse videatur, oderam multo pejus hunc, quàm illum ipsum Clodium. Illum enim oppugnaram, hunc defenderam: & ille, cùm omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectavit: nec suâ sponte, sed eorum auxilio, qui, me stante, stare non poterant: hic simiolus, animi causâ, me, in quem inveheretur, delegerat: persuaserátque nonnullis invidis meis, se in me [6] emissarium semper fore. Quamobrem valde jubeo gaudere te. Magna res gesta est. Nunquam ulli fortiores cives fuerunt, quàm qui ausi sunt eum contra tantas opes ejus, à quo ipsi lecti judices erant, condemnare. Quod fecissent nunquam, nisi iis dolori meus fuisset dolor. Nos hîc in multitudine, & celebritate judiciorum, & novis legibus ita distinemur, ut quotidie vota faciamus [7] ne intercaletur, ut quàm primùm te videre possimus.

inimicorum exitium, ut eos perditos velim cum amicorum calamitate. Quod accidit in Clodio. Eum enim occidit Milo, & eo crimine calamitatem subiit exilii. MANUT.

5. *Clarissimi*] Pompeii. IDEM.

6. *Emissarium*] Qui meorum invidorum arbitrio & voluntate in me emitteretur, similitudine locorum, quibus, cùm volumus, aqua emittitur. Epist. 18. lib. XVI. IDEM.

7. *Ne intercaletur*] Ne dierum interpositione tempus protrahatur. Indicat hic locus, pontifices intercalare solitos arbitratu suo. Nam si annus hic esset intercalaris ex instituto Numæ, frustrà Cicero vota faceret, ne intercalaretur. Metuebat igitur, ne intercalaretur extra ordinem. IDEM.

M. CICERO M. MARIO S. D.

PERSÆPE mihi cogitanti de communibus miseriis, in quibus tot annos versamur, & (ut video) versabimur, solet in mentem venire illius temporis, quo proximè fuimus unà: quin etiam ipsum diem memoriâ teneo. Nam a. d. III. idus Maias, Lentulo, & Marcello consulibus, cùm in Pompeianum vesperi venissem, tu mihi sollicito animo præstò fuisti. Sollicitum autem te habebat cogitatio, cùm officii, tum etiam periculi 3

ARG. Ut discessum suum civili bello post pugnam Pharsalicam excusaret, quem vituperatores reprehendebant; totam causam belli recenset, ut appareat, quibus adductus rationibus à continuando bello abstinuerit. Scripta post bellum Africanum, *Anno* U. C. 707.

culi mei. Si manerem in Italia, verebare, ne officio deessem: si proficiscerer ad bellum, periculum te meum commovebat. Quo tempore vidisti profectò me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid esset optimum factu. Pudori tamen malui, famæque cedere, quàm salutis meæ rationem ducere. Cujus me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter vitia multa, quæ ibi offendi quò veneram. Primùm neque magnas copias, neque bellicosas: deinde, extra ducem, paucósque præterea, (de principibus loquor) reliqui primùm in ipso bello rapaces: deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem: maximum autem æs alienum amplissimorum virorum. Quid quæris? nihil boni præter causam. Quæ cùm vidissem, desperans victoriam, primùm cœpi suadere pacem, cujus fueram semper auctor; deinde, cùm ab ea sententia Pompeius valde abhorreret, suadere institui, ut bellum [1] duceret. Hoc interdum probabat, & in ea sententia videbatur fore, & fuisset fortasse, nisi [2] quadam ex pugna cœpisset suis militibus confidere. Ex eo tempore vir ille summus, [3] nullus imperator fuit. [4] Signa tirone & collectitio exercitu cum legionibus robustissimis contulit. Victus turpissimè, amissis etiam castris, solus fugit. Hunc ego belli mihi finem feci, nec putavi, cùm integri pares non fuissemus, fractos superiores fore. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscenda mors voluntaria. Certè nihil fuit præterea, si te victori nolles, aut non auderes committere. Ex omnibus autem iis, quæ dixi, incommodis, nihil tolerabilius exilio, præsertim innocenti, ubi nulla adjuncta est turpitudo: addo etiam, cùm eâ urbe careas, in qua nihil sit, quod videre possis sine dolore. Ego cum meis, (si quidquam nunc cujusquam est) etiam in meis esse malui. Quæ acciderunt, omnia dixi futura.

Veni

1. *Duceret*] Lentè gereret, præliorum aleæ non committeret. CELLAR.

2. *Quadam ex pugna*] Ad Dyrrachium factâ, in qua Pompeius ipse Imperator fuit appellatus. CORRAD.

3. *Nullus imperator*] Quia negligebat victoriâ uti, nec territum Cæsaris exercitum extemplo persequebatur. CELLARIUS.

4. *Signa contulis*] In Thessalia ad Pharsalum. CORRADUS.

Digitized by Google

Veni domum, non quò optima vivendi conditio eſſet: ſed tamen, ſi eſſet aliqua forma reipublicæ, tanquam in patria ut eſſem: ſi nulla, tanquam in exilio. Mortem mihi cur conſciſcerem, cauſa nulla viſa eſt; cur optarem, multæ cauſæ. Vetus eſt enim, *Ubi non ſis qui fueris, non eſſe cur velis vivere.* Sed tamen vacare culpâ magnum eſt ſolatium: præſertim cùm habeam duas res, quibus me ſuſtentem, optimarum artium ſcientiam, & [5] maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Hæc ad te ſcripſi verboſiùs, & tibi moleſtus fui, quòd te, cùm mei, tum reipublicæ cognovi amantiſſimum. Notum tibi omne meum conſilium eſſe volui, ut primùm ſcires, me nunquam voluiſſe plus quemquam poſſe, quàm univerſam rempublicam: poſtea autem quàm alicujus culpâ tantum valeret unus, ut obſiſti non poſſet, me voluiſſe pacem: amiſſo exercitu, & eo duce, in quo ſpes fuerat uno, me voluiſſe etiam [6] reliquis omnibus; poſtquam non potuerim, mihi ipſi finem feciſſe belli. Nunc autem, ſi hæc civitas eſt, civem eſſe me; ſi non, exulem eſſe non incommodiore loco, quàm ſi Rhodum, aut Mitylenas contuliſſem. Hæc tecum coràm malueram, ſed quia longius fiebat, volui per literas eadem: ut haberes quid diceres, ſi quando in vituperatores meos incidiſſes. Sunt enim, qui, cùm meus interitus nihil fuerit reipublicæ profuturus, criminis loco putent eſſe, quòd vivam. Quibus ego certò ſcio non videri ſatis multos periſſe: qui ſi me audiſſent, quamvis iniquâ pace, honeſtè tamen viverent. Armis enim inferiores, non cauſâ fuiſſent. Habes epiſtolam verboſiorem fortaſſe, quàm velles: quod tibi ita videri putabo, niſi mihi longiorem remiſeris. Ego, ſi quæ volo expediero, brevi tempore te, ut ſpero, videbo. Vale.

M. T.

---

5. *Maximarum*] Ita Vict. Man. Lamb. Sed Gruterus, ex quo deinde Grævius, & Cellarius, *maximam*. Neque tamen dicunt cur prius illud mutaverint. Si conjectura tantùm, minùs placet. OLIVETUS.

6. *Reliquis omnibus*] Scilicet finem belli feciſſe, non tantùm mihi. Cicero enim poſt Pharſalicam cladem ſuaſit omnibus, ut tempori ſervirent, neque repararent bellum. CELLARIUS.

Digitized by Google

M. T. C. M. Mario S. D.

4 Ante diem IX. kal. in Cumanum veni cum Libone tuo, vel nostro potiùs. In Pompeianum statim cogito. Sed faciam antè te certiorem. Te cùm semper valere cupio, tum certè [1] dum hîc sumus. Quare [2] si quod constitutum cum podagra habes, fac ut in alium diem differas. Cura igitur, ut valeas: & me hoc biduo aut triduo expecta.

Arg. Præmonet Marium de adventu suo in Pompeianum. *Anno* U. C. 707.

1. *Dum hîc sumus*] Quidam addunt: *Vides enim quanto pòst unà futuri simus*: quæ neque in melioribus membranis leguntur, neque cum cæteris cohærent. Cellar.

2. *Si quod constitutum*] Bene J. F. Gronovius eos refellit, qui *constitutum cum podagra* putant esse propositum de podagra curanda. Qui enim cupit aliquem valere, quomodo auctor est illi in morbo curationis differendæ? Jocatur hîc suo more Cicero. Habere constitutum cum aliquo, est condixisse, vel, ut vulgò loquuntur, *assignasse* locum & diem conveniendi. Constitutum, inquit Manutius, est verbum juris. Anonym.

Cicero Cæsari Imper. S. D.

5 Vide, quàm mihi persuaserim, te me esse alterum, non modò in his rebus, quæ ad me ipsum, sed etiam in iis, quæ ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, [1] quocunque exirem, mecum ducere, ut eum meis omnibus studiis, beneficiis quàm ornatissimum domum reducerem. Sed postea quàm & Pompeii [2] commoratio diuturnior erat, quàm putaram, & mea quædam tibi non ignota [3] dubitatio, aut impedire profectionem meam videbatur, aut certè tardare, vide, quid mihi sumpserim. Cœpi velle, ea Trebatium expectare à te, quæ sperasset à me. Neque mehercule minùs ei prolixè de tua voluntate

Arg. C. Trebatium Testam, jurisconsultum, familiarem suum, Cæsari Galliarum proconsuli diligentissimè commendat. *Anno* U. C. 699.

1. *Quocunque exirem*] Tanquam legatus Pompeii, in Hispaniam forsan: quod hinc interpretes eliciunt. Adde hujus libri epist. 17. Cellar. Vide item epistolam 14. lib. II. ad Q. Fratrem.

2. *Commoratio*] Ad urbem. Nunquam enim Pompeius ivit in provinciam: quæ belli civilis origo fuit. Epist. 6. lib. VI. *Eundum in Hispaniam censui. Quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset.* Manut.

3. *Dubitatio*] Verebatur, ne Clodius absenti negotium facesseret. Eadem legatio significatur epist. ult. lib. V. ad Att. & epist. 1. lib. III. ad Q. Fr. Idem.

Digitized by Google

tate promisi, quàm eram solitus de mea polliceri. Casus vero mirificus quidam intervenit, quasi vel testis opinionis meæ, vel sponsor humanitatis tuæ. Nam cùm de hoc ipso Trebatio cum [4] Balbo nostro loquerer accuratiùs domi meæ, literæ mihi dantur à te, quibus in extremis scriptum erat, M. ORFIUM, *quem mihi commendas, vel regem Galliæ faciam,* [5] *vel hunc Leptæ delega. Si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem.* Sustulimus manus & ego & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio meâ sponte, pòst autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Cæsar, sic velim omni tuâ comitate complectare, ut omnia, quæ per me possis adduci ut in meos conferri velis, in unum hunc conferas: de quo tibi homine hæc spondeo, non illo vetere verbo meo, quod, cùm ad te [6] de Milone scripsissem, jure lusisti: sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur: probiorem hominem, meliorem virum, pudentiorem esse neminem. Accedit etiam, [7] quod familiam ducit, in jure civili singularis memoria, summa scientia. Huic ego neque tribunatum, neque præfecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam & liberalitatem peto: neque impedio, quo minùs, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolæ insignibus. Totum denique hominem tibi ita trado de manu (ut aiunt) in manum tuam istam, & victoriâ & fide præstantem. Si-

 mus

4. *Balbo*] Hic est L. Cornelius Balbus, Gaditanus, Cæsaris & Ciceronis amicissimus, pro quo extat oratio. MANUT.

5. *Vel hunc Leptæ delega*] Vereor sanè, ne in his verbis mendum sit: nihil tamen ausim immutare. VICTORIUS. *Leptæ delega* bono sensu mihi scriptum videtur, ut dicat jocans, tam divitem fore propediem eum hominem ipsum, ut creditori suo Leptæ Cicero qui solvat delegare possit: id enim est delegatione solvere. Nam is qui tuâ causâ à me ditatus fuerit, tibi debebit, ut tuum æs alienum solvere debeat; aut dicit, nisi hoc faciam, eum delega & commenda non mihi Imperatori, sed Leptæ. TURNEB. Ego nullâ propemodum licentiâ scribo: *vel Leptide Legatum.* Cùm enim Leptis non nobilissima tantùm omnium eo tempore Africæ urbium, sed & colonia Julia fuerit, credibile est, Cæsarem eam potissimum delegisse, in qua ejus regionis præfecti sedem atque domicilium suum collocarent. J. RUTGERSIUS. Var. Lect. I. 5.

6. *De Milone*] Hoc anno P. Clodium nondum occiderat Milo. Quâ porro in causâ eum Cæsari Cicero commendaverit, suspicari difficile est. MANUTIUS.

7. *Quod familiam ducit*] Id est, quæ in ejus laudibus ita prima sunt, ut quasi familiam ducere & excellere videantur. Translatio ab iis, qui cæteros ducunt, quia potestate, aut honore, scientiâve antecellunt. IDEM.

Digitized by Google

mus enim [8] putidiusculi, quàm per te vix licet: verùm, ut video, licebit. Cura, ut valeas, & me, ut amas, ama.

8. *Putidiusculi*] Excusat se, quòd in Trebatio commendando plura verba consumpserit, quàm Cæsaris humanitas patiatur. *Putidum* appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi possit, ut de Orat. lib. III. *Nolo exprimi literas putidiùs, nolo obscurari diligentiùs.* Vidi scriptum in quibusdam antiquis libris, *Blandiusculi*: sed in plerisque, *Putidiusculi*: quod magis probo. Et fortasse, *Blandiusculi*, glossema fuit. MAN. Alii, *impudentiusculi*. GEBHARD.

CICERO TREBATIO S. D.

6 IN omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem, aut ad Balbum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ, nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meæ erga te benevolentiæ. Tu modò ineptias istas, & desideria urbis & urbanitatis depone: & quo consilio profectus es, id assiduitate & virtute consequere. Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignoverunt [1] Medeæ, [2] *quæ Corinthum arcem altam* [3] *habebant matronæ opulentæ, optimates*: quibus [4] illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio illæ verterent, quòd abesset à patria. *Nam multi suam rem bene gessere, & publicam, patriâ procul. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.* Quo in numero tu certè fuisses, nisi te extrusissemus. Sed plura scribemus aliàs. Tu qui cæteris cavere didicisti, [5] in Britannia

ARG. Trebatium desiderium urbis impatienter ferentem, hortatur ut maneat in provincia, laborétque, ut consequatur, cujus causâ profectus fuerat. *Anno* U. C. 699.

1. *Medeæ*] Medeam cum viro suo Jasone Corinthum exulem devenisse demonstrat hic locus; & ex ipsa, quæ extat Euripidis tragœdia cognoscitur. MANUTIUS.

2. *Quæ Corinthum*] Nemo non videt poetæ cujusdam verba esse, & quia *Medeæ* mentio infertur, ex Ennii Medeâ deprompta esse. Victorius, Muretus, Manutius ex iis demum verbis, *Nam multi suam rem*, incipiunt versus investigare ac metiri, sed aliter atque aliter singuli. CELLAR.

3. *Habebant*] Pro, *habitabant*. Plautus in Bacchidibus: *Quis istic habet?* MANUT.

4. *Illa manibus gypsatissimis*] Illa, ut persona Comica, manibus gypso, ut candidiores essent, illitis gubernans vocem, ut Petron. cap. 87. J. F. GRONOV. Sam. Petitus, in comment. ad Leges Atticas, vult mendum esse in *manibus*, pro quibus, ductu Pollucis IV. 15. primus ille legit, *III. anibus*: ut sensus sit, in Medea Euripidis Corinthiacas matronas opulentas & primarias fuisse, quibus *tribus anibus gypsatissimis*, id est, canis non solùm, sed & albo colore candentibus, Medea persuaserit, non esse sibi vitio vertendum, quòd absit à patria.

5. *In Britannia*] Ivisse Trebatium, vel iturum cum Cæsare in Britanniam, Cicero arbitrabatur. Non ivisse constat ex epist. 10. & 14. hujus libri. MANUT.

Digitized by Google

tannia ne ab [6] essedariis decipiaris, caveto: & quando Medeam agere cœpi, illud semper memento, [7] *Qui ipsi sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit.* Cura ut valeas.

6. *Essedariis*] Militibus Britannicis, ex essedis pugnantibus. CORRAD.

7. *Qui ipse*] Carmen Eurip. vide in ep. 15. lib. XIII. unde hoc Ennius transtulit. IDEM.

CICERO TREBATIO.

EGo te commendare non desisto; sed quid proficiam, ex te scire cupio. Spem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentissimè & sæpissimè scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties à Quinto mihi fratre afferuntur. In Britannia nihil esse audio, neque auri, neque argenti. Id si ita est, essedum aliquod suadeo capias, & ad nos quàm primùm recurras. Sin autem sine Britannia tamen assequi, quod volumus, possumus; perfice ut sis in familiaribus Cæsaris. Multùm te in eo frater adjuvabit meus, multùm Balbus: sed, mihi crede, tuus pudor & labor plurimùm. Imperatorem liberalissimum, ætatem opportunissimam, commendationem certè singularem habes: ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare. Vale. 7

ARG. Studium suum in commendando significat, monet ut Cæsari operam det, ab eóque expectet omnia. *Anno* U. C. *699.*

CICERO TREBATIO.

SCRIPSIT ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certè fore: cui quidem ego rescripsi, quàm mihi gratum esset futurum, si quàm plurimùm in te studii, officii, liberalitatis suæ contulisset. Sed ex tuis literis cognovi præproperam quandam festinationem tuam, & simul sum admiratus, cur [1] tribunatûs commoda, dem- 8

ARG. Ex Cæsaris literis & sua responsione honarat; & modestè reprehendit Trebatium, quòd tribunatum recusaverit. *Anno* U. C. *699.*

1. *Tribunatûs*] Militum: quem Cæsar honorem, cum vacatione militarium onerum, Trebatio detulerat. Est autem, ut diximus jam, in

Digitized by Google

dempto præsertim labore militiæ, contempseris. Querar cum [2] Vacerra & Manilio: nam Cornelio [3] nihil audeo dicere, cujus tu periculo stultus es, cùm te ab eo sapere didicisse profiteris. Quin tu urges istam occasionem & facultatem, quâ melior nunquam reperietur? Quod scribis [4] de illo Preciano jureconsulto, ego te ei non desino commendare. Scribit enim ipse mihi, te sibi gratias agere debere. De eo quid sit, cura ut sciam. Ego vestras literas Britannicas expecto.

in castris prima dignitas consulis, altera legatorum, tertia tribunorum militum, quarta præfectorum equestrium turmarum, quinta centurionum, deinceps minorum ordinum. MAN.

2. *Vacerra*] Cognomen est Romanæ familiæ. Accusabo te, inquit, apud amicos tuos. Videntur fuisse jurisconsulti, Vacerra, Manilius, Cornelius: ut infrà cognoscitur epist. 9. IDEM.

3. *Nihil audeo dicere*] Ne magistrum offendam, reprehenso discipulo. A Cornelio jus civile Trebatius didicerat: ut, sine præceptoris culpâ, stultus esse non posset. Digest. lib. I. tit. 2. MANUT.

4. *De illo Preciano*] Qui erat apud Cæsarem gratiosior, ut videtur, quàm Trebatius; cùm ipsum Trebatium ei Cicero commendet. IDEM.

M. CICERO TREBATIO.

9 JAMDIU ignoro, quid agas. Nihil enim scribis: neque ego ad te his duobus mensibus scripseram: quia cum Quinto fratre meo non eras. Quò mitterem, aut cui darem, nesciebam. Cupio scire, quid agas, & ubi sis hiematurus. Equidem velim cum Cæsare: sed ad eum propter ejus [1] *occupationes* nihil sum ausus scribere. Ad Balbum tamen scripsi. Tu deesse tibi

ARG. Literarum officium à Trebatio requirit; monet ne reditum in urbem præproperè cupiat. *Anno* U. C. *699*.

1. *Occupationes*] Primò scire debent omnes, me vocem illam *occupationes* in nullis paulo antiquioribus libris, nedum vetustissimis legisse, quod mihi originem attulit suspicionis. Deinde cùm accuratissimè considerassem, non mihi visa est satis digna causa esse quæ retraheret Ciceronem à scribendo, occupationes Cæsaris. Nam sæpe ad eum Cicero scribebat, cùm ille mirificè Ciceronis literis delectaretur, & ipsas omni ratione eliceret: nec eâ tempestate ullo majore negotio impediebatur, ut cavere deberet, ne ob id illi molestus esset. Nec tamen tantum temporis in legendis amicorum literis collocatur, ut non quivis occupatissimus se ab illis de omnibus rebus certiorem fieri velit. Majus igitur quiddam esse putavi quod Ciceronem ab instituto suo deduceret: & ut liberè omnem meam suspicionem proferam, si aliquando conjectari datum est, putarim *propter ejus luctum* legendum esse. Constat enim hoc tempore Cæsaris filiam mortuam esse, quæ Pompeio nupta erat, Juliam scilicet. Dicit etiam Cic. lib. III. ep. ad Q. Fr. se ad Cæsarem non rescripsisse *propter ejus luctum*, de obitu filiæ intelligens. VICTOR.

Digitized by Google

bi noli. Seriùs potiùs ad nos, dum plenior. Quòd huc properes, nihil est, præsertim Vacerrâ mortuo. Sed tibi consilium non deest. Quid constitueris, cupio scire. [2] Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidem, tuus familiaris, summo genere natus, terræ filius, is me, quia scit tuum familiarem esse, crebrò ad cœnam invitat. Adhuc non potuit perducere: sed mihi tamen gratum est. Vale.

2. *Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidem*] Notat hominis ignobilitatem, cujus propè certum nomen ignoretur. Propterea cum ironia subjunxit, *Summo genere natus*: &, *Terræ filius*: quod in obscurissimi loci homines confertur. Lusit in eundem Octavium epist. 16. *Oro te, quis tu es?* Manut.

M. Cicero Trebatio S. D.

Legi tuas literas, ex quibus intellexi te Cæsari nostro valde jureconsultum videri. Est quòd gaudeas, te in ista loca venisse, ubi aliquid sapere viderere. Quòd si in Britanniam quoque profectus esses, profectò nemo in illa tanta insula peritior te fuisset. Veruntamen (rideamus, licet: sum enim à te invitatus) subinvideo tibi, ultrò te etiam arcessitum ab eo, ad quem cæteri, non propter superbiam ejus, sed propter occupationem, adspirare non possunt. Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti de tuis rebus, quæ mehercule mihi non minori curæ sunt, quàm meæ. Valde metuo, [1] ne frigeas in hibernis: quamobrem [2] camino luculento utendum censeo. Idem & Mucio & Manilio placebat, præsertim qui sagis non abundares: quanquam vos nunc istic [3] satis calere audio. Quo quidem nuntio valde mehercule de te timueram. Sed tu [4] in re militari multò es 10

Arg. Per jocum agitat, quod scripserat Trebatius, se Cæsari valde jurisconsultum videri: & timiditatis arguit, qui in Britanniam navigare recusaverit: & ut de fructu commendationis ad Cæsarem, & omnibus rebus suis scribat plura, admonet. *Anno* U. C. 699.

1. *Ne frigeas*] Ne per hiemem parum commodis tuis servire possis. J. F. Gronov.

2. *Camino luculento*] Quasi de vero frigore locutus esset. Sed & allegoricus sensus est: Eam hibernorum partem eligas, ubi frigus, hoc est, paupertatem, camino luculento, id est, fructibus provincialibus pellere possis. Idem.

3. *Satis calere*] Satis habere negotii.

4. *In re militari multò es cautior*] A præliis attingendis multò melius tibi caves, quàm aliis cavere soles adhibitus in contractibus & testamentis signandis. Non ob inscitiam Trebatii, ut rusticè Manutius, sed quià plerumque accidit, utcunque caveant Juris-consulti, tamen ne sic esse tutos. Idem.

Digitized by Google

es cautior, quàm in advocationibus: qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi; neque [5] spectare essedarios, quem antea [6] ne andabatam quidem defraudare poteramus. Sed jam satis jocati sumus. Ego de te ad Cæsarem quàm diligenter scripserim, tute scis; quàm sæpe, ego. Sed mehercule jam intermiseram, ne viderer liberalissimi hominis, meique amantissimi voluntati erga me diffidere. Sed tamen his literis, quas proximè dedi, putavi esse hominem commonendum. Id feci. Quid profecerim, facias me velim certiorem: & simul de toto statu tuo, consiliisque omnibus. Scire enim cupio quid agas, quid expectes, quàm longum istum tuum discessum à nobis futurum putes. Sic enim tibi persuadeas velim, unum mihi esse solatium, quare faciliùs possim pati te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam. Sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius: me, qui te non Romam attraham: te, qui non huc advoles. Una mehercule nostra, vel severa, vel jocosa congressio pluris erit, quàm [7] non modò hostes, sed etiam fratres nostri Ædui. Quare omnibus de rebus fac ut quàm primùm sciam:

[8] *Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.*

CICE-

5. *Spectare essedarios*] Britannos ex essedis præliantes. Sed loquitur, ut de gladiatoribus essedariis, de quibus Lips. XI. Saturnal. 12. J. F. Gronov.

6. *Ne andabatam quidem*] Qui adeò delectaris spectaculis amphitheatralibus & muneribus gladiatorum, ut ne Andabatis quidem, in quibus minima voluptas est, introductis abesse spectaculo velis. Andabatæ oculis obsutis cæci pugnabant. Unde proverbium, *Andabatarum more pugnare*, in illos, qui litigant de re, quàm ambo non intelligunt. Idem.

7. *Non modò hostes*] Non dicam hostes: patet enim congressionem nostram esse jucundissimam, hostes autem formidabiles, & permolestos: sed ipsi Ædui, fratres nostri, quorum consuetudine delectamur. Ædui fratres populi R. cognitâ eorum fide, vocati sunt. Tacitus lib. XI. *Primi Ædui senatorum in urbe jus adepti sunt. Datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.* Manut. Vulgò scribitur *Hædui*, vel *Ædui*: sed in nummis priorum temporum, *Edui*. Vide Plinium Harduini, novissimæ editionis, Tom. I. pag. 225.

8. *Aut consolando*] Terentii senarius. Heautontim. I. 1. 34.

Digitized by Google

CICERO TREBATIO.

NIsi antè Româ profectus esses, nunc eam certè relinqueres. Quis enim [1] tot interregnis jureconsultum [2] desiderat? Ego [3] omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut à singulis interregibus [4] binas advocationes postulent. [5] satísne tibi videor II

ARG. Jocatur primùm de interregnis: deinde suadet, si è re sua sit, maneat apud Cæsarem: sin minùs, Romam se recipiat. *Anno* U. C. 700.

1. *Tot interregnis*] Quot interregna fuerint eo anno, facilè inveniet, qui Dionem & Pedianum attentè legerit. Quorum ille lib. XL. scripsit, eo anno, quo Calvinus & Messalla consulatum gessere, urbem sine magistratibus fuisse per sex menses: Pedianus autem interregni dies non plures quinque fuisse tradidit. Sunt igitur hac ratione interregna XXXVI. in sex mensibus. Duo sunt præterea, quæ docet idem Pedianus, non omittenda, ut arbitror: unum interregem non nisi à senatoribus patriciis & ipsum patricium, prodi solitum; quod & Cicero pro domo sua dixit: alterum, ut ab eo, qui primus interrex esset proditus, comitia haberentur, moris non fuisse. MANUT.

2. *Desiderat*] Verè. Nam interrex jus non dicit. Cessat igitur opera jurisconsultorum, & justitium in urbe tam diu est, quamdiu interregnum. Hactenus Cicero verè & seriò, reliqua jocans. IDEM.

3. *Omnibus, unde petitur*] Est propria jurisconsultorum formula. Sic appellabatur alter litigatorum, qui nimirum in jus vocatus erat in judicio privato, sicuti is, qui in jus vocabat, dicebatur *petitor*, sive *actor*, quoniam ab eo, cui litem intendebat, petebat aliquid plerumque dicere aut facere oportere. Cic. pro Mur. *Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille unde petebatur, non habebat.* Cato: *Si quid alter ab altero peteret, si ambo pares essent: sive boni, sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent, illi, unde petitur, potiùs credendum esse.* Terent. Prolog. Eunuch. vers. 10.

Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
Priùs unde petitur, aurum quare sit suum,
Quàm ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi.

Unde petitur est, à quo petitur. Cic. III. in Verr. *Ille autem, unde ablatum est, judicio suum recuperare nullo modo possit.* Liv. lib. V. *Unde minimè quis crederet accepta calamitas.* GRONOV. lib. IV. Obs. cap. 11.

4. *Binas advocationes postulent*] Est & hoc loquendi genus ex Jurisconsultorum scholâ. Propriè enim unde petitur *postulare advocationem* dicebatur, cùm, postquam petitor actionem edidisset, peteret à Prætore tempus deliberandi velítne stare judicio, an facere quod petitor postulabat. Hoc tempus ideò dicebatur *advocatio*, quia tum amicos suos convocabat, cum quibus deliberabat unde petitur, num velit causam excipere ac jure experiri, nec-ne. Hi dicebantur *advocati* propriè, & tempus *advocatio*. Senec. procem. lib. IV. Controv. *Tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret.* Hinc *advocatio* pro quavis mora. Senec. Consol. ad Marc. cap. 10. *Nihil de hodierna die promittitur: nimis magnam advocationem dedi: nihil de hora.* Et *advocare* est moras nectere. Plinius lib. V. epist. 8. *Ideóque interim veniam, ne à forensibus verbis recedam, advocandi peto*; hoc est, moras nectendi. IDEM.

5. *Satísne tibi videor*] Non intelligis me loqui etiam posse ut Jurisconsulti? nec frustrà fuisse nostram consuetudinem, cùm per eam mihi jam adhæserit aliquid de vestro jure civili. Erat autem genus interrogandi frequens antiquis per *Satin'*, vel *satisne*. Plaut. Amph. II. 2. 1. *Satin' parva res est voluptatum in vita?* Epid. V. 2. 1. *Satin' illic homo ludibrio nos habet?* Mostell. I. 1. 73. *Satin' abiit, neque, quod dixit, flocci existumat?* Sic *Satin' salvæ?* Ter. Eun. V. 6. 8. Liv. I. 58. & XLI. 8. J. F. GRON.

Digitized by Google

videor abs te jus civile didicisse? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit? video enim te jam jocari per literas. [6] Hæc signa meliora sunt, quàm in meo Tusculano. Sed quid fit, scire cupio. Consuli quidem te à Cæsare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem. Quod si aut fit, aut futurum putas, perfer istam militiam, & permane. Ego enim desiderium tui, spe tuorum commodorum consolabor. Sin autem ista sunt inaniora, recipe te ad nos. Nam aut erit hîc aliquid aliquando: aut si minùs, una mehercule collocutio nostra pluris erit, quàm omnes [7] Samarobrivæ. Denique si citò te retuleris, sermo nullus erit. Si diutiùs frustrà abfueris, non modò [8] Laberium, sed etiam sodalem nostrum [9] Valerium pertimesco. Mira enim persona [10] induci potest Britannici jureconsulti. Hæc ego non rideo, quamvis tu rideas: sed de re severissima tecum, ut soleo, jocor. Remoto joco, tibi hoc amicissimo animo præcipio, ut, si istic meâ commendatione tuam dignitatem obtinebis, præferas nostri desiderium; honestatem, & facultates tuas augeas. Sin autem ista frigebunt, recipias te ad nos. Omnia tamen quæ vis, & tuâ virtute profectò, & nostro summo erga te studio consequêre. Vale.

CICE-

6. *Hæc signa meliora sunt, quàm in meo Tusculano*] Ludit in *signorum* significatione duplici. Nam & significationes notat, & statuas, quibus Tusculanum ornaverat, & quarum emptio ei æs alienum conflaverat. Vide epist. 23. hujus libri. GRÆV.

7. *Samarobrivæ*] In aliis verò *Samarobriga*; metropolis Ambianorum in Gallia Belgica. Hodie *Amiens*. Sic autem rectè scribitur in melioribus libris; *Briva* enim & *Briga* sunt antiqua vocabula Gallica, quæ pontem significant. Hinc *Samarobriva* est pons Samaræ fluvii, qui per illam urbem transit. *Samara* est fluvius, qui Ptolemæo Phrudis, in Notitia Imperii *Sombrica* dicitur, hodie *la Somme*. IDEM.

8. *Laberium*] Poëtam mimis scribendis mordacem, de quo Gellius, Suetonius, Macrobius. Cujus mimos non *ut pulchra poëmata* miratur Horatius, Sat. ult. lib. II.

9. *Valerium*] Volunt L. Valerium Jurisconsultum, ad quem scribit, I. 10. & Appio commendat III. 1. quem si accipimus, quare eum pertimescat, ignoramus. Si Valerium Catullum, quem nolunt; facilis est explicatio, nempe ne is epigrammate se traducat; & eum fuisse amicum Ciceronis apparet ex epig. *L. Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quótque fuere, Marce Tulli.* J. F. GRONOVIUS.

10. *Persona induci*] Fingi in mimo, vel epigrammate, aut proponi. IDEM.

Digitized by Google

CICERO TREBATIO.

MIRABAR quid esset, quòd tu mihi literas mittere intermisisses. Indicavit mihi Pansa meus, [1] Epicureum te esse factum. [2] O castra præclara! Quid tu fecisses, si te [3] Tarentum, & non Samarobrivam misissem? Jam tum mihi non placebas, cùm idem intuebare, quod & Seius familiaris meus. Sed quonam modo [4] jus civile defendes, cùm omnia tuâ causâ facias, non civium? Ubi porrò illa erit [5] formula fiduciæ, *Ut inter bonos bene agier oportet*? [6] Quis enim est, qui facit nihil, nisi suâ causâ? Quod jus statues [7] Communi dividundo, cùm commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate suâ metiuntur? Quomodo autem tibi placebit, [8] Jovem Lapidem jurare, cùm scias, Jovem iratum esse nemini posse? Quid porrò fiet populo [9] Ulubrano, si tu statueris, [10] πολιτεύεσθαι non oportere? Quare si planè [11] à nobis deficis, molestè fero: sin [12] Pansæ 12

ARG. Per jocum exagitat Epicureos, & ipsum Trebatium, quem Epicureum factum esse Pansa narraverat. *Anno* U. C. 700.

1. *Epicureum te esse factum*] Te sectam Epicuri adamasse, id est, te omnia referre ad tui ipsius utilitatem. Erat enim dogma Epicuri, sapientem omnia facere propter sese. Quâ sententiâ abutebantur, qui se juvabant damno & publico & alieno. Suprà lib. III. ep. 9. J. F. GRONOVIUS.

2. *O castra præclara!*] In quibus scilicet homines Epicurei & voluptarii fiunt. IDEM.

3. *Tarentum*] Mollem civitatem, nequitiæque deditam. Horatius lib. II. sat. 4.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum. Athenæus lib. IV. solitos dicere Tarentinos ait, aliis laboriosam vitam, sibi voluptariam placere. MANUTIUS.

4. *Jus civile defendes*] Est enim justitia virtus extra se patens, & magis consulens alii, quàm sibi. Quomodo poteris retinere auctoritatem, tutari locum J C? J. F. GRONOV.

5. *Formula fiduciæ*] In pignore vel hypotheca constituenda, excludens omnem fraudem. III. Off. 17. *Quàm illa aurea : ut inter bonos bene agier oportet & sine fraudatione.* Ibidem : *Idque versari in tutelis, societatibus; fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis.* IDEM.

6. *Quis enim est, qui facit nihil, nisi suâ causâ?*] Et abest hoc totum à duobus antiquis libris; & mihi quidem satis frigidum videtur. Jam cum superioribus formulæ verbis qui cohæret? MANUT.

7. *Communi dividundo*] Ubi quod commune esse cœpit (ut si duo rem eandem emerint, aut duobus idem legatum, eadem hereditas obvenerit) oportet dividi, & adhibeberis Jurisconsultus. An suadebis utrique, ut se tantum respiciat, socium fraudet? J. F. GRONOV. *Communi dividundo* : Titulus est apud Jurisconsultos. MANUT.

8. *Jovem*] Vide hujus libri epist. 1.

9. *Ulubrano*] Ulubræ, Latii oppidum, in clientela Trebatii. Infrà, epist. 18.

10. Πολιτεύεσθαι] Rempublicam administrare. Dicebat Epicurus, rempubl. capessere hominem bene sanum non oportere. CORR.

11. *A nobis*] Academicis. IDEM.

12. *Pansa*] Qui & ipse Epicureus est. Epist. 19. lib. XV. IDEM.

ſæ aſſentari commodum eſt, ignoſco: modò ſcribe aliquando ad nos quid agas, & à nobis quid fieri, aut curari velis. Vale.

M. Cicero Trebatio S. D.

13 ADeóne me injuſtum eſſe exiſtimaſti, ut tibi iraſcerer, quòd parum mihi conſtans, & nimium cupidus decedendi viderere, ob eámque cauſam me arbitrarere literas ad te jamdiu non miſiſſe? Mihi perturbatio animi tui, quam primis literis perſpiebam, moleſtiam attulit. Neque alia ulla fuit cauſa intermiſſionis epiſtolarum, niſi quòd, ubi eſſes, planè neſciebam. Hìc tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis. Audi, [1] Teſta mi: Utrùm ſuperbiorem te pecunia facit, an quòd te imperator conſulit? Moriar ni, quæ tua [2] gloria eſt, puto te malle à Cæſare conſuli, quàm inaurari. Si verò utrumque

Arg. Intermiſſi literarum officii excuſationem affert, quam non accipiente Trebatio, liberiùs pro more jocatur. *Anno* U. C. 700.

1. *Teſta*] Cognomen Trebatii. Manut.

2. *Gloria*] Interdum gloriæ nomen pro inani quodam gloriæ ſtudio ſumitur. Idem.

3. *Artificium tuum*] Juris civilis prudentia. Corrad.

4. *Non ex jure*] Ennii verſus. *Ex jure manu conſertum petere* eſt rem ſuam petere actione forenſi, rei vindicatione. Vide Gell. XX. 9. Vide & Orat. pro Murena, cap. 14.

5. *Sed magis ferro*] Abjicitur *s*, in *Magis*, metri cauſâ. Quod qui ignorabant, fecere, *Mage*. Manut. Sed Manutius tamen & Lamb. ediderunt *mage*.

6. *Adhiberi*] Hoc eſt, in conſilio adhiberi, conſuli. Vult autem Lambinus legi, *Et tu* non *ſoles ad vim* &c. Negatio ſcilicet, quæ debebat, inquit, locari ante verbum *ſoles*, fuit infrà in alienum locum tranſlata, & ante verbum *veneris* collocata. Quod ſi verum eſt, ut opinor, interrogandi nota deleatur poſt *adhiberi*. Olivetus.

7. *Neque eſt*] Jocatur hìc Cicero cum Trebatio tanquam cum homine bellica certamina libenter vitante: Nunquam, ait, ad te pertinebit illa exceptio, qua prætor in interdicto uti ſolet, quòd tu prior vi hominibus armatis quenquam de poſſeſſione dejeceris. Facit enim tua timiditas, ne quem prior lædas. Huic ſententiæ videtur illud, *Non veneris*, adverſari: nam exceptio illa non ſolebat in eum fieri, qui prior vi hominibus armatis non veniſſet, ſed qui prior veniſſet. Vidit hoc olim Bernardinus Rutilius, putavítque legendum, *Conveneris*. Alii poſtea non diſcedendum à veteribus libris, rectè cenſuerunt: ſententiam tamen Ciceronis non omnino (ut arbitror) ſunt aſſecuti. Nam, quod aiunt Ciceronem hoc dicere, non eſſe Trebatio pertimeſcendam exceptionem illam, qua utuntur illi ad prætorem, qui cùm confeſſi ſint ſe dejeciſſe, clamant tamen ſe non interdicto teneri, nec debere reſtituere; nam ſe priùs ab adverſariis vi hominibus armatis dejectos eſſe: ego non arbitror exceptione illâ eos ad prætorem uti ſolitos, qui aliquem de poſſeſſione dejecerant; ſed ipſum prætorem, cùm eum, qui dejectus erat, interdicto reſtitui juberet; excipere ſolitum eſſe, niſi is, qui poſtularet interdictum, prior vi hominibus armatis adverſarium dejeciſſet. Quod ſi probaretur, interdictum ei nullam opem

que eſt: quis te feret, præter me, qui omnia ferre poſſum? Sed, ut ad rem redeam, te iſtic invitum non eſſe, vehementer gaudeo: &, ut illud erat moleſtum, ſic hoc eſt jucundum. Tantùm metuo, ne [3] artificium tuum tibi parùm proſit. Nam ut audio iſtic,

[4] *Non ex jure manu conſertum,* [5] *ſed magis ferro*
Rem repetunt.

Et tu ſoles ad vim faciendam [6] adhiberi? [7] neque èſt, quòd illam exceptionem in interdicto pertimeſcas, *Quòd tu prior vi hominibus armatis non veneris.* Scio enim te non eſſe procacem in laceſſendo. Sed ut ego quoque te aliquid admoneam [8] de noſtris cautionibus: [9] Treviros vites cenſeo. Audio capitales eſſe. Mallem auro, ære, argento eſſent. Sed aliàs jocabimur. Tu ad me de iſtis rebus omnibus ſcribas velim quàm diligentiſſimè. A. d. IV. non. Mart.

opem ferebat; ſed vetus poſſeſſor, donec bis ad exitum perveniſſet, in ſuo ſtatu permanebat. Non dubium eſt autem, cùm ait Cicero, *Quòd tu prior vi hominibus armatis non veneris*, uſitata eum exceptionis verba recitare; ſed particulam, *Non*, addit de ſuo, joci causâ, & immutat exceptionis morem, ut Trebatio timiditatis notam inurat: quaſi minimè prior veniſſet vi hominibus armatis. MANUTIUS.

8. *De noſtris cautionibus*] *Noſtris*, inquit, jocans: quia juriſconſultorum cautiones erant: & oratorem cavere juriſconſulto, mirum videtur. IDEM.

9. *Treviros*] PETRUS BEMBUS *Bernardino Sandro.* Quod hodie manè quærenti tibi à me de illis Ciceronis ad Trebatium verbis: *Treviros vites cenſeo: audio capitales eſſe: mallem auro, argento, ære eſſent*: reſpondi, jocum eſſe & multiplicem, & feſtivum: qui quidem jocus in antiquis & nummis & ſcriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in via, ut neque libros, neque nummos haberemus, rejeci te in alium diem; id, ne te diutiùs torqueat, eſt ejuſmodi, ut joci causâ, quod quidem Cicero ad illum ſcribens more ſuo ferè ſemper facit, & *Treviri* & *capitales* in ambigui genere ſint poſita. Nam, cùm videatur monere illum, ut vitet Treviros Galliæ populos, qui capitales bellicoſique ſint; ludit cùm in *Trevirorum*, tum in *capitalium* verbo. Erant enim Romæ magiſtratus, Triumviri capitales, qui etiam Treviri dicebantur. Sed quoniam hoc ipſum Triumvirûm nomen iterum in ambiguo poni poterat, cùm eſſent etiam apud Romanos Triumviri pecuniæ cudendæ: quos ita inſcribebant, A. A. A. F. F. hoc eſt, *Auro, argento, ære flando, feriundo*: jocatur iterum in hoc verbo, luditque Cicero; ut mihi quidem videtur, belliſſimè: addens, *mallem Treviros iſtos eſſe pecunioſos, quàm bellicoſos: ut, Cæſare eos vincente, tu diteſceres.* Itaque infert, *mallem eſſe Treviros auro, argento, ære, quàm ſcilicet capitales.* Triumviros autem Treviros ſolitos dici, Livius ſatis locuples eſſe teſtis poteſt. Quòd verò Triumviri pecuniæ ſic, ut dixi, inſcriberentur; eſt apud me nummus æreus perantiquus ita inſcriptus, C. PLOTIUS. III. VIR. A. A. A. F. F. Sunt & alii nummi aliorum nominum, ejuſdem tamen tituli; quos inſpicies, cùm voles. Hæc ad te ſcripſi, cùm domum rediſſem, & nummos ac librum ſumpſiſſem, amore tui admonitus. Vale. Pridie idus Junii. M. D. XXXII.

Digitized by Google

Cicero Trebatio.

14 Chrysippus Vettius, Cyri architecti libertus, fecit ut te non immemorem putarem mei. Salutem enim verbis tuis mihi nuntiarat. Valde jam lautus es, qui gravere literas ad me dare, homini præsertim propè domestico. Quòd si [1] scribere oblitus es, minus multi jam te [2] advocato causâ cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc veniam antè quàm planè ex animo tuo effluo: sin [3] æstivorum timor te debilitat, aliquid excogita, [4] ut fecisti de Britannia. Illud quidem perlibenter audivi ex eodem Chrysippo, te esse Cæsari familiarem. Sed mehercule mallem, id quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis literis quàm sæpissimè cognoscerem. Quod certè ita fieret, si tu maluisses benevolentiæ, quàm litium jura perdiscere. Sed hæc jocati sumus, & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te valde amamus, nósque à te amari cùm volumus, tum etiam confidimus. Vale.

Argumentum. Familiariter & jocosè Trebatium, qui literas nullas miserat, objurgat. *Anno* U. C. 700.

1. *Scribere*] Lusus in verbo *scribere*, quod vel Jurisconsultorum est, scriptâ formulâ clientibus cavere; vel ad amicos literas dare. Cellar.

2. *Advocato*] Advocatus hic is est, qui per formulas præscriptâ litigandi formâ, cavet iis, à quibus consulitur. *Advocationes* dixit similiter epist. 10. Manut.

3. *Æstivorum timor*] Timor futuri belli, quod æstate renovabatur. Idem.

4. *Ut fecisti de Britannia*] Ut causatus aliquid fueras, ne cum Cæsare in Britanniam navigares. Cellar.

Cicero Trebatio.

15 Quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest. Molestè ferebam antea te invitum istic esse: pungit me rursus, quòd scribis esse te [1] istic libenter. Neque enim meâ commendatione te non delectari facilè patiebar: & nunc angor, quidquam tibi sine me esse jucundum. Sed hoc tamen malo, ferre nos desiderium, quàm te non ea, quæ spero, consequi.

Arg. Suum absentis Trebatii desiderium declarat, & de C. Matii familiaritate gratulatur. *Anno* U. C. 700.

1. *Istic*] In Gallia.

Digitized by Google

sequi. Cùm verò in [2] C. Matii, suavissimi [3] doctissimíque hominis, familiaritatem venisti, non dici potest quàm valde gaudeam: qui fac ut te quàm maximè diligat. Mihi crede, nihil ex ista provincia potes, quod jucundius sit, deportare. Cura, ut valeas.

2. *C. Matii*] Cujus extat gravissima epistola lib. XI. apud Cæsarem gratiâ valuit, ut epist. 12. lib. VI. MANUT.

3. *Doctissimi*] Quintilianus lib. XII. cap. 6. ait Matium ante quæstoriam ætatem orasse. Columella lib. XII. cap. 4. & cap. 44. scripsisse eum de pistore, coquo, & cellario libros tres. A Gellio quoque & Macrobio laudari video doctrinam Cn. Matii. Sed ibi Cnæus, hîc Caius nominatur: ut vel duo Matii fuerint, diverso prænomine, uterque in primis eruditus: vel, si unus fuit, mendum sit in alterutro prænomine. IDEM.

M. CICERO TREBATIO S. D.

IN [1] Equo Trojano scis esse in extremo, [2] *Serò sapiunt.* Tu 16
tamen, [3] mi vetule, non serò. [4] Primas illas [5] rabiosulas [6] sat fatuas dedisti: deinde, quòd in Britannia [7] non nimis φιλοθέωρον te præbuisti, planè non reprehendo. Nunc verò [8] in hibernis [9] injectus mihi videris. Itaque te commovere non curas. [10] Usquequaque sapere oportet. Id erit [11] telum acerrimum. Ego si foris

E e 3

ARG. Ita laudat Trebatii sapientiam in vitando bellorum discrimine, ut timiditatis simul arguat, & alia per jocum adjungat. *Anno* U. C. 699.

1. *Equo Trojano*] Livii Andronici tragœdia. CORRAD.

2. *Serò sapiunt*] Phryges. IDEM.

3. *Mi vetule*] Amatoriè, per jocum. MAN.

4. *Primas illas*] Lambinus edidit, *Primùm quòd illas.* Supple, *literas.*

5. *Rabiosulas*] In quibus teneri se urbis desiderio, & cupere statim aliquid auferre, atque à bello discedere, scripserat Trebatius. Id fuit primum argumentum, cur non serò, sed maturè sapere visus est. Alterum, quòd in Britanniam ire noluit. Tertium, quòd Samarobrivæ diu mansit, nec ullam rei bellicæ partem attigit. Inde jocandi materiam Cicero sumpsit. MANUT.

6. *Sat fatuas*] Quia cùm ivisset in Galliam eo consilio, ut Cæsaris benevolentiam obsequio officióque suo consequeretur, ita statim auferre ab eo pecuniam, & domum redire properabat, quasi non literas commendatitias, verùm syngrapham ad eum attulisset. IDEM.

7. *Non nimis φιλοθέωρον*] Non valde cupidum spectandi: quia transire in Britanniam noluisti, neque spectare essedarios. IDEM.

8. *In hibernis*] Hibernorum tempus nondum erat: sed hibernare Trebatius videbatur, quia se Samarobrivâ non commovebat. Epist. 11. 12. & hac in extremo. MAN.

9. *Injectus*] Lego, *illectus*, vel *inlectus*, id est, delinitus, inescatus, captus aliquâ illecebrâ. J. F. GRONOV.

10. *Usquequaque sapere oportet*] Ubique: quod tu facis: qui tibi optimè caves, nec periclitari, quanquam sis in bello, de vita vis. MANUTIUS.

11. *Telum*] Summum est in sapientia præsidium. Seriò videtur hoc dicere, sed jocatur: quasi dicat: næ tu rationem tuendæ salutis tuæ optimam inivisti: &, quod alii telis acerrimis, id tu sapientiâ tuâ consequeris. MANUT.

Digitized by Google

foris cœnitarem, [12] Cn. Octavio, familiari tuo, non defuissem. Cui tamen dixi, cùm me aliquoties invitaret: Oro te, quis tu es? Sed mehercules, extra jocum, homo bellus est: vellem eum tecum [13] abduxisses. Quid agatis, & ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac planè sciam. Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum: Id utrùm Romano more locutus sit, bene nummatum te futurum, an, quomodo Stoici dicunt, Omnes esse divites, qui cælo & terrâ frui possint, postea videro. Qui istinc veniunt, [14] superbiam tuam accusant, quòd negent te percunctantibus respondere. Sed tamen est quòd gaudeas: constat enim inter omnes, neminem te uno Samarobrivæ juris peritiorem esse.

12. *Cn. Octavio*] Suprà, epist. 9.

13. *Abduxisses*] Nondum à joco discedit; quanquam dixerit, *Extra jocum*. Nam *Abduxisses*, videtur esse, tecum duxisses ut hominem bellum, voluptatis & lætitiæ tuæ causâ: sed valet, ut hominem ineptum, quo minimè delectamur. Manutius.

14. *Superbiam tuam*] Non quòd superbus esset, sed quòd à nemine consuleretur. Idem jocus epist. 10. lib. I. Idem.

Cicero Trebatio S. D.

17 Ex tuis literis, & [1] Quinto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare possum, quòd jam videris certâ aliquâ in sententiâ constitisse. Nam primorum mensium literis tuis vehementer commovebar, quòd mihi interdum (pace tuâ dixerim) levis in urbis urbanitatísque desiderio, interdum piger, interdum timidus in labore militari, sæpe autem etiam, quòd à te alienissimus, & subimpudens videbare. Tanquam enim syngrapham ad imperatorem, non epistolam attulisses, sic, pecuniâ ablatâ, domum redire properabas: nec tibi in mentem veniebat, eos ipsos, qui cum syngraphis venissent [2] Alexandriam, nummum adhuc nullum auferre potuisse. Ego, si mei commodi rationem ducerem, te mecum esse maximè vellem. Non enim mediocri afficie-

Arg. Urbis desiderium quòd deposuerit, gratulatur, & ut Cæsaris amicitiam faciat pluris, monet, quam fructuosam fore pollicetur. *Anno* U. C. *699*.

1. *Quinto fratri*] Qui tum erat Cæsaris Imperatoris Legatus in Gallia.

2. *Alexandriam*] Ut à Ptolemæo, Alexandrino rege, pecuniam suam, ei Romæ creditam exigerent. Jocatur Cicero in re vera: ut ex oratione pro Postumo, in qua etiam syngraphæ in Albano Pompeii factæ nominantur, satis constat.

Digitized by Google

afficiebar vel voluptate ex consuetudine nostra, vel utilitate ex consilio atque operâ tuâ. Sed cùm te ex adolescentia tua in amicitiam & fidem meam contulisses, semper te non modò tuendum mihi, sed etiam augendum atque ornandum putavi. Itaque quoad opinatus sum me [3] in provinciam exiturum, quæ ad te ultrò detulerim, meminisse te credo. Postea quàm mea mutata ratio est, cùm viderem me à Cæsare honorificentissimè tractari, & unicè diligi, hominísque liberalitatem incredibilem & singularem fidem nossem: sic ei te commendavi & tradidi, ut gravissimè diligentissiméque potui. Quod ille ita & accepit, & mihi sæpe literis significavit, & tibi & verbis & re ostendit, meâ commendatione sese valde esse commotum. Hunc tu virum nactus, si me aut sapere aliquid, aut velle tuâ causâ putas, ne dimiseris, &, si quæ te fortè res aliquando offenderit, cùm ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit visus, perferto, & ultima expectato; quæ ego tibi & jucunda, & honesta præstabo. Pluribus te hortari non debeo. Tantùm moneo, neque amicitiæ confirmandæ clarissimi ac liberalissimi viri, neque uberioris provinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum unquam reperturum. Hoc, quemadmodum [4] vos scribere soletis in vestris libris, idem Q. Cornelio videbatur. In Britanniam te profectum non esse gaudeo, quòd & labore caruisti, & ego [5] te de rebus illis non audiam. Ubi sis hibernaturus, & quâ spe, aut conditione, perscribas ad me velim. Vale.

3. *In provinciam*] Vide suprà ep. 5.
4. *Vos*] Jurisconsulti. Exempla non tot quin plura in Pandectis.
5. *Te de rebus illis*] Magnificè & insolenter referentem: *Non audiam*, cum fastidio. Sed jocatur. CORRAD.

CICERO TREBATIO S. D.

ACCEPI à te aliquot epistolas uno tempore, quas tu [1] di- 18
versis temporibus dederas, in quibus me [2] cætera delectarunt. Significabant enim, te istam militiam jam firmo animo ferre,

ARG. Laudat constantiam Trebatii, qui permanere in provincia apud Cæsarem constituerat. Jocatur in ejus parcimonia, quia scripserat in palimpsesto, *Anno* U. C. 700.

1. *Diversis*] Eodem tamen exemplo.
2. *Cætera delectarunt*] Hoc pendet usque ad illud, quod est infrà, *Cætera bellè: illud miror*. MANUT.

re, & esse fortem virum & constantem. Quæ ego paulisper in te ita desideravi, non imbecillitate animi tui, sed magis ut desiderio nostri te æstuare putarem. Quare perge, ut cœpisti: forti animo istam tolera militiam. Multa, mihi crede, assequêre. Ego enim renovabo commendationem, sed tempore. Sic habeto, non tibi majori esse curæ, ut iste tuus à me discessus quàm fructuosissimus tibi sit, quàm mihi. Itaque, quando vestræ cautiones infirmæ sunt, [3] Græculam tibi misi cautionem chirographi mei. Tu me velim de ratione Gallici belli certiorem facias. Ego enim ignavissimo cuique maximam fidem habeo. Sed, ut ad epistolas tuas redeam, cætera bellè: illud miror: [4] quis solet eodem exemplo plures dare, qui suâ manu scribit? Nam quòd [5] in palimpsesto, laudo equidem parsimoniam: sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, [6] quàm hæc scribere, nisi fortè tuas formulas. Non enim puto te meas epistolas

---

3. *Græculam tibi misi cautionem*] Puto sensum esse, Commendavi te Cæsari literis Græcè scriptis. VICTOR. Ego potiùs crediderim epistolam esse eam ipsam Latinam quam ad Trebatium mittit suo chirographo scriptam, quam *Græculam cautionem* vocat propter Græcam fidem, de qua apud Plautum in Asinaria. Ut enim Græca fides certa est, sic Græca cautio certa firmáque intelligenda est. Nam in cautionibus nostram obligamus fidem, ut Cicero suam eâ epistolâ obstringit, cùm promittat Trebatium multa assecuturum. TURN. Adverf. XII. 18.

4. *Quis solet eodem exemplo*] Miror, inquit, cùm tuâ manu scribas, eodem exemplo plures à te epistolas mitti. Hinc licet conjicere, epistolas illas, quas Cicero se diversis temporibus accepisse dixit, eodem exemplo omnes fuisse. MANUT.

5. *In palimpsesto*] *Palimpsestus* membrana fuit iterum abrasa, ut aliquid rursus in ea scriberetur. IDEM. Vox è Græco profecta: πάλιν, iterum; ψάω, rado.

6. *Quàm hæc scribere*] Hoc totum, sive, *quàm hæc scribere*, sive *quàm exscribere*, sive *quàm hæc non scribere*; (nam variè in libris vulgatis legitur) delendum curavi. Est enim ex annotatione natum, & ex ora libri in contextum verborum Ciceronis invectum, quod & antea Mureto venit in mentem. LAMBIN. Difficilis admodum hic locus & corruptus videtur: quem nos cùm explicuerimus, deinde emendabimus. Primùm igitur Trebatius epistolam ad Ciceronem in palimpsesto exararat, quam pòst in charta pura descriptam (nam in palimpsesto etiam alia erant) ad Ciceronem daret. Ac similiter Cicero fecisse se, extrema epist. l. IX. ostendit, cujus hoc est initium, *Accubueram horâ nonâ, cùm ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* Hoc ergo cùm fecisset primùm Trebatius, postea mutato describendi consilio, vel ignaviâ, vel avaritiâ impulsus, palimpsestum ipsam ad Ciceronem misit, cùm ea, quæ præter epistolam erant ibi perscripta, delevisset. Id enim facere maluerat quàm hanc exscribere. Nam hoc vult his verbis indicare Cicero. Jam quod ad scripturam attinet, primùm qui tria hæc verba *quàm hæc scribere* planè tollunt, imperitissimè faciunt & audacissimè. Ac si sic licebit nobis, quidquid in Cicerone vel Poeta aliquo non assequimur, tanquam nothum perfodere, facillimam nobis ad omnium scriptorum explicationem sternemus viam. Rectiùs longè Manutius *quàm exscribere* legendum putavit. Id quod tamen nondum prorsus verum est. Cur enim non potuerit Trebatius etiam quæ exscripserat delere? Nos ita *quàm hæc exscribere*. CANTERUS.

Digitized by Google

las delere, ut reponas tuas. An hoc significas, nihil fieri? frigere te? ne chartam quidem tibi suppeditare? Jam ista tua culpa est, qui verecundiam [7] tecum extuleris, & non hîc nobiscum reliqueris. Ego te Balbo, cùm ad vos proficiscetur, more Romano commendabo. Tu, si intervallum longius erit mearum literarum, ne sis admiratus. Eram enim absuturus mense Aprili. Has literas scripsi in Pomptino, cùm ad villam Metrilii Philemonis divertissem: ex qua jam audieram [8] fremitum clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliasti. Nam Ulubris honoris mei causâ vim maximam ranunculorum se commosse constabat. Cura ut valeas. VI. idus April. de Pomptino.

Epistolam tuam, quam accepi ab L. Arruntio, conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non vel in concione rectè legi posset. Sed & Arruntius ita te mandasse aiebat, & tu adscripseras. Verùm illud esto. Nihil te ad me postea scripsisse demiror, præsertim tam novis rebus.

7. *Tecum extuleris*] Nam, si eam tecum non attulisses, sine verecundia peteres: nunc, quia te pudor à petendo deterret, nihil accipis. MANUTIUS.

8. *Fremitum clientium meorum*] Coaxationem ranarum in paludibus Pomptinis profectarum (ut fingit) ex Ulubrano, quod oppidum Ciceroni commendaverat Trebatius, effeceràtque ut nescio quam eorum causam apud Senatum ageret. J. F. GRON.

CICERO TREBATIO S.

VIDE quanti apud me sis, etsi jure id quidem: non enim te amore vinco. Veruntamen quod præsenti tibi propè subnegarem, non tribuerem certè, id [1] absenti debere non potui. Itaque, ut primùm [2] Veliâ navigare cœpi, institui Topica Aristotelea conscribere, ab ipsa urbe commonitus, amantissimâ tui. Eum librum tibi misi Rhegio, scriptum quàm planissimè res illa scribi potuit. Sin tibi quædam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem literis sine interprete, & sine ali- 19

 qua

ARG. Antonio post Cæsaris necem remp. turbante, Cicero desperans libertatem, in Græciam âbire constituit. In quo itinere Topicorum librum scripsit, eúmque Trebatio misit ab Rhegio, ubi & hæ literæ sunt datæ, de usu & interpretatione ejus libri docentes. *Anno* U. C. 709.

1. *Absenti debere non potui*] Hoc est, volui persolvere. MANUT. Sic etiam locutus est Cicero *Tusc.* II. cap. ult.

2. *Veliâ*] Urbs fuit Lucaniæ ad Pæstanum sinum, ad quam est portus Velinus. GRÆV.

Digitized by Google

qua exercitatione percipi posse. [3] Non longè abieris: num jus civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen, [4] usúmque desiderant. Quanquam tu si attentè leges, si sæpiùs, per te omnia consequêre ut certè intelligas. Ut verò etiam ipsi tibi loci propositâ quæstione occurrant, exercitatione consequêre. [5] In qua quidem nos te continebimus, si & salvi redierimus, & salva ista offenderimus. v. kal. Sext. Rhegio.

3. *Non longè abieris*] Non longè petantur exempla. Manut.

4. *Usúmque*] Corradus legit, *luménque*. Grævius ex mss. *unum quem*.

5. *In qua nos te continebimus*] Ego tibi præceptor ero. Verbum proprium de magistris. Petron. *Nondum juvenes declamationibus continebantur*. Gell. XIX. 1. *Non parvâ virum auctoritate, satisque attentè discipulos juvenes continentem*. J. F. Gronov.

Cicero Trebatio S. D.

20 Amabilior mihi Velia fuit, quòd te ab ea sensi amari. Sed quid ego dicam te, quem quis non amat? [1] Rufio, medius fidius, tuus ita desiderabatur, ut si esset unus è nobis. Sed ego [2] te non reprehendo, qui illum ad ædificationem tuam traduxeris. Quanquam enim Velia non est vilior, quàm [3] Lupercal; [4] tamen isthuc malo, quàm hæc omnia. Tu, si me audies, quem soles, has paternas possessiones tenebis, (nescio quid enim Velienses verebantur) neque [5] Heletem nobilem amnem relinques, nec [6] Papirianam domum deseres. Quanquam illa

Arg. De Veliensium in Trebatium amore significat: & ne paternas possessiones vendat, perfugium miseris temporibus futuras, admonet. Scripta ante superiorem, ut dies adscripta ostendit. *Anno* U. C. 709.

1. *Rufio tuus*] Rufionem Trebatii gentilem fuisse, didici ex hoc antiquo lapide, qui est Romæ ad portam Latinam: C. Vibius. C. F. Macer. C. Trebatius. Rufio. faciund. curaverunt. *Manut.*

2. *Te non reprehendo*] Utcunque illi eum requirant, tu bene fecisti, quòd illum pellexisti Romam, ut præsit domui struendæ, quam paras in Lupercali. J. F. Gronov.

3. *Lupercal*] Locus in urbe Româ, sic appellatus à Lupercali sive fano Panis Luperci. Varro IV. de L. L. 24. *Luperci, quòd Lupercalibus in Lupercali sacra faciant*. Vide & Justin. XLIII. 1. Idem.

4. *Tamen isthuc malo*] Nempe ut domus tibi sit, in qua nobiscum vivas Romæ. Id.

5. *Heletem*] Strabo in initio VI. libri, ubi de omni illa ora agit, plures sententias adducit, unde *Velia* à Græcis *Helea* appellata esse possit, nonnullósque tradit ab *Helete fluvio* ei nomen inditum voluisse. Stephanus inde nomen illam accepisse affirmat. Victorius. Alii, *Haletem*.

6. *Papirianam*] Emptam de Papirio quodam à Trebatio, vel ab ejus patre. Manut.

Digitized by Google

illa quidem habet [7] lotum, à quo etiam advenæ teneri solent: quem tamen si excideris, multùm prospexeris. Sed in primis opportunum videtur, his præsertim temporibus, habere perfugium, primùm eorum urbem, quibus carus sis: deinde tuam domum, tuósque agros, eáque remoto, salubri, amœno loco: ídque etiam mea interesse, mi Trebati, arbitror. Sed valebis, meáque negotia videbis, méque, diis juvantibus, ante brumam expectabis. Ego à Sext. Fadio, Niconis discipulo, librum abstuli, [8] Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suavem, méque docilem ad hanc disciplinam! Sed Bassus noster me de hoc libro celavit; [9] te quidem non videtur. Ventus increbescit. Cura ut valeas. XIII. kal. Sext. Veliâ.

7. *Lotum*] Nos antiquos codices in hoc etiam secuti sumus, quos incorruptos esse censemus. De *lotorum* nobilitate, & quàm jucunda earum opacitas esset, quantique olim in domibus æstimarentur, Plinius docet in libri XVII. procemio. Polybius à se visam in Attica describit lib XII. histor. quem locum, quia nondum integer vulgatus est Polybius, leges apud Athenæum δειπνοσοφιστῶν lib. XII. qui totam verbis ipsius hujus arboris descriptionem persequitur. Nam qui *lucum* emendarunt, deceptos esse putamus. Impium enim Ciceronis consilium fuisset; cùm enim sacri essent luci, non sine ingenti piaculo & scelere incidi poterant: domúsque privata non luci erat capax, cùm *loti*, deliciarum causâ, summâ arte in domibus colerentur, advenæ autem raram arborem visebant, & ejus jucundo aspectu tenebantur: propter quam rem jocans (ut arbitror) jubet ipsum lotum illam exscindere, quia sibi esset sumptûs causa, cùm sæpe hospitum domus plena esset. Nam in verbo illo *prospexeris* ambiguum sensum esse puto. Videtur enim dicere, *si lotum excideris*, majus cæli spatium aspicies: illa enim suâ capacitate prospectum impedit, & luminibus obstruit: cùm dicat, Rebus tuis consules, minores enim sumptus facies, non enim causa erit advenis, cur domum tuam frequentent. Et omnia hæc facetè & cum joco, ut consuevit. Ferè enim semper cum eo jocatur. Adversatur solùm antiquæ lectioni, quòd *lotum* fœminino genere alii auctores appellarunt, cùm ipse masculino usurpet: quare accuratè considerandum est, vitiúmne eâ parte vetus habeat, sive eo genere contra plurimorum morem, quod vix verisimile est, Cicero appellare lotum voluerit. VICTOR. Ne genus obstaculo nobis sit ad hanc lectionem approbandam, pluribus docet Sanctius in Minerva, quem consule. GRÆV.

8. *Νίκωνος*] Niconis. *De edacitate.* In illo, opinor, libro documenta inerant, quo modo, incolumi valetudine, plurimum edi posset. MANUT.

9. *Te quidem non videtur*] Ita sine metu morbi escæ maximæ videris. J. F. GRON.

CICERO TREBATIO S. D.

SILII [1] causam [2] te docui. Is postea fuit apud me, cùm ei 21 dicerem, tibi videri [3] sponsionem illam nos sine periculo facere

ARG. Silii, amici sui, causam Trebatio commendat, ut ad eum veniat, & adjuvet. *Anno* U. C. 709.

Digitized by Google

cere posse, [4] *Si bonorum Turpiliæ possessionem Q. Cæpio Prætor ex edicto suo mihi dedit*: negare aiebat Servium, tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui [5] factionem testamenti non habuerit; hoc idem Offilium dicere. Tecum se locutum negabat: méque rogavit, ut se & causam suam tibi commendarem. Nec vir melior, mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Gratissimum igitur mihi feceris, si ad eum ultro veneris, eíque pollicitus eris. Sed, si me amas, quàm primùm, hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

1. *Silii*] Ad quem scribit lib. XIII.

2. *Causam te docui*] *Docet causam*, cujus res agitur, cùm pro se acturum instruit. *Discit*, qui defensurus est. Seneca in nobili fragmento apud Augustinum lib. VI. de Civ. Dei, cap. 10. *Sunt qui vadimonia sua Deos advocent: sunt qui libellos offerant, & illos causam suam doceant.* Plin. III. ep. 9. *legatos interrogabam, docuissétne me aliquid, quod re probari posse confiderent.* J. F. GRON.

3. *Sponsionem illam*] Judicialem, ut judicio vicisse credatur adversarius, ni ita sit. Vide Pithœi Adversf. 18. IDEM.

4. *Si bonorum Turpiliæ*] Legendum videtur, *Ni bonorum* &c. Hereditatem sibi à Turpilia relictam Silius ex edicto prætoris acceperat. Vocatus in judicium à Turpilio propinquo, eandem hereditatem repetente, quia Turpiliæ factionem testamenti fuisse negaret, sponsionem facere cogebatur: de qua consuluit peritissimos jurisconsultos, Serv. Sulpicium, & Offilium: & cùm Trebatii quoque sententiam scire vellet, Ciceronis operâ usus est. MANUT.

5. *Factionem*] Jus faciendi testamenti.

CICERO TREBATIO S. D.

22 ILLUSERAS heri inter scyphos: quod dixeram, controversiam esse, possétne heres, quòd furtum antea factum esset, [1] furti rectè agere. Itaque, etsi domum bene potus seróque redieram, tamen id caput, ubi hæc controversia est, notavi & descriptum tibi misi: ut scires, id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Ælium, M'. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen [2] Scævolæ & Testæ assentior. Vale.

ARG. De furto quæstionem, inter scyphos natam, probat auctoritate jurisconsultorum *Anno incerto.*

1. *Furti rectè agere*] Haberétne actionem adversùs eum furem, qui furatus esset ante quàm ipse heres esset. Ideò enim dubitari potest, quia non videtur heres ea, tanquam sua, posse repetere, quæ nondum ad eum hereditario jure pervenissent. MANUT.

2. *Scævolæ & Testæ*] Trebatium suis cognominibus appellat. *Testa* enim vocatur epist. 13. & 11. *Scævola* verò epist. 14. ad Att. lib. IX. Jocatur Cicero, & post verbum *Scævolæ*, addit copulam *&*: ut videatur de duobus loqui, cùm de uno loquatur. Aut dic, P. Mucium significari, quem & lib. I. de Fin. cum Manilio & Bruto nominat, eósque vocat principes civitatis: nisi si Mucium Scævolam illum notat, de quo epist. 10. IDEM.

CICERO FABIO GALLO S. D.

TANTUM [1] quòd ex Arpinati veneram, cùm mihi à te literæ redditæ sunt: ab eodémque accepi [2] Aviani literas: in quibus hoc inerat liberalissimum, [3] nomina se facturum, cùm venisset, quâ ego vellem die. Fac, quæso, qui ego sum, esse te. Estne aut tui pudoris, aut nostri, primùm rogare de die; deinde [4] plus annuâ postulare? Sed essent, mi Galle, omnia facilia, si & ea mercatus esses, quæ ego desiderabam, & ad eam summam, quam volueram. Ac tamen ista ipsa, quæ te emisse scribis, non solùm rata mihi erunt, sed etiam grata. Planè enim intelligo, te non modò studio, sed etiam amore usum, quæ te delectarint, hominem (ut ego semper judicavi) in omni judicio elegantissimum, quǽque me digna putaris, coëmisse. Sed velim maneat [5] Damasippus in sententia: prorsus enim ex istis emptionibus nullam desidero. Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor aut quinque sumpsisti. [6] Bacchas istas cum Musis Metelli comparas. Quid simile? Primùm, ipsas ego Musas nunquam tanti putassem: atque id fecissem Musis omni-

23

ARG. Signa quædam & statuas Ciceroni, vel potiùs tabulas pictas cupienti, Gallus emerat. Ex illis emptionibus nullam à se desiderari Cicero rescribit: simul gratum sibi esse significat, quòd domum proximam velit conducere. *Anno incerto.*

1. *Tantùm quod*] Sic MSS. & optimus quisque librorum: deteriores sine *quòd*. Est autem *tantum quòd*, vix, modò, commodùm, simul ac. CELLARIUS.

2. *Aviani*] De quo lib. XIII. epist. 2.

3. *Nomina se facturum*] Se nobis crediturum, tradituríumque statuas, quas ab eo emimus, non præsenti pecuniâ, sed in diem. *Facere nomen* est credere alicui, vel cum aliquo in creditum ire, sive pecuniâ mutuâ datâ, sive merce traditâ, pro qua pretium non præsens, sed in diem dictam solvatur. Nomen facit creditor, cùm scribit in libro expensi se alicui tantum credidisse, aut mercem tradidisse, quam pecuniam mutuam, quáve pro merce pecuniam ad diem placitam recipiat. Sen. II. de Benef. 23. *Idque fiebat præsente & vidente debitore.* Cic. pro Sex. Rosc. c. 1. debitor dicebatur *locare nomen.* Phæd. I. 16. etsi eundem *facere nomen* etiam dicat Cic. III. Off. 14. Vid. Salm. de Usur. pag. 146. 147. J. F. GRONOVIUS.

4. *Plus annuâ postulare*] Postulare ut summam, quam me illi debere in tabulis retulerat, intra annum non restituerem, sed diutiùs retinerem, & solverem usuras. *Annuâ die debere* est hac conditione & lege pecuniam mutuam accipere, ut post annum elapsum restituatur. GRÆVIUS.

5. *Damasippus*] Scripserat (opinor) Gallus, empturum ea signa Damasippum, si Ciceroni non placerent. Horatius Sat. 3. lib. II.

Insanit veteres statuas Damasippus emendo. MANUTIUS.

6. *Bacchas*] Baccharum imagines, id est, mulierum ebriarum, quasi celebrantium Bacchi orgia. CELLARIUS.

Digitized by Google

bus approbantibus: ſed tamen erat aptum bibliothecæ, ſtudiíſque noſtris congruens. Bacchis verò ubi eſt apud me locus? At pulchellæ ſunt. Novi optimè, & ſæpe vidi. Nominatim tibi ſigna mihi nota mandaſſem, ſi probaſſem. Ea enim ſigna ego emere ſoleo, quæ ad ſimilitudinem gymnaſiorum exornent mihi in palæſtra locum. Martis verò ſignum quò mihi pacis auctori? Gaudeo nullum Saturni ſignum fuiſſe. Hæc enim duo ſigna putarem mihi [7] æs alienum attuliſſe. Mercurii mallem aliquod fuiſſet. Feliciùs, puto, cum Aviano tranſigere poſſemus. Quod tibi deſtinaras [8] trapezophoron, ſi te delectat, habebis: ſin autem ſententiam mutaſti, ego habebo ſcilicet. Iſtâ quidem ſummâ næ ego multo libentiùs emerim diverſorium Tarracinæ, ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim. Omnino liberti mei video eſſe culpam, [9] cui planè res certas mandaram: itémque Junii, quem puto tibi notum eſſe, Aviani familiarem. [10] Exhedria quædam mihi nova ſunt inſtituta in porticula Tuſculani. Ea volebam tabellis ornare. Etenim, ſi quid generis iſtiuſmodi me delectat, pictura delectat. Sed tamen, ſi iſta mihi ſunt habenda, certiorem velim me facias, ubi ſint, quando arceſſantur, quo genere vecturæ. Si enim Damaſippus in ſententia non manebit, aliquem pſeudodamaſippum vel cum jactura reperiemus. Quod ad me de domo ſcribis iterum, jam id ego proficiſcens mandabam meæ Tulliæ. Eâ enim ipsâ horâ acceperam tuas literas: egeram etiam cum tuo Nicia, quòd is utitur, ut ſcis, familiariter Caſſio. Ut redii autem, prius quàm tuas legi has proximas literas, quæſivi de mea Tullia, quid egiſſet. Per Liciniam ſe egiſſe dicebat. Sed opinor Caſſium uti non ita multùm ſorore. Eam porrò negare ſe audere, cùm vir abeſſet, (eſt enim profectus in Hiſpaniam Dexius) illo & abſente & inſciente migrare. Eſt mihi gratiſſimum, tanti à te æſtimatam conſuetudinem vitæ, victúſque noſtri: primùm, ut eam domum ſumeres,

7. *Æs alienum*] Martis enim & Saturni ſigna minùs fauſta putantur: mavult per jocum *Mercurii*, quia is credebatur deus mercatorum eſſe, & nummos procreare. MAN.

8. *Trapezophorum*] Qui menſam fert: ſeu menſæ fulcimentum. IDEM.

9. *Cui planè res certas*] Cui ſic expoſueram ſententiam meam, ut, ſi ille mandata tibi rectè edidiſſet, errare non poſſes. J. F. GRONOV.

10. *Exhedria*] Loca in porticibus, ubi ſedentes diſputare ſoliti erant. Ita Vitruvius & Cicero. *Exhedra* tamen muliebri genere, uſitatius. MANUTIUS.

Digitized by Google

res, ut non modò prope me, sed [11] planè mecum habitare posses: deinde, ut migrare tantopere festines. Sed ne vivam, si tibi concedo, ut ejus rei tu cupidior sis, quàm ego sum. Itaque omnia experiar. Video enim quid mea intersit, quid utriusque nostrûm. Si quid egero, faciam, ut scias. Tu & ad omnia rescribes, & quando te expectem, facies me, si tibi videtur, certiorem. Vale.

11. *Planè mecum habitare*] Fortasse, quòd paries communis esset: vel quòd ædes illæ ita Ciceronis ædibus vicinæ, ut ad eum per commodè Gallus itare posset. MANUT.

CICERO M. FABIO GALLO S. D.

AMORIS quidem tui, quoquò me verti, vestigia: vel pro- 24
ximè de [1] Tigellio. Sensi enim ex literis tuis, valde te laborasse. Amo igitur voluntatem. Sed pauca de re. [2] Cipius (opinor) olim, *Non omnibus dormio*; sic ego non omnibus, mi Galle, servio. Etsi quæ est hæc servitus? Olim, cùm regnare existimabamur, non tam ab ullis, quàm hoc tempore observor à familiarissimis Cæsaris omnibus, præter istum. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem [3] patriâ suâ: eúmque addictum jam tum puto esse [4] Calvi Licinii [5] Hipponacteo [6] præconio. At vide, quid succenseat. [7] Phameæ causam rece-

ARG. Exponit quàm injustè sibi Tigellius irascatur. Cæsare quartùm consule sine collega. *Anno* U. C. 708.

1. *Tigellio*] M. Tigellio Hermogene liberto, quod Hermogenis cognomen indicat Est enim is, de quo Horatius Sat. 9. lib. I. *Invideat quod & Hermogenes, ego canto.* Et Sat. 2. 3. 10. quibus locis ostenditur, quod hæc quoque declarat epistola, Tigellium canendi arte præstitisse. Quid autem de Tigellio scripserit ad Ciceronem Gallus, cognoscitur ex epist. 47. lib. XIII. ad Att. MANUTIUS.

2. *Cipius*] Alii *Capius*, & *Cepius*. Sed omnem dubitationem tollit Sext. Pompeius, in proverbio, *Non omnibus dormio*: ubi docet, proverbium videri natum à *Cipio* quodam, qui *pararenchon* dictus est; quòd simularet dormientem, quo impuniùs uxor ejus mœcharetur. Eundem commemorat & Plutarchus in Erotico, ubi tamen Κάββας nominatur, si locus emendatus est. LAMB.

3. *Patriâ suâ*] Sardinia. CORRAD.

4. *Calvi Licinii*] Cornelii Licinii Calvi poetæ: de quo vide G. J. Vossium.

5. *Hipponacteo præconio*] Iambico scazonti, sic ab auctore appellato. Quale est illud,

Sardi Tigelli putridum caput venit.

Præconio autem dixit, quia præco Sardos venales pronuntiabat. CORRADUS.

6. *Præconio*] Præconum est proclamare venales, eorúmque prædicare virtutes & artes, ut citiùs emptorem inveniant: iidem addicebant emptori, seu jubebant emptorem ducere emptum, ubi de pretio convenerat. Ita ergo proscripsit proclamavitque Hipponacteo carmine Tigellium, & prædicavit publicavítque ejus scelera & vitia, & hominem duraturæ

Digitized by Google

receperam, ipsius quidem causâ: erat enim mihi sanè familiaris. Is ad me venit, dixítque, judicem sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat. Respondi nullo modo me facere posse, cùm vellem: alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ille autem, [8] qui sciret se nepotem, bellum tibicinem habere, & sat bonum unctorem, discessit à me, ut mî videbatur, iratior. [9] Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. Cognosti meam causam, & istius [10] Salaconis iniquitatem. [11] Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. Me adhuc non legisse, turpe utrique nostrûm est. Vale.

raturæ in æternum infamiæ quasi addixit Calvus. Suspicor autem supervacanea esse duo verba, *puto esse*: ut fuerit, *non ferre hominem pestilentiorem patriâ suâ, eúmque addictum jam tum Calvi Licinii Hipponacteo præconio.* Eum præsertim, inquit, quem jam ante tot annos prædicavit *Calvus*, ut *Hipponax* Anthermum & Bupalum: quasi præco venalem exposuit cum ornamentis omnibus, tradidítque infamiæ velut proprium & addictum. J. F. GRONOVIUS.

7. *Phamea*] Liberti, cujus nepos Tigellius. *Ipsius quidem causâ*: Non propter Tigellium ejus nepotem, sed ipsius causâ. MANUT.

8. *Qui sciret*] Quasi ob hoc cristas erigeret, & Ciceronem putaret negare sibi nihil debere, quia Tigellii avus esset. GRON.

9. *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem*] Nempe Phameam, & M. Tigellium Hermogenem, nepotem illius, modulatorem optimum, in Sardinia natum, ut notat Acron. Proverbio hoc utebantur de hominibus improbis, nequitiâ & fraude inter se certantibus, ut qui alteri præferendus sit, non facilè possit intelligi. Proverbio dederunt originem Sardiniæ captæ venales, qui nequiter servierunt, & improbitatis ac nequitiæ palmam tulerunt inter mancipia: non verò à Veientibus, qui quoniam Etrusci sunt, hi verò Coloni Lydorum, quorum caput fuerit Sardes, à quo *Sarai* dicti sint, ut Festus & Plutarchus docent. Nam à *Sardes* est *Sardianus*, à *Sardinia* verò *Sardus*. Sic rectè hoc proverbium exponit, & pluribus refellit Festi & Plutarchi sententiam Gronovius IV. de Pec. Vet. cap. 10. quod vide. GRÆVIUS.

10. *Salaconis*] Nec Græcis ignotum nomen, qui vel luxuriosum & mollem, vel in pauperie superbientem, vel prodigum etiam interpretantur. Vide Hesychium & Suidam. CELLAR. Utitur hac eadem voce, epistolâ 18. libri XVI.

11. *Catonem tuum*] Librum à te de M. Catone scriptum. CORRAD.

CICERO M. FABIO GALLO S. D.

25 QUOD epistolam conscissam doles, noli laborare. Salva est; [1] domo petes cùm libebit. Quòd autem me mones, valde

ARG. Epistolam conscissam non esse nuntiat; & monitus, ne incautiùs de Cæsare loquatur, gratias agit: & ut pergat stylum exercere, hortatur. *Anno* U.C. 708.

1. *Domo petes cùm libebit*] Ita Victorius ex mss. Alii verò, *Salva est domi: petes cùm libebit*. Neutrum malè.

de gratum eſt; ídque ut ſemper facias, rogo. Videris enim mihi vereri, ne, [2] ſi iſtum habuerimus, rideamus γέλωτα [3] σαρδόνιον. Sed heus tu, [4] manum de tabula: magiſter adeſt citius, quàm putaramus. Vereor ne in Catonium Catoninos. Mi Galle, cave putes quidquam melius, quàm epiſtolæ tuæ partem ab eo loco: *cætera labuntur*. Secretò hoc audi; id tecum habeto; ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris. Præter duo nos loquitur iſto modo nemo: bene maléne, videro: ſed, quidquid eſt, noſtrum eſt. Urbe igitur, [5] nec tranſverſum unguem (quod aiunt) à ſtylo. Is enim eſt dicendi opifex. Atque equidem [6] aliquantum jam etiam noctis aſſumo. Vale.

2. *Si iſtum habuerimus*] Mediceus liber, *niſi iſtum habuerimus*. Semper mihi ſuſpectus hic locus, ac meritò quidem fuit: & eſt ſanè tota epiſtola obſcurior. Arbitror legendum eſſe, *niſi iſtum eav rimus*. Sententia, ut patet, egregia eſt: intelligit enim per *iſtum*, Cæſarem. Memini diſertum virum, qui & ipſe hunc locum depravatum eſſe cenſebat, ſic eum emendare ſolitum *ne, ſi ſtylum acuerimus*. VICT. *Iſtum*. Tigellium, vel Phameam potiùs, quàm Cæſarem ſignificat, propter proverbium quod addit, & neſcio quam ſuſpicionem, de qua lib. XIII. ad Atticum ſcribit. CORRADUS.

3. *Γέλωτα σαρδόνιον*] Proverbium de iis uſurpatum, qui riſu & jocis ſibi nocivum concitant periculum. Vide Eraſm. in proverb. GRÆVIUS.

4. *Manum de tabula*] Proverbium eſſe exiſtimo ſumptum à pueris pictorum, qui, abſente magiſtro, ſumpto penicillo aliquid & ipſi furtim in tabula pingere conantur. Quo repentè ſuperveniente, admonentur à cæteris ut citò manum de tabula removeant, ne in illos magiſter animadvertat. Monet igitur Cic. Fabium, ut appropinquante Cæſare manum & ipſe de tabula citò auferat: ſcribebat enim Catonem, quæ ſcriptio parum Cæſari grata & jucunda eſſe poterat, & quæ inimiciſſimum illi hominem ſummis laudibus ornaret. Cùm autem ſe quoque cogitaret, quia & ipſe etiam Catonem ſcripſerat, apud eum offendiſſe, ſubjungit, *vereor ne in Catonium Catoninos*, id eſt, timeo ne Cæſar commotus irâ ad inferos demittat Catoni deditos, & Catonem amantes, id eſt, meipſum & te, qui Catonis laudes ſcripſimus. Nam & A. Gellius videtur oſtendere *Catonium* pro inferis ſumi quandoque ſolitum. Vide lib. XVI. Noct. Att. c. 7. VICT.

5. *Nec tranſverſum unguem, quod aiunt, à ſtylo*] Subaudi, *diſcedas*. Dicitur autem eodem ſenſu, *unguem*, *digitum*, *pedem non diſcedere*, pro minimum diſcedere. MANUT. Vide Eraſm. in proverb.

6. *Aliquantum jam etiam noctis aſſumo*] Cùm dicat, *jam etiam*, apparet epiſtolam ſcriptam eſſe in exitu æſtatis, vel ineunte autumno, cùm noctes incipiunt jam eſſe longiores. Atque illud, *magiſter adeſt*, quod de Cæſare dictum eſt, indicare videtur ſcriptum eſſe menſe Sextili. Nam epiſt. 46. ad Attic. lib. XIII. *Cæſar*, inquit, *adeſt*. Illam verò ſcriptam Sextili menſe, cognoſcitur ex ea quæ proxima antecedit. IDEM.

CICERO [1] GALLO S. D.

26 CUM decimum jam diem graviter ex inteſtinis laborarem, neque iis, qui meâ operâ uti volebant, me probarem non valere, quia febrim non haberem, fugi in Tuſculanum: cùm quidem biduum ita jejunus fuiſſem, ut ne aquam quidem guſtarem. Itaque confectus languore & fame, magis tuum officium deſideravi, quàm abs te requiri putavi meum. Ego autem cùm omnes morbos reformido, [2] tum quo Epicurum tuum Stoici malè accipiunt, quia dicat, δυσουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη ſibi moleſta eſſe: quorum alterum, morbum edacitatis eſſe putant, alterum etiam turpioris intemperantiæ. Sane δυσεντερίαν pertimueram. Sed viſa eſt mihi vel loci mutatio, vel animi etiam relaxatio, vel ipſa fortaſſe jam ſeneſcentis morbi remiſſio profuiſſe. Attamen, ne mirere, unde hoc acciderit, quomodòve commiſerim: [3] lex ſumptuaria, quæ videtur [4] λιτότητα attuliſſe, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt iſti lauti terrâ nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil poſſit eſſe ſuavius. In eas cùm incidiſſem in [5] cœna augurali apud Lentulum, tanta me διάῤῥοια arripuit, ut hodie primùm videatur cœpiſſe conſiſtere.

ARG. Herbas in augurali cœna lauta conditas ſibi morbum attuliſſe narrat. *Anno incerto.*

1. *Gallo*] Fortaſſe Q. Fabio Sangæ Gallo. Nam in veteribus libris ſuperiores epiſtolæ, poſt librum ad M. Varronem ſcriptum ſunt poſitæ: hæc & ſequens, hoc loco: & hic Gallus exulabat Cæſare Dictatore, ille Romæ erat: hic Epicureus erat, ille Academicus: hic neſcio quid ad Ciceronem detulit, quod Sangæ propter conjurationem convenit: ille nihil, quod ſciam. CORRAD.

2. *Tum quo*] Hoc eſt, tum hunc maximè, quo Epicurum laborantem Stoici reprehendebant, quia putabant eum his morbis exagitatum fuiſſe ob edacitatem & impudicitiam. QUARTERIUS. Epicuri verba lib. II. de Fin. cap. 30. recitantur. *Tanti autem morbi aderant veſicæ & viſcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere.* Δυσουρικὰ πάθη, ſtranguriam Græco verbo; δυσεντερικὰ, tormina Cicero vocat Tuſc. 2. de Epicuro loquens. MANUT.

3. *Lex ſumptuaria*] De qua Gellius, II. 24. & Macrob. Saturn. lib. III.

4. Λιτότητα] Frugalitatem. MANUT.

5. *Cœna augurali*] Augures, ſacerdotium ineuntes, collegis cœnam dabant lautam in primis atque opiparam. Varro lib. III. c. 6. *Primus pavones augurali cœnâ poſuiſſe dicitur Q. Hortenſius.* Eadem *Adjicialis cœna* vocabatur. Nam Plin. lib. X. cap. 20. *Pavonem*, ait, *cibi gratiâ Romæ primus occidit orator Hortenſius adjiciali cœnâ ſacerdotii.* MANUTIUS. In eo qui huc adducitur Plinii loco, non *adjiciali*, ſed *aditiali* edidit Harduinus, nempe ab aditu ſacerdotii, vel adeundo ſacrificio. Quod quis non unicè ampleclatur? OLIVETUS.

Digitized by Google

re. Ita ego, qui me ostreis & murænis facilè abstinebam, à beta & à malva deceptus sum. Posthac igitur erimus cautiores. Tu tamen cùm audisses ab Anicio (vidit enim me nauseantem) non modò mittendi causam justam habuisti, sed etiam visendi. Ego hîc cogito commorari quoad me reficiam. Nam & vires & [6] corpus amisi. Sed, si morbum depulero, facilè, ut spero, illa revocabo. Vale.

6. *Corpus amisi*] Hoc est, carnem, macescere cœpi. Ovid. I. Am. el. 16.

Aptáque subducto corpore membra dedi.

Hoc est, postquam de pinguedine aliquid decessit. Contrà *corpus facere* est pinguescere Phædro lib. II.

Ut restiterunt: unde sic quæso nites?

Aut quo cibo fecisti tantum corporis? GRÆV.

CICERO [1] GALLO S. D.

MIROR, cur me accuses, [2] cùm tibi id facere non liceat. Quod si liceret, tamen non debebas. [3] *Ego enim te in consulatu observaram.* Et ais, fore, ut te Cæsar [4] restituat. Multa tu quidem dicis, sed tibi [5] nemo credit. Tribunatum [6] plebei dicis te [7] meâ causâ petisse. Utinam semper esses tribunus: [8] intercessorem non quæreres. Negas me audere, quod sentiam dice- 27

ARG. Gallus, alius fortè quàm Fabius, Ciceronem literis accusaverat, quem vicissim literis repungit. *Anno* U. C. 707.

1. *Gallo*] Is non fuit M. Fabius Gallus, sed M. Fadius Gallus. Et sic legendum esse contendit Steph. Pighius annal. XVI. quem vide. GRÆVIUS. Libentiùs crediderim, hunc esse P. Sextium, pro quo extat oratio, cui cognomen fuerit Gallo: fuisse enim hoc Sextiæ gentis cognomen, intelligitur ex orat. pro Milone, ubi, *Sacrarium, quod est in fundo T. Sextii Galli.* MANUT.

2. *Cùm tibi id non liceat*] Pighius propter sortis quæstoriæ necessitudinem. Divin. in Cæcil. cap. 19. Fuerat autem quæstor Ciceronis Cos. A. U. 690. Sed & alia potest causa dari, quia erat exul. J. F. GRONOVIUS.

3. *Ego enim te in Consulatu observaram*] Credibile est his verbis usum Fadium in suâ epistolâ. Sed hîc Cicero reddit ei sua verba aliter accepta. Nam Fadius imputat Ciceroni cultum & officia, quæ ei præstiterit. Cicero & sic videtur accipere, cùm ponit tanquam causam, propter quam non conveniat Fadio ipsum accusare. Intelligit autem se intentum in eum fuisse, & actiones ejus speculatum, ne quæstor de pecuniâ publicâ quid suffuraretur. Sic Att. VIII. 19. *tibi esse in animo observare Cæsarem.* Sueton. Jul. 65. *subinde observandum se admonens.* IDEM.

4. *Restituat*] Ab exilio. MANUT.

5. *Nemo credit*] Vel aliquid dicenti, vel pecuniam. J. F. GRONOVIUS.

6. *Plebei*] Pro *plebis*, ἀρχαικῶς.

7. *Meâ causâ*] Ut restitueres me. MAN.

8. *Intercessorem non quæreres*] Nam qui Tribunus est, ipse habet jus intercedendi. Manutius: Non rogares, ut ego pro te apud Cæsarem intercederem. Atqui *intercedere pro aliquo*, pro deprecari, Latinum non est. Immo hoc confirmat, quod diximus de τῷ *nemo tibi credit. Intercedere pro aliquo pecuniam*, est, fidejubere. Phil. II. 18. *Orabat, ut contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem.* Tan-

Digitized by Google

dicere. Quasi tibi, cùm impudenter [9] me rogares, parum fortiter responderim. Hæc tibi scripsi, ut [10] isto ipso in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognosceres. Quòd si humaniter mecum questus esses, libenter tibi me & facilè purgassem. Non enim ingrata mihi sunt, quæ fecisti; sed quæ scripsisti, molesta. Me autem, propter quem cæteri liberi sunt, tibi liberum non visum demiror. Nam si falsa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, [11] detulisti, quid tibi ego debeo? si vera, tu es optimus testis, quid mihi populus Romanus debeat.

Tantum enim se pro te intercessisse dicebat. VI. Att. I. *intercessisse se pro iis magnam pecuniam.* Sen. ep.119. *nolo per intercessorem mutueris.* Hoc igitur ait, Non quæreres, cujus fide & quo sponsore quisquam tibi crederet nummos. J. F. Gronov. Respondet Gallo, qui petierat à Cicerone, ut de se restituendo cum Cæsare ageret. Itaque ludens in ambiguo, *intercessorem*, & pro tribuno vetante, & pro amico deprecante usurpat. Facciolatus.

9. *Me rogares*] Per literas. Epistola I. lib. XIV. ad Att. *Cùm Sextii rogatu apud eum fuissem.* Quibus ex locis exulasse Sextium constat. Rogavit enim Sextius absens Ciceronem, ut de suo reditu Cæsari supplicaret. Manut.

10. *Isto ipso in genere*] Acerborum salium, jocandi cum morsu, pungendi specie urbanitatis. J. F. Gronov.

11. *Detulisti*] De C. Antonii consulis tui consiliis. Manut.

Cicero [1] Curio S. D.

28 Memini cùm mihi desipere videbare, quòd cum istis potiùs viveres, quàm nobiscum. Erat enim multo domicilium hujus urbis (cùm quidem hæc urbs) aptius humanitati & suavitati tuæ, quàm tota Poloponnesus, nedum [2] Patræ. Nunc contrà & vidisse mihi multum vidêris, cùm, propè desperatis his rebus, [3] te in Græciam contulisti, & hoc tempore non solùm sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus. Quanquam quis, qui aliquid sapiat, nunc esse beatus potest? Sed, quod tu, cui licebat, pedibus es consecutus, ut ibi esses, [4] *ubi nec Pelopidarum*

Arg. Probat Curii consilium, quo, desperatâ rep. in Græciam se contulerat. Addit propter eandem causam & se in bibliothecam abdi; nullam enim spem reliquam esse, aliquando melius fore. *Anno* U. C. 707.

1. *Curio*] Tribunus plebis quo tempore Cicero ab exilio est revocatus. Corrad.

2. *Patræ*] Urbs in Achaia.

3. *Te in Græciam contulisti*] Paulo ante bellum civile. Nam Cicero ex Cilicia rediens, Tironem ægrum Patris, ubi erat Curius, reliquit. Corrad.

4. *Ubi nec Pelopidarum*] Subaudi, neque *facta audias*, *neque nomen*. Vide epist. 30. hujus

Digitized by Google

darum... nosti cætera: nos idem propemodum consequimur aliâ ratione. Cùm enim salutationi nos dedimus amicorum: quæ fit hoc etiam frequentiùs, quàm solebat, quòd, quasi avem albam, videntur bene sentientem civem videre: abdo me in bibliothecam. Itaque opera efficio tanta, quanta fortasse tu senties. Intellexi enim ex tuo sermone quodam, cùm meam mœstitiam & desperationem accusares, domi tuæ dicere [5] te, ex meis libris animum meum desiderare. Sed mehercule & tum rempublicam lugebam, quæ non solùm suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi carior: & hoc tempore, quanquam me non ratio solùm consolatur, quæ plurimùm debet valere, sed etiam dies, quæ stultis quoque mederi solet: tamen doleo, ita rem communem esse dilapsam, ùt, ne spes quidem, melius aliquando fore, relinquatur. Nec verò nunc quidem culpa in eo est, in cujus potestate omnia sunt, (nisi fortè id ipsum esse non debuit) sed alia casu, alia etiam nostrâ culpâ sic acciderunt, ut de præteritis non sit querendum. Reliquam spem nullam video. Quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquisti, si consilio: feliciter, si casu. Vale.

hujus libri. *Pelopidæ* autem hîc dicuntur mali cives, qui rempub. oppresserunt. Cujus poetæ sit hic senarius, non satis constat. ANONYMUS.

5. *Te ex meis libris*] Non eum me esse qui viderer in meis libris. MANUT.

CURIUS M. CICERONI SUO S.

29

SI vales, bene est. [1] Sum enim [2] χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri. Ergo fructus est tuus, [3] mancipium illius: quod quidem si inter [4] senes coëmptionales venale proscripserit, egerit non

ARG. Curius laudat Ciceronis erga se beneficia, eúmque rogat, ut Ser. Sulpicii se successori commendet. *Anno* U. C. 708.

1. *Sum enim... tuus*] *Enim* connectit cum pronomine *SUO* in titulo, ut lib. I. epist. 10. CELLAR.

2. *Χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici*] Usu quidem tuus, possessione autem Attici. Sententiam hanc lepidè expressit Lucretius, lib. III. ℣. 984. *Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.* MANUTIUS.

3. *Mancipium illius*] Est possessio, jus dominii. Hinc *mancipio dare* est ita dare ut proprietas transeat ad alium. GRÆV.

4. *Senes coëmptionales*] Sunt mancipia rejicula & veterana, quæ, quòd non ita facilè emptorem invenirent, aut minimo æstimarentur, solebant vel plura in cumulum vendi, vel quasi mantissa & appendix dari melioribus, ut qui bene habitum conciliare cuperet, imparem contubernalem simul acciperet. Unde *senes coëmptionales* dicebantur, hoc

Digitized by Google

non multùm. [5] *At illa nostra prædicatio quanti est? nos, quòd simus, quòd habeamus, quòd* [6] *homines existimemur, id omne abs te habere? Quare, Cicero mi, persevera constanter nos conservare; & Sulpicii successori nos* [7] *de meliore nota commenda; quo faciliùs tuis præceptis obtemperare possimus, téque* [8] *ad ver lubentes videre, & nostra* [9] *refigere, deportaréque tutò possimus. Sed, amice magne, noli hanc epistolam Attico ostendere: sine eum errare, & putare, me virum bonum esse, nec solere* [10] *duo parietes de eadem fidelia dealbare. Ergo, patrone mi, bene vale, Tironémque meum saluta nostris verbis. Dat. a. d.* IV. *kal. Novemb.*

hoc est, simul venales. Plaut. Bacchid. IV. sc. 9.

Nunc Priamo nostro, si quis est emptor, coëmptionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum expugnavero.

Habeo venalem senem coëmptionalem, hoc est, ex eo genere, in quibus singulis vix quisquam facit pretium, sed qui auctioni aliorum accedunt. Vendam, inquit, ubi oppidum expugnavero. Sic Curius hîc dicit, si mihi inter rejiculia istiusmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideríque me, parum rei fecerit: quia inutiles sumus & nullius pretii. Curius se vix ait prodesse Attico, cujus sit κλῆρος, posse, nisi proscribatur ab eo venalis inter mancipia veterana, quæ plerumque in cumulum venduntur, aut aliis rebus vel mancipiis melioribus accessiones dantur: sic quoque non multum. J. F. GRONOV. IV. de Pec. vet. cap. 8.

5. *At illa nostra prædicatio quanti est*] At tuus ille fructus ex me longè majoris est. Alludit ad præcones auctionibus adhiberi solitos. IDEM.

6. *Homines*] Alicujus pretii. IDEM.

7. *De meliore nota*] Translatio à doliis, quibus diversæ inuruntur notæ, ut internoscantur vina. MANUT.

8. *Ad ver*] Verno tempore. Sic Vict. & Lamb. ex mss. Alii, *ad urbem.*

9. *Refigere*] Sic legendum. Id est, pecunias, quas hic habeo collocatas & fundatas & quasi fixas liberare & redigere. Nam *refigere* contrarium τῷ *figere.* Infr. XII. 1. Justin. IX. ult. At *defigere* est idem, quod *figere.* J. F. GRONOV. Hîc alii legunt *defigere*, alii *deferre.*

10. *Duo parietes de eadem fidelia*] Significat hoc proverbium, unâ eadémque operâ duas res conficere. *Fidelia* est fictilis urceus, in quo color habebatur tingendis parietibus. Vid. Erasm. Adag.

CICERO CURIO S. D.

30 EGo verò jam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas; quin hinc ipse evolare cupio, & aliquò pervenire, *ubi nec* [1] *Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* Incredibile est, quàm turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersim. Næ tu

ARG. Ostendit quàm miserè agatur cum rep. cùm Cæsar Caninium ad aliquot horas consulem creaverit: & de literis commendatitiis ad Acilium significat. *Anno* U. C. 709. Cæsare quintùm Cos. quo anno, Idibus Mart. interfectus est.

1. *Pelopidarum*] Suprà, epist. 28.

tu videris multo antè providisse quid impenderet, tum, cùm hinc profugisti. Quanquam enim hæc etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quàm videre. [2] In campo certè non fuisti, cùm horâ secundâ, comitiis quæstoriis institutis, [3] sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset: quo mortuo nuntiato, sella sublata est. [4] Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit: Consulem horâ septimâ renuntiavit, qui usque ad kal. Jan. esset: quæ erant futuræ manè postridie. Ita, Caninio consule, scito [5] neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirificâ vigilantiâ, qui suo toto consulatu [6] somnum non viderit. Hæc tibi ridicula videntur: non enim ades. Quæ si videres, lacrymas non teneres. Quid si cætera scribam? sunt enim innumerabilia generis ejusdem: quæ quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiæ portum contulissem, & nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum: cujus cùm proprium te esse scribis mancipio & nexu; meum autem usu & fructu; contentus isto sum. Id enim est cujusque proprium, quo quisque fruitur, atque utitur. Sed hæc aliàs pluribus. Acilius, qui in Græciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est. Bis enim est à me judicio capitis, rebus salvis, defensus: & est homo non ingratus, méque vehementer observat. Ad eum de te diligentissimè scripsi, eámque epistolam cum hac conjunxi: quam ille quo modo acceperit, & quid tibi pollicitus sit, velim ad me scribas. Vale. CICE-

2. *In campo*] Martio, ubi Comitia habebantur, tum Tributa, pro Quæstoribus creandis, quæ adhuc in extremum Decembrem dilata fuerant. CELLAR.

3. *Sella Q. Maximi*] Q. Fabii Maximi, quem Cæsar quartùm Consul, cùm ex Hispania revertisset, sibi suffecerat; ideóque *illi* Cæsariani *dicebant* esse consulem: à populo & legitimè creatus non erat. Huic, per morbum absenti, posita fuit sella. IDEM.

4. *Ille autem*] Ille, Cæsar, suppresso, ut sæpe, odioso nomine, ante lucem auspicatus erat solemnibus sacris; ut eo die Quæstores tributis comitiis crearet: auditâ verò sui Consulis morte, novum consulem Caninium sine auspiciis constituit, quia illo mane non centuriatis & consularibus, sed tributis tantùm comitiis auspicatus fuerat: Consules autem oportebat centuriatis fieri. Idcirco tributa in hæc subitò mutata dicit. IDEM.

5. *Neminem prandisse*] Quia à meridie creatus fuit; manè postridie magistratu abiturus. CELLARIUS.

6. *Somnum non viderit*] Posteriores enim sex horæ noctis, habitâ civilis diei ratione, pertinent ad Kal Jan. id est ad sequentis anni consules: priores verò, quæ pertinent ad pridie Kal. qui consulatûs ultimus dies est, insomnes ab occupato præsertim consule ducuntur. Itaque perbellè Cicero, jocum quærens, brevitatem consulatûs ad vigilantiæ laudem convertit. Vide Macrobium lib. II. Sat. Plut. in Cæsare, Dionem lib. XLIII. Tacit. lib. XIX. MANUTIUS.

Digitized by Google

CICERO CURIO S. D.

31 FAcile perspexi ex tuis literis (quod semper studui) & me à te plurimi fieri, & te intelligere quàm mihi carus esses. Quod cùm uterque nostrûm consecutus est, reliquum est ut officiis certemus inter nos; quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te. Acilio non fuisse necesse meas dari literas facilè patior. Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis literis, non multùm opus fuisse, propter tuas [1] res ita contractas, ut quemadmodum scribis, [2] nec caput, nec pedes. Equidem vellem, [3] uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruisse jam veterem urbanitatem: ut Pomponius noster suo jure possit dicere, *nisi nos pauci retineamus* [4] *gloriam antiquam Atticam.* [5] Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, quæso, ne tamen semen urbanitatis unà cum republica intereat.

ARG. Invitat ad mutua officia, &, ut in urbem revertatur, veteris urbanitatis tuendæ causâ, rogat. *Anno* U. C. 709.

1. *Res tuas ita contractas*] Valde implicatas, quia illi cum triconibus & hominibus non solvendo res est. J. F. GRONOV.

2. *Nec caput, nec pedes*] Nec initium nec finis appareat: quin sic turbatæ sunt, ut nescias, unde incipias, ubi finias. GRON.

3. *Uti pedes haberent*] Uti exitum earum reperire posses. IDEM.

4. *Gloriam antiquam Atticam*] Magnifica verba sunt: nec tamen laudatur quidquam, præter sales. Blanditur igitur Cicero, dum humilem rem extollit, Curio simul & Attico; qui salibus mirè delectabantur. Fortasse etiam ipsa Attici verba refert. Quod si ita est, hoc ipso jocatur: quasi Atticus gloriam antiquam Atticam in ridiculis poneret, & eam crederet per tres homines posse retineri. Sales autem Attici omnibus præstabant: quanquam Cicero, ut assentaretur Pæto, Romanos præfert, epist. 15. lib. IX. MANUT.

5. *Ergo is tibi*] Curio primas, Attico secundas, sibi tertias urbanitatis partes tribuit. Erat enim in Curio αὐτόχθων urbanitas, ut Attico scribit lib. VII. ep. 2.

CICERO [1] VOLUMNIO S. D.

32 QUod [2] sine prænomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, primùm addubitavi, num à Volumnio sena-

ARG. Ex Cilicia P. Volumnio scribit de dictis, de judiciis, de rep. de Dolabella nondum genero. *Anno* U. C. 702.

1. *Volumnio*] Hic est P. Volumnius Eutrapelus, qui Cytheridem mimam dilexit. Epist. 26. lib. IX. Præfectum fabrûm Antonii fuisse civili bello, Nepos ait in Attici vita, Sulpicio & Marcello coss. MANUTIUS.

2. *Sine prænomine*] Vide V. 19.

Digitized by Google

senatore esset, quo-cum mihi est magnus usus: deinde [3] εὐτραπελία literarum fecit, ut intelligerem tuas esse. Quibus in literis omnia mihi perjucunda fuerunt, præter illud, quòd parùm diligenter possessio [4] salinarum mearum à te procuratore defenditur. Ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sextiana, in me conferri. Quid? tu id pateris? nonne defendis? non resistis? Equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci suâ sponte possent. Sed quando tanta fæx est in urbe, ut nihil tam sit [5] ἀκύθηρον, quod non alicui venustum esse videatur: pugna, si me amas, nisi acuta [6] ἀμφιβολία, nisi elegans [7] ὑπερβολὴ, nisi [8] παράγραμμα bellum, nisi ridiculum, [9] παρὰ προσδοκίαν, nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de Oratore [10] per Antonii personam disputata de ridiculis, [11] ἔντεχνα, & arguta apparebunt, ut sacramento contendas mea non esse. Non de judiciis quod [12] quereris, multo laboro minùs. [13] Trahantur per me pedibus omnes rei; sit vel Selius tam eloquens, ut possit probare [14] se liberum; non laboro. Urbanitatis possessionem, amabo, [15] quibusvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contem-

3. Εὐτραπελία] Festivitas, lepor, urbanitas: unde illi cognomen Eutrapelo. Epist. 26. lib. IX. ad Att. epist. 8. lib. XV. Philippica 12. Plutarchus in Bruto *mimum* vocat. MANUTIUS.

4. *Salinarum*] Quòd *sales* joca sunt, quorum dives erat Cicero; per jocum sibi quasi salinas tribuit, quarum procuratorem, cùm in provinciam iret, Volumnium constituisset. CELLAR.

5. Ἀκύθηρον] Quod venere caret, venustatis expers. Nomen à Venere deductum, quæ Græcis Κυθήρεια nuncupatur. MANUTIUS.

6. Ἀμφιβολία] Ambigua oratio: cùm ad sententias diversas eadem verba accommodari possunt. IDEM.

7. Ὑπερβολὴ] Superatio, vel exsuperantia, cùm sententia supra veritatem extollitur: ut in suasione legis Maniliæ: *Plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures provincias confecit, quàm cæteri concupiverunt.* Fit etiam minuendi gratiâ, ut *Testudine tardior.* IDEM.

8. Παράγραμμα] Agnominatio: cùm unius literæ mutatio diversam significationem affert: ut lib. II. de Orat. *Eamus deambulatum. Quid opus fuit de? Immo verò, quid opus fuit te?* IDEM.

9. Παρὰ προσδοκίαν] Præter expectationem. IDEM.

10. *Per Antonii personam*] Immo Julii Cæsaris Strabonis, II. de Orat. 58. & seqq. Sed quia Antonii persona primas ibi partes agit, quòd in toto libro est, adscribit Antonio. J. F. GRONOVIUS.

11. Ἔντεχνα] Artificiosa. MANUTIUS.

12. *Quereris*] Questus erat Volumnius dominari in judiciis, absente Cicerone, homines infantissimos. IDEM.

13. *Trahantur per me pedibus*] Formula loquendi de iis, quæ susque déque habemus: in quibus nihil moramur, quid fiat. IV. Attic. 17. *per me ista pedibus trahantur.* J. F. GRONOV.

14. *Se liberum*] Quia eum non ingenuis natum esse dicebant. CELLAR.

15. *Quibusvis interdictis*] Omni curâ & studio,

Digitized by Google

contemno cæteros. Derideri te putas? Nunc demum intelligo [16] te sapere. Sed mehercules extra jocum, valde mihi tuæ literæ facetæ, elegantésque visæ sunt. Illa quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non moverunt. Cupio enim [17] nostrum illum amicorum in tribunatu quàm plurimùm habere gravitatis: id cùm ipsius causâ, (est mihi, ut scis, in amoribus) tum mehercule etiam reipublicæ, quam quidem, quamvis in me ingrata sit, amare non desinam. Tu, mi Volumni, quando & instituisti, & mihi vides esse gratum, scribe ad me quàm sæpissime de rebus urbanis, de republica. Jucundus est mihi sermo literarum tuarum. Præterea Dolabellam, quem ego perspicio & judico cupidissimum esse atque amantissimum mei, cohortare & confirma, & redde planè meum. Non mehercule quo quidquam [18] desit, sed quia valde cupio, [19] non videor nimiùm laborare. Vale.

studio, ope quasi prætoris. Interdictis enim Prætorum tuebantur possessionem facultatum. Lepidè autem de possessione urbanitatis, judiciale verbum usurpavit.

16. *Te sapere*] Quia falsas laudes non agnoscis. MANUTIUS.

17. *Nostrum illum amicum*] C. Curionem, tribunum pl. in locum Servii designatum: ut epist. 4. lib. VIII. Jure autem Cicero verebatur, ne non satis gravem Curio se præberet in tribunatu. Levissimè enim ab optimatum causa ad Cæsarem transiit: ut epist. 6. lib. VIII. & epist. 13. lib. II. IDEM.

18. *Desit*] Amori illius erga me. MAN.

19. *Non videor nimiùm laborare*] Cùm valde tamen laborem. IDEM. *Non videor*. Alii, *nunc videor*. CORRADUS.

M. CICERO VOLUMNIO S. D.

33 QUOD [1] declamationibus nostris cares, damni nihil facis. Quòd Hirtio invideres, nisi eum amares, non erat causa invidendi: nisi fortè ipsius eloquentiæ magis, quàm quòd me audiret, invideres. Nos enim planè, mi suavissime Volumni, aut nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus, [2] gregalibus illis, quibus, te plaudente, vigebamus, amissis: ut etiam, si

ARG. Dicit, afflictâ rep. se cum Hirtio, Cassio & Dolabella declamationes exercere, & Volumnium ad eadem studia invitat. Nam sibi deliberatum esse in literas se abdere, Cæsare permittente. *Anno* U. C. 707.

1. *Declamationibus nostris*] Cur se ad declamandum Cicero contulerit, causa exponitur in epist. 18. lib. IX. MANUT.

2. *Gregalibus illis*] Hortensio, Marcello, Cælio, & reliquis. CORRADUS.

Digitized by Google

si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus, quòd hæc [3] *pennigero, non armigero in corpore tela exerceatur*, ut ait Philoctetes apud Accium, abjectâ gloriâ. Sed tamen omnia mihi erunt, si tu veneris, hilariora. Quanquam venies, ut ipse intelligis, [4] in maximarum quasi concursum occupationum: quas si, ut volumus, [5] exceperimus, ego verò multam salutem & foro dicam & curiæ, [6] vivámque tecum multùm, & cum communibus nostris amatoribus. Nam & Cassius tuus, & Dolabella noster, vel potiùs uterque noster, studiis iisdem tenentur, & [7] meis æquissimis utuntur auribus. Opus est huc limatulo & [8] polito tuo judicio, & illis [9] interioribus literis meis, quibus sæpe [10] verecundiorem me in loquendo facis. Mihi enim judicatum est, si modò hoc Cæsar aut patietur, aut volet, deponere illam jam [11] personam, in qua me sæpe illi ipsi probavi, ac me totum in literas abdere, tecúmque & cum cæteris earum studiosis honestissimo otio perfrui. Tu vellem, ne veritus esses, ne perinvitus legerem tuas literas, si mihi, (quemadmodum scribis) longiores fortè misisses: ac velim posthac sic statuas, tuas mihi literas longissimas quasque, gratissimas fore. Vale.

3. *Pennigero*] Dolebat, quòd studia sua non, ut antea, in tuenda Rep. & agendis caussis, sed in hoc vili exercitationum genere collocare deberet: ad hoc usus poëtæ verbis, quibus Philoctetes conqueritur, quòd tela in avibus trajiciendis, non in sternendis hominibus consumat. Cic. de Finib. V. 11. CELLAR.

4. *In maximarum quasi concursum occupationum*] Scholam suam declamatoriam per jocum ita nominat. IDEM.

5. *Exceperimus*] Hîc, *Excipere*, opinor, est ferre, subire: ut alibi *excipere dolorem, laborem*. Vide Tusc. II. 5. & Brut. 69. OLIVET.

6. *Vivam cum communibus nostris amatoribus*] Fortè legendum: *nostri*: Oblectabo me cum illis, qui & te & me insigniter, & præ cæteris amant. J. F. GRONOV.

7. *Meis æquissimis utuntur auribus*] Libenter eos audio declamantes. MANUT.

8. *Polito*] Alii, *politulo*.

9. *Interioribus*] Philosophicis.

10. *Verecundiorem*] Quibus, quia doctior es quàm ego, facis, si quid de illis studiis meis loquendum sit, ut parciùs & verecundiùs loqui debeam. CELLAR.

11. *Personam*] Quam egi in publicis & forensibus rebus. IDEM.

Digitized by Google

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER VIII.

[1] M. CÆLIUS M. CICERONI S. D.

1 *QUOD tibi [2] decedens pollicitus sum, me omnes res urbanas diligentissimè tibi perscripturum; datâ operâ paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear, ne tibi nimiùm arguta hæc sedulitas videatur. Tametsi tu, scio, quàm sis curiosus, & quàm omnibus peregrinantibus gratum sit, minimarum quoque rerum, quæ domi gerantur, fieri certiores: tamen hoc deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quòd hunc laborem alteri delegavi: non quin mihi suavissimum*

ARGUMENTUM. Commentarium mittit rerum urbanarum, & excusat se quòd alteri negotium illius colligendi dederit. Addit de comitiis Transpadanorum esse rumorem, de successione autem Galliarum nihil relatum : de Pompeio cupere se aliquid cognoscere : de Cæsare varia dissipari, aliáque nonnulla. Huic epistolæ respondit ea, quæ lib. II. est octava. A. U. C. 701.

1. *M. Cœlius Rufus*] Plebeii generis, patre equite R. Puteolis natus, sumptâ virili togâ, id est annum ætatis ingressus XVII. à patre continuò ad Ciceronem deductus est, nondum prætorium, sed eloquentiâ jam & probitatis opinione clarum : à quo etiam *lectissimus adolescens* appellatus est libro quartò in Verrem, qui de Signis inscribitur. In illo ætatis flore cùm artibus honestissimis erudiretur, M. Crassi domum frequentavit. Postea fuit assiduus cum Cicerone prætore, candidatúmque affectatus est in petitione consulatûs. Anno sequenti iterum petenti consulatum Catilinæ studuit. Tribunatum pl. gessit, Pompeio tertiùm consule, Milonémque ob necem P. Clodii de vi reum, studiosissimè defendit. Ædilis curulis fuit L. Paulo & C. Marcello coss. prætor C. Cæsare II. & P. Servilio

coss.

vissimum sit, & occupato, & ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo, [3] *tuæ memoriæ dare operam. Sed id ipsum volumen, quod tibi misi, facilè, ut ego arbitror, me excusat. Nescio cujus otii esset, non modò perscribere hæc, sed omnino animadvertere. Omnia enim sunt ibi senatus-consulta, edicta, fabulæ, rumores: quod exemplum si fortè minùs te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. Si quid in republica majus actum erit, quod isti operarii minùs commodè persequi possint, & quemadmodum actum sit, & quæ existimatio secuta, quæque de eo spes est, diligenter tibi perscribemus. Ut nunc est, nulla magnopere expectatio est. Nam & illi rumores* [4] *de comitiis Transpadanorum,* [5] *Cumarum tenus caluerunt. Romam cùm venissem, ne tenuissimam quidem* [6] *auditionem de ea re accepi. Prætera* [7] *Marcellus quòd adhuc nihil retulit* [8] *de successione provinciarum*

Hh 3

coss. Orto civili bello, quæstor in Africa fuit C. Curionis, ut apud Cæsarem lib. II. civ. bel. scriptum est. Eloquentiæ in primis operam dedit, locúmque inter summos oratores consecutus est. Ejus tamen scripta paulò asperiora, & antiquitatem redolere visa sunt. De quo *Tacitus* (seu Quintilianus) *Dial. de Orator. Sueton. de claris Rhetor.* Mores in eo minimè cum ingenio conferendi. Iracundissimum appellat Seneca lib. III. de Ira. Impudicum & lascivum ostendit oratio Ciceronis. Inconstantis ingenii fuit. Primùm tribunus pleb. quo anno P. Clodius à Milone occisus est, optimatum partes defendit. Mox, ortâ inter Cæsarem & Pompeium discordiâ, neutram in partem inclinare visus est. Deinde, mutatâ sententiâ, Cæsaris ad partes transiit. Profectum ad Cæsarem cum C. Curione, ut eum ad civile bellum incitaret, scripsit Dio lib. XLI. Demum à Cæsare ipso descivit: ídque cùm ipse declarat ep. ultima lib. VIII. tum verò Velleius his verbis: *Accito Annio Milone, qui, non impetrato reditu, Julianis partibus infestus erat... consularibus armis... circa Thurios oppressus est.* MANUT.

2. *Decedens*] Unde? ab ipso Cicerone; quem in provinciam euntem prosecutus erat. MANUT. Sic quidem MSS. sed *discedens* legendum, id est, me à te separans, cùm te proficiscentem prosecutus fuissem, & valere dixissem. J. F. GRONOVIUS.

3. *Tuæ memoriæ dare operam*] In tuam gratiam scribere, aut scriptum dare. Nam quæ scribuntur, eorum extat memoria, ea memoriæ traduntur. Orat. pro Muren. cap. 28. Malè Manutius. IDEM. Hoc dicit: Non is sum, qui de te libenter non cogitem. MANUTIUS.

4. *De comitiis*] Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, Transpadanas colonias deduxerat ita, ut veteribus incolis manentibus jus Latii daret. *Ascon. in Pison. sub init.* Quibus Cæsar post Quæsturam spem civitatis fecit. *Sueton. cap.* 8. Jam novus rumor erat, eum laborare, ut rem perficeret, quò suffragiis novis in comitiis juraretur. Adi Sigon. de Jure Ital. III. 11. CELL.

5. *Cumarum tenus*] Quousque Cælius & amici Ciceronem prosecuti fuerant. IDEM.

6. *Auditionem accepi*] Durior & horridior interdum Cælius est in explicanda sententia. Quis enim sic loquatur, *Ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi*, pro, nihil prorsus audivi? Fortasse hoc illud est, cur in eo sordes verborum Tacitus appellet, & subjungat, *Amarior Cælius*: & Quint. asperitatem ei tribuat in dicendo. IDEM.

7. *Marcellus*] Consul cum Sulpicio. MAN.

8. *De successione Galliarum*] Ut Cæsari ante

ciarum Galliarum; & in kalendas Junias, ut mihi ipse dixit, eam distulit relationem; sanè quàm eos [9] sermones expressit, qui de eo tum fuerant, cùm Romæ nos essemus. Tu, si Pompeium, ut volebas, [10] offendisti, qui tibi visus sit, & quam orationem habuerit tecum, quámque ostenderit voluntatem, (solet enim aliud sentire & loqui, neque tantùm valere ingenio, ut non appareat quid cupiat) fac mihi perscribas. [11] Quod ad Cæsarem, crebri & non belli de eo rumores: sed susurratores duntaxat veniunt. Alius equitem perdidisse, quod opinor certè factum est; alius septimam legionem vapulasse: ipsum apud Bellovacos circumsederi, interclusum ab reliquo exercitu. Neque adhuc certi quidquam est; neque hæc incerta vulgò jactantur: sed inter paucos, quos tu nosti planè, secretò narrantur: at [12] Domitius, cùm [13] manus ad os apposuit. Te ad IX. *kal. Jun.* [14] *subrostrani (*[15] *quod illorum capiti sit) dissiparant periisse: & te urbe ac foro toto maximus rumor fuit à Q. Pompeio in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompeium Baulis* [16] *embæneticam facere, & usque eò ut ego misererer*

ante legitimum diem succederetur. Erat enim hic octavus Cæsaris annus in administratione Galliarum, imperio decem annorum ei concesso; quinquennio uno lege Vatiniâ, ipso Cæsare cum Bibulo consulatum gerente; altero lege Treboniâ, Pompeio & Crasso coss. MAN.

9. *Sermones expressit*] Cùm, eum statim de Galliis relaturum, homines loquerentur. IDEM.

10. *Offendisti*] Offendit eum Tarenti, & cum eo decem dies fuit. Epist. 2. lib. VIII. & epist. 6. lib. V. ad Att. IDEM.

11. *Quod ad Cæsarem*] Ita Mss. sine τῷ *attinet*, quod satis intelligitur. J. F. GRONOV.

12. *Domitius*] L. Domitius Ahenobarbus, consularis, acerrimus Cæsaris adversarius. MANUTIUS.

13. *Manus ad os apposuit*] Eorum more, qui secretò aliquid narrant. IDEM.

14. *Subrostrani*] Homines otiosi in Rostris versantes assiduè, rumorum aucupes & nugivendi. Plauto *subbasilicani*. GRÆVIUS.

15. *Quod illorum capitii sit*] Quod malum in eos recidat. Tibull. I. el. 2.

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo. IDEM.

16. *Embæneticam*] Id est, naviculariam, & subaudi, artem: ab ἐμβαίνω, navem conscendo. Quòd mercaturâ maritimâ, sibi victum Pompeius Baulis exul quæreret. Turnebus, Adverf. XIII. 20. legit *empeneticam*, à verbo πεινᾶν, quod valet *esurire*: quasi jocans Cælius dixerit, eum artem esuriendi facere & exercere, ut dicimus argentariam, naviculariam facere. Isaacus Vossius ad Catulli XXXV. legit ἐμπνητικὴν, ab ἐμπνεῖν, largis indulgere dapibus. Bauli, inquit, erat taberna & diversorium totius Campaniæ affluentissimum. Ibi Pompeius corpus largis curabat dapibus, unde Cælius dicit se misereri ejus, utpote qui tantum esuriat. Gronovius verò, *Lect. Plaut.* legit, ἐμετικὴν *facere*, hoc est, curare se vomitoriis. Quæ vox etiam exstat *Att.* XIII. 52. Solebant enim in illa Campaniæ loca secedere valetudinis causâ, inter quæ & Bauli. Et huic convenit, quod sequitur: *Ut ego misererer ejus esuriei*, id est jejunitatis. OLIVETUS.

Digitized by Google

fererer ejus esuriei, non sum commotus: & hoc [17] *mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi.* [18] *Plancus quidem tuus Ravennæ est: & magno congiario donatus à Cæsare, nec beatus, nec bene instructus est. Tui politici* [19] *libri omnibus vigent. Vale.*

17. *Hoc mendacio ut defungeremur*] Defungitur is, qui evadit, & periculo liberatur. Virgil. lib. VI. *O tandem magnis pelagi defuncte periclis?* Optavi, igitur, ut defungeremur, ut tuti jam essemus ab omnibus, si quæ tibi impenderent pericula: ut hoc mendacium finis & quasi defunctio esset omnium periculorum. MANUTIUS.

18. *Plancus tuus*] *Tuus*, hîc dixit, cum ironia: quòd Plancus Bursa Ciceronis esset inimicissimus, nec injuriâ, quòd eo accusante (ut Dio tradidit) de vi condemnatus esset. IDEM.

19. *Libri*] Sex de Republica: quorum extant Fragmenta Tomo nostro III.

CÆLIUS CICERONI.

CERTE [1], *inquam, absolutus est:* [2] *me repræsentante pronuntiatum est, & quidem* [3] *omnibus ordinibus,* [4] *sed & singulis in unoquoque ordine sententiis.* [5] *Vide modò, inquis. Non, mehercules. Nihil enim unquam tam præter opinionem, tam quod videretur omnibus indignum, accidit. Quin ego, cùm pro amicitia validissimè faverem ei, & me jam ad dolendum præparassem; postquam factum est, obstupui, & mihi visus sum* [6] *captus esse.* 2

ARG. Nuntiat de absoluto Messala, ejusque defensore Hortensio à populo malè accepto. Addit de rep. & de suis in ædilitate competitoribus. *Anno* U. C. 702.

1. *Certè, inquam*] Quòd inopinata res acciderat, quam vix Cicero crediturus esset, qui Messalam corruptis pecuniâ comitiis factum esse consulem planè nosset, ab affirmatione orditur. MANUT.

2. *Me repræsentante*] Sic aliquot antiqui libri: alii, *Me repræsentare*: nonnulli, *Me prehensante*: quod non displicet. Putat aliquis, *Matre prehensante*: quæ fuit soror Hortensii oratoris. Ego nihil affirmo. IDEM. Lege, *Me in re præsenti. Me*, id est, ἐμοῦ ὄντος. Cic. I. Off. 10. *Si constitueris cuipiam te advocatum in rem præsentem esse venturum*, id est, in foro præstò fore. J. F. GRONOV.

3. *Omnibus ordinibus*] Absolventibus omnibus decuriis judicum, Senatoribus, Equitibus, Tribunis ærariis. IDEM.

4. *Sed & singulis*] Id est, ut & in Senatoria decuria, & inter Equites, intérque Tribunos ærarii absolventes unâ sententiâ vincerent, plurésque essent iis, qui condemnabant. Vereor ut Manutius ceperit. IDEM.

5. *Vide modò, inquis*] Dum nimis amat brevitatem Cælius, obscurat sæpe sententias: quod in Thucydide vitium Cicero notavit. Videtur tamen fingere dicentem Ciceronem: *Vide modò, Cæli: non de Messalla bene homines existimant? non ejus patet innocentia?* Respondet Cælius: *Non mehercules*, &c. MANUT.

6. *Captus*] Ut iis, qui capiuntur, itidem mihi, rei novitate, & hujusce non expectato judicii eventu, perculsus affectúsque animus est. Prorsus me stupor oppressit. IDEM.

Digitized by Google

esse. Quid alios putas? Clamoribus scilicet maximis judices [7] *corripuerunt: & ostenderunt, planè esse quod ferri non posset. Itaque relictus* [8] *lege Liciniâ, majore esse periculo videtur. Accessit huc, quòd postridie ejus absolutionem in theatrum Curionis Hortensius introiit; puto, ut suum gaudium gauderemus.* [9] *Hîc tibi* strepitus, fremitus, clamor, tonitruum & rudentum sibilus. *Hoc magis animadversum est, quòd intactus ab sibilo pervenerat Hortensius ad senectutem. Sed tum ita bene, ut in totam vitam cuivis satis esset, & pœniteret eum jam vicisse. De republica quid tibi scribam, nihil habeo. Marcelli* [10] *impetus resederunt, non inertiâ, sed (ut mihi videbatur) consilio. De comitiis consularibus incertissima est existimatio. Ego incidi in competitorem* [11] *nobilem, & nobilem agentem. Nam M. Octavius, Cn. filius, & C. Hirrus mecum petit. Hoc ideo scripsi, quòd scio te acriter propter Hirrum, nuntium nostrorum comitiorum expectaturum. Tu tamen simul ac me designatum audieris, ut tibi curæ sit, quod ad* [12] *pantheras attinet, rogo.* [13] *Syngrapham Sittianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Castrinio Pæto: secundum ei, qui has literas tibi dedit.*

CÆLIUS

7. *Corripuerunt*] Reprehenderunt. Sic locutus epist. 9. MANUT.

8. *Lege Liciniâ*] Lex Licinia à M. Crasso, unà cum; Pompeio secundùm Coss. lata in δεκάζοντας τινὰς, id est, qui judices corrupissent. Dio lib. XXXIX. Itaque *relictus*, id est, itaque statim iterùm delatus, & in reos receptus (hoc vult τὸ *relictus*, non expunctum esse nomen ejus in albo reorum, post absolutionem de ambitu, sed in eo relictum & servatum) nunc magis laborare, quàm priùs videtur. *Majore periculo esse*, pro, in periculo esse majore. IV. Famil. 15. J. F. GRONOV.

9. *Hîc tibi strepitus, fremitus, clamor*] At ille pastoritiâ fistulâ, ut loquitur ad Atticum, sive sibilo exceptus est, exsibilatus est. II. Att. 12. *Gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi sunt.* Sed hoc eleganter explicat Cælius versu Pacuvii, quo ille tumultum in navi ortâ tempestate descripserat. Plin. IX. epist. 26. *Cùm stridunt funes, curvatur arbos, gubernacula gemunt. Rudentes* sunt funes nautici, unde Plauti Comœdia *Rudens*. Propriè sibilant rudentes flatu vehementi ventorum. J. F. GRONOVIUS.

10. *Impetus*] De successore Cæsari in Gallias mittendo. Epist. 1. MANUTIUS.

11. *Nobilem, & nobilem agentem*] Competitores ædilitatis duos intelligit: quorum alter nobilis antiquo genere, alter agens nobilem, id est, nobilitatem jactans & præ se ferens, quæ in eo nulla erat. CELLAR. Octavii quidem novi & ignobiles habebantur. CORRADUS.

12. *Pantheras*] Quas è Cilicia mitti à Cicerone cupiebat, ut eas populo suis ludis daret. MANUT.

13. *Syngrapham Sittianam*] Ex qua exigeretur à Sittio pecunia, quam in ædilitatis impensas Cælius erogaret. Epist, 4. 8. 9. IDEM.

Digitized by Google

CÆLIUS CICERONI S.

EST-NE? *vici? & tibi sæpe, quod negaras discedens curatu-* 3
rum, literas mitto? Est, si quidem perferuntur, quas do. Atque hoc eò diligentiùs factito, quòd, cùm otiosus sum, planè ubi delectem otiolum meum, non habeo. Tu cùm Romæ eras, hoc mihi certum ac jucundissimum vacanti negotium erat, tecum id otii tempus consumere: idque non mediocriter desidero: ut non modò mihi solus esse, sed Romæ, te profecto, solitudo videatur facta: & qui (quæ mea negligentia est) multos sæpe dies ad te, cùm hîc eras, non accedebam, nunc quotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior. Maximè verò, ut te dies noctésque quæram, competitor Hirrus [1] *curat. Quomodo illum putas* [2] *auguratûs tuum competitorem dolere, & dissimulare, me certiorem, quàm se, candidatum? de quo ut, quem optas, quàm primùm nuntium accipias, tuâ medius fidius magis quàm meâ causâ cupio. Nam me, si fio,* [3] *forsitan cum locupletiore referam:* [4] *sed hoc usque eò suave est, quod si acciderit, totâ vitâ risus nobis deesse non poterit.* [5] *Sed tanti? sed mehercule. Non multùm M.* [6] *Octavius eorum odia, qui Hirrum premunt, quæ permulta sunt,*

* ARG. Suum in scribendo officium, suúmque Ciceronis desiderium significat, nec non de suis Comitiis & competitoribus: etiam de Milonis rebus. Tandem suam cum Cicerone amicitiam in aliquo illius libro memorari cupit. *Anno* U. C. 702.

1. *Curat*] Argutè. Nam, quia cum Cicerone coràm de Hirro jocari, ejúsque ineptias ac stultitias ridere cupiebat, ideò *Curat*, inquit, *Hirrus, ut te dies noctésque quæram.* Plus autem est *Curat*, quàm *Facit*, ut *causa est*: quasi dicat: In hac petitione ita multa agit ineptè, ita stultè, ut curare de industria videatur, ut ego tecum sim, quo illum ridere possimus. MANUT.

2. *Auguratûs*] Augur Cicero fieri noluit ante exilium suum: reversus in patriam, ne calamitas dignitatem ejus minuisse videretur, studuit quàm ornatissima senatûs populíque Romani de se judicia intercedere: quod ipse ad Catonem scribit epist. 4. lib. XV. Augur autem in locum P. Crassi, Marci filii, à Parthis interfecti, creatus est: qui fuit annus urbis DCC. Domitio & Messalla coss. IDEM.

3. *Forsitan cum locupletiore referam*] Domum scilicet de Comitiis. *Cum locupletiore*, cum collega qui me est opulentior, & sumptum in ludos & spectacula faciendo, me potest superare. J. F. GRONOV.

4. *Sed hoc usque eò suave est*] Sed Hirrum repulsam pati tantum habet suavitatis, ut, per omnem vitam, quoties nobis ridere libebit, causam simus habituri, hujus repulsæ recordationem. IDEM.

5. *Sed tanti? sed mehercule*] Ita MSS. Lege, *Sed tanti? Est mehercule*, id est, Sed tantíne putas, ô Cæli: hoc quod dicis fortè cogites. Est profectò tanti. IDEM.

6. *Octavius non multùm sublevat*] Id est, non

sublevat. Quod ad [7] *Philotimi liberti officium & bona Milonis attinet, dedimus operam, ut & Philotimus quàm honestissimè Miloni absenti, ejúsque necessariis satisfaceret, & secundùm ejus fidem & sedulitatem existimatio tua conservaretur. Illud nunc à te peto, si eris (ut spero) otiosus, aliquod ad nos, ut intelligamus nos tibi curæ esse,* [8] σύνταγμα *conscribas. Quî tibi istuc, inquis, in mentem venit, homini non inepto? Aliquid ex tam multis tuis monumentis extare, quod nostræ amicitiæ memoriam posteris quoque prodat, velim. Cujusmodi, puto, quæris. Tu citiùs, qui omnem nosti disciplinam, quod maximè conveniat, excogitabis. Genere tamen quod & ad nos pertineat, &* [9] διδασκαλίαν *quandam, ut versetur inter manus, habeat. Vale.*

non leviora in sese reddit & habet odia eorum, quæ Hirrum premunt, id est ea, quæ in Hirro homines oderunt, & propter quæ minùs ei favent: ut non multo majorem fiduciam in his Comitiis habeat. GRONOV.

7. *Philotimi*] Ciceronis, vel Terentiæ libertus, subornatus ut damnati Milonis bona publicata emeret, restituenda Miloni. Vide ad Attic. V. 8. CELLAR.

8. Σύνταγμα] Si Latinè vertas, propriè *σύνταγμα compositio* est: à συντάττω. Liber significatur accuratè scriptus. Nam ὑπόμνημα, Latinè *commentarius*, ex tempore & sine studio conficitur. Epist. 44. lib. XII. ad Attic. *Ego hic duo magna συντάγματα absolvi.* Quo loco duos Academicos, & quinque de Finibus libros indicat. MANUT.

9. Διδασκαλίαν] *Doctrinam*, non gerras. Attendite, librarioli Gallici. OLIVETUS.

M. CÆLIUS M. CICERONI S. D.

4 INVIDEO *tibi: tam multa quotidie, quæ mirere, istoc perferuntur. Primùm illud, absolutum Messallam; deinde eundem* [1] *condemnatum: C. Marcellum consulem factum: M.* [2] *Claudium* [3] *à repulsa* [4] *postulatum à Gallis duobus: P. Dolabellam quinde-*

ARG. Est varii argumenti. Scribit enim de damnatione Messalæ & Servii tr. pl. designati: de C. Marcello cos. designato, de Dolabella XV. viro creato, Lentulo repulso, de Curione, de Comitiis, de actis in senatu, de Cæsaris animo erga Pompeium, de suis tandem rebus, quas Ciceroni commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Condemnatum*] Ideo dixit epist. 2. *Relictus lege Liciniâ, majore esse periculo videtur.* MANUT.

2. *M. Claudium*] *M. Calidium* legerem, ex epist. 9. hujus lib. quæ hanc sequi debuit. Et sanè M. Calidius cum Q. Gallio inimicitias gessit, ut à duobus Galliis M. & Q. Calidium accusatum intelligamus: ne plures conjecturas persequar. CORRAD. Hanc conjecturam pluribus firmat Pighius ad annum U. C. DCCIII. qui consulatur. GRÆV.

3. *A repulsa*] Post repulsam consulatûs. Prætor enim Calidius fuerat Lentulo & Metello coss. Oratio demonstrat in senatu habita post reditum. MANUT.

4. *Postulatum*] Fortasse de ambitu: si quidem post repulsam postulatus est. IDEM.

Digitized by Google

quindecimvirum factum. Hoc tibi non invideo, caruisse te pulcherrimo spectaculo, & [5] Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse. At qua spe, quàm certâ opinione [6] descenderat? quàm ipso diffidente Dolabella? & Hercules, nisi nostri [7] equites acutiùs vidissent, penè concedente adversario superasset. Illud te non arbitror miratum, Servium designatum tribunum plebis [8] condemnatum, cujus locum C. Curio petiit. Sanè quàm incutit multis, qui eum facilitatémque ejus non norunt, magnum metum. Sed, ut spero & volo, &, ut se fert ipse, bonos & senatum malet. [9] Totus, ut nunc est, hoc scaturit. Hujus autem voluntatis initium & causa est, quòd eum non mediocriter Cæsar, qui solet [10] infirmorum hominum amicitias sibi quâlibet impensâ adjungere, [11] valde contempsit. Qua in re mihi videtur illud perquàm venustè cecidisse, (quod à reliquis quoque [12] usque eò est animadversum) ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione & insidiis usus videretur in evitandis [13] consiliis, qui se intenderant adversarios in ejus tribunatum: Lælios, & Antonios, & id genus valentes dico. Has ego tibi literas eo majore misi intervallo, quòd comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, & expectare in dies exitum cogebant, ut, confectis omnibus, te facerem certiorem. Ad kalendas Sextiles usque expectavi. Prætoriis moræ quædam inciderunt. Mea porrò comitia quem eventum sint habitura, nescio. Opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem, [14] ædilium plebis comitiis [15] nacta sunt. Nam M. Cælium

Ii 2 *Vini-*

5. *Lentuli Cruris*] Hic est, opinor, L. Lentulus Cruscellus, qui anno sequenti consul designatus est. Potuit enim & *Crus* & *Cruscellus* indifferenter nominari. Idem.

6. *Descenderat*] Nimirum in Campum Martium ad comitia. Græviu s.

7. *Equites*] Quorum studia Cælius amicissimo suo Dolabellæ adjunxit. *Nostri* autem, quia Cælius & Cicero equestri loco nati, id est parentibus, qui supra equestris ordinis gradum, id est ad Senatoriam dignitatem, nunquam ascendissent. Manut.

8. *Condemnatum*] De ambitu. Idem.

9. *Totus, ut nunc est, hoc scaturit*] Hoc effundit, ebullit, fervidè jactat, ut fons aquas ejaculatur. Etsi bellè Lambinus, *hic senaturit*. J. F. Gronov.

10. *Infirmorum hominum amicitias*] Nulli pecuniæ parcere, etiam in humilibus promerendis, quibus tamen aliquis aditus ad potentes esset. Suet. Jul. c. 27. Idem.

11. *Valde*] Cùm dixerit *non mediocriter*, cur subjungit, *Valde?* fortasse, ut magis augeat: ut cùm dicebant, *vehementer etiam*, *atque etiam*. Manut.

12. *Usque eò*] Videtur dictum pro *vehementer*. Idem.

13. *Consiliis*] Cùm sequatur *Qui*, rectius videretur, *Eorum consiliis*. Quid agas? Cælianum est. Idem.

14. *Ædilium pl.*] Duplex erat Ædilitas, curulis & plebeia. Curulem Cælius petebat: Plebeii verò ante Curules creabantur.

15. *Nacta sunt*] Quia candidati, antequam sua

Vinicianum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, & [16] *promulgatio de dictatore subitò* [17] *dejecit, & dejectum magno clamore* [18] *insecuta est. Inde* [19] *Hirrum cuncti jam, non faciendum, flagitare. Spero te celeriter & de nobis quod sperasti, & de illo quod vix sperare ausus es, auditurum. De republica jam novi quidquam expectare desieramus. Sed cùm senatus habitus esset ad* [20] *Apollinis, a. d.* XI. *kal. Sext. & referretur* [21] *de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset,* [22] *quo appeteretur: cùm ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem abducturum, sed non statim* [23] *sub mentionem, & convicium obtrectatorum. Inde interrogatus de successione C. Cæsaris: de qua, hoc est, de provinciis, placitum est, ut quàm primùm ad urbem reverteretur Cn. Pompeius: ut coram eo de successione provinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus: & statim iit. Puto idib. Sextil. de ea re factum iri. Profectò aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur. Nam in disputando conjecit illam vocem Cn. Pompeius,* Omnes oportere senatui dicto audientes esse. *Ego tamen sic nihil expecto, quo modo Paulum consulem designatum primum sententiam dicentem. Sæpius te admoneo de*

---

sua comitia fierent, aliorum quoque magistratuum comitiis prensabant, ut populi voluntatem elicerent: quâ perspectâ, vel confirmarentur in spe, vel, si quid esse adversum intelligerent, aliquâ ratione mederentur. Sic igitur & Cælius Hirrúsque cùm ædilitatem curulem peterent, ædilium pl. tamen comitiis prensarunt. MANUT.

16. *Promulgatio de dictatore*] Domitio & Appio coss. cùm magnis candidatorum consularium contentionibus extracta in annum sequentem comitia essent, desperatâ propemodum concordiæ spe, ortus est de dictatore sermo. Vide ad Q. Fr. III. 8. IDEM.

17. *Dejecit*] Subaudiendum, *ædilitate*. Hoc enim dicit: Cælium Licilianum, (*malum* Vinicianum) cùm petere cœpisset, revocata legis ab eo de dictatore promulgatæ memoria, statim ædilitate dejecit. IDEM.

18. *Insecuta est*] Nunquam ita Cicero loqueretur. Quid enim hoc est? *promulgatio de dictatore dejectum magno clamore insecuta est.* Cùm hoc significet: primùm populus ei petenti vulgò negavit: deinde magni clamores in eundem consecuti. IDEM.

19. *Hirrum cuncti jam, non faciendum, flagitare*] Hoc velut præjudicium de Hirro fuit, qui & ipse auctor Dictatoris creandi fuerat. Non faciendum, sc. Ædilem Curulem, in quo erat eadem culpa, quæ in Viniciano. J. F. GRONOV.

20. *Ad Apollinis*] Ἀττικισμός: pro, ad ædem Apollinis. MANUT.

21. *De stipendio Cn. Pompeii*] Quod legionibus persolveret, quas partim habebat in Hispaniis, partim Arimini. IDEM.

22. *Quo appeteretur*] Quam ob causam fuerit eò missa, & à Cæsare petita; aut, quò fuerit ablegata. GRÆV. Fortè: *quando repeteretur*, quando vellet eam revocare, ac recipere à Cæsare. J. F. GRONOV.

23. *Sub mentionem*] Post mentionem de ea legione factam. MANUT.

Digitized by Google

de [24] *Syngrapha Sittiana. Cupio enim te intelligere, eam rem ad me valde pertinere. Item de pantheris, ut Cybiratas arcessas,* [25] *curésque mihi ut vehantur. Præterea nuntiatum nobis, & pro certo jam habetur,* [26] *regem Alexandrinum mortuum.* [27] *Quid mihi suadeas, quomodo regnum illud se habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. Kal. Sex.*

24. *Syngrapha*] Vide suprà, epist. 2.
25. *Curésque mihi ut vehantur*] Qui? Cybyratæ? Nugæ. Lego *ut mihi veneantur*, nimirum pantheras. GRÆVIUS.
26. *Regem Alexandrinum*] Ptolemæum, quadriennio antè à Gabinio Syriæ proconsule restitutum. Vide epist. 1. lib. I. MANUT.
27. *Quid mihi suadeas*] Regis, ut suspicari possumus, creditori. CORRAD. Fortasse curam sibi à senatu ejus regni invisendi, atque aliquandiu procurandi mandari cupiebat. MANUTIUS.

CÆLIUS CICERONI S.

QUA *tu curâ sis, quod ad pacem provinciæ tuæ finitimarúmque regionum attinet, nescio: ego quidem vehementer animi pendeo. Nam si hoc moderari possemus, ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque existeret magnitudo, &, quantum gloriæ triumphóque opus esset, assequeremur, periculosámque & gravem illam dimicationem evitaremus, nihil tam esset optandum. Nunc si Parthus movet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem. Tuus porrò exercitus vix unum saltum tueri potest. Hanc autem nemo ducit rationem: sed omnia desiderantur* [1] *ab eo, (tanquam nihil denegatum sit ei, quo minùs quàm paratissimus esset) qui publico negotio præpositus est. Accedit huc, quòd successionem futuram propter Galliarum controversiam non video. Tametsi hac de re puto te constitutum, quid facturus esses, habere: tamen, quò maturiùs constitueres, cùm hunc eventum providebam, visum est ut te facerem certiorem. Nosti enim hæc tralatitia: de Galliis constituetur: erit qui intercedat: deinde alius existet, qui,* [2] *nisi liberè liceat de omnibus provinciis decernere senatui, reliquas* 5

 impe-

ARG. Metuere se Ciceroni significat ex Parthici belli fama ob paucitatem copiarum ejus. Addit de successione provinciarum, ejusque tarditate. Scripta paulo post superiorem: utrique etiam unà respondet Cicero, quæ est lib. II. decima. *Anno* U. C. 702.

1. *Ab eo, qui publico negotio præpositus est*] Imperatore, aut Proconsule.
2. *Nisi liberè*] Si Cæsari relinquentur Galliæ, nec in alias provincias successorem destinari, nec de iis decerni sinet. GRON.

impediat. Sic multùm ac diù luditur; atque ita diù, ut plus biennium in his tricis moretur. Si quid novi de republica quod tibi scriberem haberem, usus essem meâ consuetudine, ut diligenter, & quid actum esset, & quid ex eo futurum sperarem, perscriberem. [3] *Sanè tanquam in quodam incili jam omnia adhæserunt. Marcellus idem illud de provinciis urget, neque adhuc frequentem senatum efficere potuit. Quòd si,* [4] *hoc anno præterito, Curio tribunus, & eadem actio de provinciis introibit: quàm facile tunc sit omnia impedire,* [5] *& quàm hoc Cæsari, qui suam causam, non reipublicæ curet,* [6] *suppetat, non te fallit. Vale.*

3. *Sanè tanquam in quodam incili omnia adhæserunt*] Omnia stupent ac cessant, ut aqua quæ non currit obturato incili. Festus: *Inciles fossæ, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, sive derivationes de rivo communi factæ.* Cato de R. R. 155. *Per hiemem aquam de agro depelli oportet. In monte fossas inciles puras habere oportet.* Mox: *Cùm pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, incilia aperire.* Columella 8. 9. *Ut à superiore parte, si olla in clivo sit, incilia excitentur.* Huc pertinet proverbium à clepsydra vel incili petitum: *Aqua hæret.* Cic. III. ad Q. epist. 8. *In hac causa mihi aqua hæret*, id est, cessat consilium: nescio quid agere debeam. J. F. Gronov.

4. *Hoc præterito anno*] Si post elapsum hunc annum, Curione tribuno, rursùs introducetur & agitabitur actio de successione provinciarum. Idem.

5. *Et quàm hoc Cæsari*] Et Cæsari, qui curet suum commodum, non curet quid ex usu sit Reip. quàm hinc suppetat, in promptu sit, nempe ut omnia impediantur, non ignoras. Idem.

6. *Suppetat*] Ita Lamb. & J. F. Gronov. Sed alii, *superet.* Quod interpretatur Manutius: supersit, reliquum sit: sive, quantum in hoc Cæsar negotii sit habiturus, vel commodi, te non fallit.

Cælius Ciceroni S. D.

6 Non *dubito, quin perlatum ad te sit, Appium à Dolabella reum factum:* [1] *sanè non eâ, quam existimaveram, invidiâ. Neque enim stultè Appius: qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem,* [2] *triumphíque postulationem abjecerat. Quo facto retudit sermones, paratiórque visus est, quàm speraverat accusator. Is nunc in te maximam spem habet. Scio tibi eum non esse odio. Quàm velis eum obligare, in tua manu est: cum quo simultas si tibi non fuisset, liberiùs tibi de tota*

Arg. Scribit de Appio à Dolabella accusato: de Ciceronis officio, ne parum reconciliatus Appio videatur: de affinitate cum Dolabella jungenda: de repub. de suis item pantheris. *Anno* U. C. 703.

1. *Sanè non eâ . . . invidiâ*] Non ita approbantibus hominibus & faventibus vapulanti, ac periculo ejus tanquam sontis & noxii gaudentibus. J. F. Gronov.

2. *Triumphi*] Vide lib. III. epist. 10.

Digitized by Google

ta re eſſet. Nunc ſi[3] *ad illam ſummam veritatem legitimum jus exegeris, cavendum tibi erit, ne parùm ſimpliciter & candidè poſuiſſe inimicitias videaris. In hanc partem porrò tutum tibi erit, ſi quid volueris, gratificari: nemo enim neceſſitudine & amicitiâ te deterritum ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quòd inter*[4] *poſtulationem, & nominis delationem, uxor à Dolabella*[5] *diſceſſit. Quid mihi diſcedens mandaris, memini: quid ego tibi ſcripſerim, te non arbitror oblitum. Non eſt jam tempus plura narrandi. Unum illud monere te poſſum, ſi*[6] *res tibi non diſplicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate oſtendas, & expectes, quemadmodum exeat ex hac cauſa. Denique invidioſum tibi ſit, ſi emanarit. Porrò, ſignificatio ulla ſi interceſſerit, clarius, quàm deceat, aut expediat, fiat. Neque ille tacere eam rem poterit, quæ ſuæ*[7] *ſpei tam opportuna acciderit: quæque in negotio conficiendo tantò illuſtrior erit: cùm præſertim is ſit, qui, ſi pernicioſum ſciret eſſe loqui de hac re, vix tamen ſe contineret. Pompeius dicitur valde pro Appio laborare, ut etiam putent alterutrum de filiis*[8] *ad te miſſurum. Hîc nos omnes abſolvimus: & hercule*[9] *conſepta omnia, fœda, & inhoneſta ſunt. Conſules autem habemus ſummâ diligentiâ: adhuc ſenatus-conſultum, niſi de feriis Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni noſtro*[10] *tribunatus conglaciat. Sed dici non poteſt quomodo hîc omnia jaceant. Niſi*[11] *ego cum tabernariis & aquariis pugnarem, veternus civitatem*

3. *Ad illam ſummam veritatem*] Summa veritas, quòd in Officiis *ſummum jus*, cùm ait, *Summum jus, ſumma injuria. Exigere legitimum jus ad ſummam veritatem*, eſt ſtatuere, quod rigor legum & ſtrictum jus requirit. Si cum eo agis, ut ſtricto & ſevero jure agere deberes. J. F. GRONOV.

4. *Inter poſtulationem & nominis delationem*] Primùm poſtulabat accuſator à Prætore, ut ſibi liceret nomen deferre. Ubi permiſerat, conſtituebatur dies. Poſtquam is dies veniſſet, deferebat accuſator nomen, id eſt, petebat, ut adverſarius reciperetur in reos. Medio igitur tempore uxor nuncium remiſit Dolabellæ. IDEM.

5. *Diſceſſit*] Per divortium.

6. *Res*] Ut ei nubat filia tua. MANUT.

7. *Spei*] De Appio damnando. Nam affinitatis famam ſuis conſiliis opportunam utilémque fore ſperabit. IDEM.

8. *Ad te*] Ut auctoritatem gratiámque tuam ad Appii ſalutem conferas. Teſtes enim ex ea provincia, cui ſucceſſor Appii Cicero præerat, vel reum opprimere, vel periculo liberare poterant. MANUT.

9. *Conſepta*] Id eſt, munita, ne accuſatio contra ea valeat. Alii legunt, *confecta*, vel *conficta*, & ſubaudiunt, à Dolabella.

10. *Tribunatus conglaciat*] Tranſit ſine ullo motu, aut ſingulari actione, quaſi frigore devinctus & immobilis ſit. GRONOV.

11. *Ego cum tabernariis & aquariis pugnarem*] Erat enim ædilis, & iis, qui tabernas circa forum habebant, item qui aquas publicas in urbem deducebant, & partiebantur inter vicinias, ob neſcio quod peccatum mulctam videtur dixiſſe, de qua certarunt ad populum IDEM.

Digitized by Google

tem occupasset. Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hîc frigore [12] *frigescimus. Tamen, quoquo modo hîc omnia jaceant,* [13] *potuit sine Parthis. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. Hoc sic nuntiatum est. Quod tibi suprà scripsi, Curionem valde frigere, jam calet: nam* [14] *ferventissimè concerpitur. Levissimè enim, quia* [15] *de intercalando* [16] *non obtinuerat,* [17] *transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit: legémque* [18] *Viariam, non dissimilem Agrariæ Rulli, & Alimentariam,* [19] *quæ jubet ædiles metiri, jactavit. Hoc nondum fecerat, cùm priorem partem epistolæ scripsi. Amabo te, si quid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratia. De Dolabella integrum tibi reserves, suadeo. Et huic rei, de qua loquor, & dignitati tuæ, æquitatísque opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit pantheras Græcas me non habere. Vale.*

12. *Frigescimus*] Fortè, *senescimus*, in se gnitiem & torporem resoluti sumus. GRON.

13. *Potuit sine Parthis*] Fortè: *tamen, quoquo modo... potiùs sine Parthis.* IDEM.

14. *Ferventissimè concerpitur*] Hoc est, boni seu optimates ubique malè de eo loquuntur, & ejus levitatem, quod ad Cæsaris partes transfugerit, gravissimè accusant. GRÆV.

15. *De intercalando*] De die producenda, ut ea, quæ pro Cæsaris causa cogitabat, commodiùs posset ad exitum perducere. Sic enim Dio narrat lib. XL. MANUT.

16. *Non obtinuerat*] A collegio pontificum. Id enim Dionis ostendit historia. Et intercalandi potestatem penes eos fuisse, qui fastis præerant, Macrob. lib. I. Sat. docet. IDEM.

17. *Transfugit*] Desertor optimatum, quos antea defenderat. Epist. 8. IDEM.

18. *Viariam*] De sternendis muniendísque viis. Appian. de Bell. Civ. lib. I. ID.

19. *Quæ jubet ædiles metiri*] Hoc est, quæ jubet ædiles, ut harum rerum & præsertim annonæ curatores, pauperioribus dividere frumentum. GRÆVIUS.

CÆLIUS CICERONI S.

7 QUAM *citò tu istinc decedere cupias, nescio: ego quidem eò magis, quò adhuc feliciùs rem gessisti. Dum istic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc risum meum metus* [1] *aliqui perturbet. Breviores has literas properanti publicanorum tabellario subitò dedi: tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam. Res autem novæ nullæ sanè acciderunt, nisi hæc vis tibi scribi, quæ certè vis.* [2] *Cornificius adolescens Orestillæ filiam sibi despon-*

ARG. Quia pridie scripserat, breviter nova quædam annuntiat de nuptiis Cornificii & filiæ Orestillæ, de Paulæ divortio, de Ocellæ adulteriis. *Anno* U. C. 703.

1. *Aliqui*] Pro *aliquis*: antiquè.

2. *Cornificius adolescens Orestillæ filiam*] Orestilla Catilinæ uxor fuerat. Sigonii liber,

Digitized by Google

despondit. Paula Valeria, soror [3] Triarii, divortium sine causa, quo die vir è provincia venturus erat, fecit. Nuptura est [4] D. Bruto. [5] Nondum retulerat. Multa in hoc genere incredibilia, te absente acciderunt. Servius Ocella nemini persuasisset se mœchum esse, nisi triduo bis deprehensus esset. Quæres ubi? ubi hercule ego [6] minimè vellem: relinquo tibi, quod ab aliis quæras. Neque enim displicet mihi, imperatorem singulos percontari, cum qua sit aliqui deprehensus. Vale.

ber, *Cornificius adolescentiorem ille sibi filiam.* Ego ex hac varietate, nescio quàm verè, certè non longè ab antiquis vestigiis, hoc elicio: *Cornificius adolescentiorem Syllæ filiam sibi despondit.* Altera enim Syllæ major filia, Fausta, Miloni nupserat: quod ignorat nemo. Ita de Cornificio intelligendum erit, ad quem sunt epist. lib. XII. MANUTIUS.

3. *Triarii*] Hic est P. Valerius Triarius, qui Scaurum accusaverat, Cicerone defendente, ejus Triarii filius, qui legatus L. Luculli bello Mithridatico malè rem gesserat. Sed hic eloquentiâ valuit, & in Bruto præclarè laudatur. IDEM.

4. *D. Bruto*] Qui cum M. Bruto & C. Cassio Cæsarem occidit, IDEM.

5. *Nondum retulerat*] Subintelligi poterit, *dotem*. Sed mihi non displicet amicissimi mei conjectura, qui ita legendum putat, *mundum retulerat*. Mundus autem muliebris qui sit, exponit Liv. lib. XXXIV. IDEM.

6. *Minimè vellem*] Non dubito quin *nollem* legendum sit pro *vellem*. URSIN.

M. CÆLIUS M. CICERONI S. D.

ETSI *de republica, quæ tibi scribam, habeo: tamen nihil, quod magis gavisurum te putem, habeo, quàm hoc. Scito, C. Sempronium Rufum, Rufum mel ac delicias tuas, [1] calumniam [2] maximo plausu tulisse: quæris qua in causa? M. Tuccium, accusatorem suum post ludos Romanos, reum lege Plotia de vi fecit, hoc consilio, quòd videbat, [3] si extraordinarius reus nemo accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam. [4] Dubium* 8

ARGUMENTUM. Varia de judiciis, deinde de Senatûs-consulto, & de suis tandem rebus scribit. *Anno* U. C. 702.

1. *Calumniam tulisse*] Ad accusandum descendisse. Infrà: *Cùm calumniam jurasset.* MAN. *Calumniam ferre*, ut præmium ferre. Calumniæ seu litis falsæ & calumniosæ intentatæ damnatum, & id suæ temeritatis præmium tulisse. J. F. GRON.

2. *Maximo plausu*] Omnibus, qui in foro erant, lætis & gaudentibus infortunio ejus. IDEM.

3. *Si extraordinarius nemo*] Cui statim aliis judiciis sepositis, causa esset dicenda. Ut erat judicium de vi, quod unum, & diebus festis ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, exerceretur, ut ait Cicero pro Cælio cap. 1. IDEM.

4. *Dubium illi non erat*] Non erat ei dubium, quin condemnaretur. Quod ut effugeret, de accusando accusatore suo consilium cepit, eóque crimine, quo causam ab eo extra ordinem dicendam videbat. Sperabat enim, eo damnato, prorsus omni se periculo omníque molestiâ liberatum. MAN.

Digitized by Google

bium porrò illi non erat, quid futurum esset. Nemini hoc [5] *deferre munusculum maluit, quàm suo accusatori. Itaque sine ullo subscriptore descendit, & Tuccium reum fecit. At ego, simulatque audivi, invocatus ad subsellia rei occurro: surgo, neque verbum de re facio. Totum Sempronium* [6] *usque eò perago, ut Vestorium quoque interponam, & illam fabulam narrem, quemadmodum* [7] *tibi prò beneficio dederit,* [8] *si quid injuriis suis esset, ut Vestorius teneretur. Hæc quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Servilius, postquam, ut cœperat,* [9] *omnibus in rebus turbarat, nec, quod non venderet, quidquam reliquerat,* [10] *maximâ nobis traditus erat invidiâ: neque Laterensis prætor, postulante Pausania, nobis patronis,* [11] Quò ea pecunia pervenisset, *recipere voluit. Quòd Pilius, necessarius Attici nostri, de repetundis eum postulavit, magna illicò fama surrexit, & de damnatione ferventer* [12] *loqui est cœptum.* [13] *Quo vento projicitur Appius minor, ut indicet pecuniam* [14] *ex bonis patris pervenisse ad Servilium, prævaricationisque causâ diceret depositum H-S.* LXXXI. *Admira-*

---

5. *Deferre munusculum*] Neminem accusare maluit, quàm suum accusatorem. Sic locutus epist. 13. MANUTIUS.

6. *Usque eò perago*] Ita eum oratione exagito, ita vexo, ut Vestorii quoque mentionem faciam. Cum quo negotii quiddam Sempronio fuisse, cognoscitur ex epist. 2. lib. VI. ad Att. IDEM.

7. *Tibi pro beneficio dederit*] Collatum in te beneficium existimari voluerit. IDEM.

8. *Si quid injuriis*] Locus certè variis & inter se diversis modis legitur: quas tam incertas lectiones quivis videre poterit, & etiam alias excogitare. Nos in tantis tenebris, cùm nihil lucis adferre queamus, vetere scripturâ propositâ, ad alia transibimus, *si quod injuriis suis esset, ut Vestorius teneret.* VICTORIUS. Lege, *Si quid in Thuriis suis esset.* Quemadmodum concesserit Vestorio & in eum transtulerit possessiones & res, quas habebat in Thuriis, prope veterem Sybarin, non tanquam ob debitum, (quod ab eo exigebat Vestorius, Sempronius abjurabat) sed in gratiam Ciceronis arbitri inter eos sumpti. J. F. GRON. Edidit Cellarius, *si quid in injuriis.*

9. *Omnibus in rebus turbarat*] Id est, conturbarat; decoxerat. *Conturbasse*, & *conturbasse rationes* dicuntur decoctores. IDEM.

10. *Maximâ nobis traditus erat invidiâ*] Susceptus erat à me defendendus in reatu, admodum adverso rumore hominum. IDEM.

11. *Quò ea pecunia*] Formula, de qua dictum in Orat. pro Rab. Post. cap. 4.

12. *Loqui*] Passionem tribuit verbo, actionem potiùs requirenti. Sed antiquum fuit, id est Cælianum. MANUTIUS.

13. *Quo vento projicitur*] Quâ famâ valde commotus est Appius, usque eò, ut eundem Servilium de prævaricatione accusarit. MANUTIUS.

14. *Ex bonis paternis*] A patre suo datam Servilio, ejus accusatori, ut prævaricaretur. IDEM.

15. *Non redigam*] Antiqua formula, cujus vis non satis nota. Ad absolutionem, non simpliciter factam, videtur referenda. CELLARIUS.

16. *Ordinum judicia perscripsit*] Hærebat Laterensis. Pronunciaverat jam ab ordinibus absolutum Servilium: ex quo referre in tabulas absolutum oportuit. Rursus, cùm eum

Digitized by Google

miraris amentiam. Quid si actiones stultissimas, quid si nefarias de patre confessiones audisses? Mittit in consilium eosdem illos, qui lites æstimarant, judices. Cùm æquo numero sententiæ fuissent, Laterensis, leges ignorans, pronuntiavit quid singuli ordines judicassent: & ad extremum, ut solent, [15] Non redigam. *Postquam discessit, & pro absoluto Servilius haberi cœptus, legisque unum & centesimum caput legit, in quo ita erat:* Quod eorum judicum major pars judicarit, id jus, ratúmque esto: *in tabulas absolutum non retulit,* [16] *ordinum judicia perscripsit. Postulante rursus Appio, cum L. Lollio transegit, & se relaturum dixit. Sic nunc neque absolutus, neque damnatus Servilius, de repetundis* [17] *saucius Pilio tradetur.* [18] *Nam de divinatione, Appius,* [19] *cùm calumniam jurasset,* [20] *contendere ausus non est, Pilioque cessit: & ipse de pecuniis repetundis à Serviliis est postulatus, & præterea de vi reus à quodam emissario suo Titio factus est.* [22] *Rectè hoc par habet. Quod ad rempublicam pertinet, omnino multis diebus expectatione Galliarum actum nihil est. Aliquando*

Kk 2

---

eum à majore judicum parte non esse absolutum videret, putavit se contra legem facere, si absolutum scriberet: itaque, ne vel contra suam pronunciationem, vel contra legem committeret, (cùm ex pronunciatione absolvendus, ex lege damnandus ei videretur) neque absolutum, neque damnatum in tabulas retulit, scripsit, quid singuli ordines judicassent. MANUTIUS.

17. *Saucius*] Qui nec damnatus sit, nec absolutus: sed cui in superiore judicio, quo prævaricationis accusabatur, multæ inustæ erant notæ & maculæ, ut faciliùs nunc possit damnari: qui quasi confectus est superiore judicio. Sic sæpe historicis *exangues* dicuntur, quorum vires fractæ sunt. GRÆVIUS.

18. *Nam de divinatione*] Causam exponit, cur, cùm ab Appio & Pilio postulatum Servilium dixisset, unum postea Pilium nominarit. Quod ad divinationem, inquit, attinet, Appius contendere cum Pilio non est ausus, uter accusare Servilium deberet. *Divinatio* dicebatur oratio, in qua de accusatore deligendo disputabatur; vel quòd non de facto, sed de futuro conjectura quæreretur; vel quòd injurati judices in ea causa sederent, &, quod vellent, præsentire de utroque possent; vel quòd res ageretur sine testibus, & sine tabulis, &, his remotis, argumenta sola sequerentur judices, & quasi divinarent. Sic enim putavit Asconius, cùm Ciceronis Divinationem in Verrem explanaret. Videndus & Gellius lib. II. cap. 4. MANUTIUS.

19. *Cùm calumniam jurasset*] Cùm jam accusandi partes suscepisset. *Calumniam jurare* dicitur accusator, cùm in initio judicii jurat, se non per calumniam litem intentare adversario, sed quòd justas ac legitimas accusandi causas habere se putet. GRÆV.

20. *Contendere ausus non est*] Utri committendæ sint partes accusandi. IDEM.

21. *Emissario*] Ad calumniandum subornato. Tralatio ex militia. CELLAR.

22. *Rectè hoc par habet*] Præclarè componuntur hi duo: cùm emissarius eum ipsum reum faciat, à quo in alios emitti solitus erat. *Par gladiatorum*, dixit Cicero de optimo genere Oratorum: quam vocavit *compositionem* epist. 8. lib. II. MANUT.

Digitized by Google

do tamen sæpe re dilatâ, & graviter actâ, & planè perspectâ Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut [23] *eum decedere post kalendas Martias placeret,* [24] *senatus-consultum, quod tibi misi, factum est, auctoritatésque perscriptæ.* SENATUS-CONSULTI [25] AUCTORITAS. Prid. kal. Octob. in æde Apollinis, [26] scribendo affuerunt L. Domitius Cn. filius Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. filius Metellus Pius Scipio, L. Villius Lucii filius [27] Pomt. Annalis, C. Septimius T. filius Quirina, Caius Lucceius C. filius Pup. Hirrus, C. Scribonius C. filius Pop. Curio, L. Atteius L. filius An. Capito, M. Oppius M. filius Terentina. Quod M. Marcellus consul, V. F. de provinciis consularibus. [28] D. E. R. I. C. uti L. Paulus, C. Marcellus Consules, cùm magistratum iniissent, ex a. d. x. kal. Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, néve quid priùs ex kal. Mart. néve quid conjunctim de ea re referretur à Consulibus; utique ejus rei causâ per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent: &, cùm de ea re ad senatum referretur à Consulibus, eorum, qui in CCC judicibus essent, [29] sex abducere liceret. Si quid de ea re ad populum, ad plebémve lato opus esset, uti Serv. Sulpicius, M. Marcellus Consules, Prætores, Tribuníque plebis, quibus eorum videretur, ad populum, plebémve ferrent: quod ii non tulissent, uti, quicunque deinceps essent, ad populum plebémve ferrent. [30] I. V. Prid. kal. Octob. in æde Apollinis, scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. filius Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. filius Metellus Pius Scipio, L. Villius L. filius Pomt. Annalis,

---

23. *Eum*] Cæsarem. MANUT.

24. *S. C. factum, auctoritatésque perscriptæ*] Senatus-consultum, inquit, factum, respiciens ad primum, cui intercessum non est: tribus, quæ sequuntur, decretis intercessum est, ideò non vocantur Senatus-consulta, sed auctoritates perscriptæ. Vide ad lib. I. epist. 2. J. F. GRONOVIUS.

25. *Auctoritas*] Hîc aliter sumitur vocabulum *auctoritas*: significat enim nomina eorum, qui præsentes fuere, cùm Senatus-consultum in æs incideretur, & ejus rei testes, auctoréśque sunt. IDEM.

26. *Scribendo affuerunt*] Erat hæc solemnis formula, quam præmittebant senatus-consultis, qua significatur in sequentium senatorum sententiam factum esse S. C. sive iis præsentibus S. C. factum. Vide Brisson. de formulis. GRÆVIUS.

27. *Pomt.*] Significat Pomtinam tribum, ex qua erat Villius: sic etiam *Quirina* tribuum nomina. Sic & *Pup.* Pupiniam, *Pop.* Popiliam, *An.* Aniensem notat. IDEM.

28. *D. E. R. I. C.*] Id est, De ea re ita censuerunt. Et suprà *V. F.* id est, Verba fecit. Et infrà *S. Q. C.* id est, Senatúsque consultum. Et inferiùs, *S. C. A.* id est, Senatus-consulti auctoritas. LAMBIN.

Digitized by Google

nalis, C. Septimius T. filius Quirina, C. Scribonius C. filius Pop. Curio, L. Atteius L. filius An. Capito, M. Oppius M. filius Terentina. Quod M. Marcell. Cos. V. F. de provinciis, D. E. R. I. C. senatum existimare, neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minùs de Rep. [31] Q. P. ad senatum referri, senatique consultum fieri possit. Qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rempublicam fecisse. Si quis huic senatus-consulto intercesserit, senatui placere auctoritatem perscribi, & de ea re ad senatum, populúmque referri. *Huic senatus-consulto intercessit C. Cælius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa.* Item senatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt: qui eorum [32] stipendia emerita, aut causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, [33] ut eorum ratio habeatur, causæque cognoscantur. Si quis huic S. C. intercesserit, senatui placere auctoritatem perscribi, & de ea re ad senatum, populúmque referri. *Huic senatus-consulto intercessit C. Cælius, C. Pansa, Tribuni plebis.* Itémque senatui placere, in Ciliciam provinciam, & in octo reliquas provincias, quas prætorii pro prætore obtinerent, eos, qui prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro prætore mitti oporteret, eos sortitò in provincias mitti placere. Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur: tum, uti [34] quodque collegium primum prætorum fuisset, neque in pro-

 vincias

29. *Sex abducere licet*] *Sex* vitiosum est. Haud dubiè enim multo major numerus fuit. *Abducere*, è foro à tribunali Prætoris, ut scilicet frequentiorem redderent Senatum, & ejus numeri, per quem S. C. posset confici. J. F. GRONOV. Præiverat Manutius, qui mallet *eos* legi, ac deleri *sex*.

30. *I. V.*] Has explicare literas fatetur se non posse Victorius. Alii aliter mutant. Sigonianus liber habet *IN.* quod Manutius interpretatur *Intercessum*. Lambinus edidit, *S. C. A.* ut sit, quemadmodum suprà, *Senatus-consulti Auctoritas*.

31. *Q. P.*] Hæ literæ apud Frontinum significant, *Quid placeret*. CORRADUS. Vict. & aliis videntur significare, *Quàm primùm*.

32. *Stipendia emerita*] Emeriti stipendia milites dicebantur qui per annos decem militassent: túncque sacramento exsolvebantur, ut oneribus militiæ vacarent. MANUTIUS.

33. *Ut eorum ratio habeatur*] Ut exauctorentur honestâ missione. Hoc addiderunt, ut veteranos Cæsaris, in quibus præcipuæ vires erant, ab eo alienarent, & ad se pertraherent. J. F. GRONOV.

34. *Quodque collegium*] Octo prætores Ciceronis tempore erant, qui inter se unius anni collegium faciebant: superiore anno aliud

Digitized by Google

vincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. Si ii ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cujusque collegii, qui prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret. Si quis huic S. C. intercessisset, auctoritas perscriberetur. *Huic senatus-consulto intercessit C. Cælius, C. Pansa, Tribuni plebis. Illa præterea Cn. Pompeii sunt animadversa, quæ maximè* [35] *confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret, se ante kal. Mart. non posse sine injuria de provinciis Cæsaris statuere; post kal. Mart. se non dubitaturum. Cùm interrogaretur, si qui tum intercederent: dixit, hoc nihil interesse, utrùm C. Cæsar senatui dicto audiens futurus non esset,* [36] *an pararet qui senatum decernere non pateretur. Quid si, inquit alius, & consul esse, & exercitum habere volet? At ille, quàm clementer: Quid si filius meus fustem mihi impingere volet? His vocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Cæsare esse negotium, effecit. Itaque jam, ut video, alteramutram ad conditionem descendere vult Cæsar, ut* [37] *aut maneat, neque hoc anno sui ratio habeatur: aut, si designari poterit, decedat. Curio se contra eum totum parat. Quid assequi possit, nescio. Illud video, bene sentientem, etsi nihil effecerit, cadere non posse. Me tractat liberaliter Curio, & mihi* [38] *suo munere negotium imposuit. Nam si mihi non dedisset eas, quæ ad ludos ei advectæ erant Africanæ, potuit supersederi. Nunc, quando dare necesse est, velim tibi curæ sit, quod à te semper petii, ut ali-*

aliud collegium prætorum, & sic deinceps. *Primum* autem est, quod proximè antecessit. CELLARIUS.

35. *Confidentiam*] Ut confiderent homines, velle Pompeium potentiæ Cæsaris obsistere, contra quàm antea fecerat. MANUT.

36. *An pararet*] Hoc est, subornaret tribunum plebis qui intercederet. GRÆV.

37. *Ut aut maneat*] In Gallia, prorogato ultra decennium imperio. Quod si concederetur; nolle se consulatum petere affirmabat, nec absentis sui rationem haberi; quod tamen ei lex dederat. Sin hanc Pompeiani conditionem recusarent, eúmque omnino vellent non modò expleto decennio, lege concesso, sed etiam antè, decedere: ipse pariter hoc, ut iniquum, recusabat, ferebátque alteram conditionem, ut, si consul designatus esset, tum decederet. Utraque autem conditione Cæsar imperii perpetuitatem quærebat, qui vereretur id, quod inimicos ei minari solitos Tranquillus refert, ne simul ac privatus esset, ob res in consulatu contra leges morémque majorum actas in judicium vocatus opprimeretur. MANUTIUS.

38. *Suo munere*] Suo dono Africanarum pantherarum fecit, ut nunc ludis supersedere non possim. Onus imposuit, ut belluarum numerum compleam, & ludos edam. CELLARIUS.

Digitized by Google

aliquid istinc bestiarum habeamus; Sittianámque syngrapham tibi commendo. Libertum Philonem istuc misi, & Diogenem Græcum, quibus mandata & literas ad te dedi. Eos tibi, & rem, de qua misi, velim curæ habeas. Nam, quàm vehementer ad me pertineat, in iis, quas tibi illi reddent literis, descripsi.

CÆLIUS CICERONI S.

SIC *tu, inquis, Hirrum tractasti? Immò, si scias, quàm facilè, quàm ne contentionis quidem minimum fuerit, pudeat te, ausum illum unquam esse incedere tanquam tuum* [1] *competitorem. Post repulsam verò risus facit, civem bonum ludit, & contra Cæsarem sententias dicit:* [2] *expectationem corripit: Curionem prorsus non mediocriter* [3] *objurgatus. Hac repulsa se mutavit. Præterea qui nunquam in foro apparuerit, non multùm in judiciis versatus sit, agit* [4] *causas liberales:* [5] *sed raro post meridiem. De provinciis quod tibi scripseram Id. Sextil. actum iri,* [6] *interpellat judicium Marcelli, consulis designati. In kal. rejectá* 9

ARG. Gloriatur ædilem se designatum: Hirrum repulsum: de rep. nihil actum: Feridium commendat; de Pompeii & Scipionis in Cæsarem animo addit, & de Calidio in defensione diserto, in accusatione frigido. *Anno* U. C. 702.

1. *Competitorem*] Auguratûs, ep. 4.

2. *Expectationem corripit*] Quantum in se est, vult reddere breviorem: vetat tam diu expectari in Cæsare tolerando in Galliis. Suet. Tib. 34. *Ludorum ac munerum impensas corripuit.* J. F. GRONOV.

3. *Objurgatus*] Orta mihi de mendo suspicio est: quòd fortasse scripserit Cælius: *Objurgat. Scilicet hac repulsa se mutavit.* Et, *Scilicet*, unicâ scriptum literâ *S*, occasionem dederit loci depravandi. Omnes tamen libri veteres in, *Objurgatus*, consentiunt. Itaque potest antiquum esse, & ideò Cælianum. MANUT. Legendum *objurgavit*, acriter reprehendit. J. F. GRONOV. Meus ille optimus sic legit, *objurgat, ac repulsâ se mutavit*; quam scripturam non potui non probare. Curionem autem ideò corripit, quòd tum ad Cæsaris partes transierit. GRÆVIUS.

4. *Causas Liberales*] *liberalis causa* est, quâ quis, qui pro servo erat, in libertatem vindicabatur judicio, quod vocant Plautus & Terent. *liberali causâ asserere manu.* Pantagathus legit, *agit causas liberaliùs.* Perperam. GRÆV. Alii legunt, *liberalis*: quod interpretatur Manutius, facilis in recipiendis causis. J. F. Gronovius suspicatur, *causam libertatis*, scilicet publicæ, contra Cæsarem. Sed cum sequentibus hæc, opinor, non ita bene cohærent.

5. *Sed raro post meridiem*] Quasi dicat, ita prandere luxuriosè solitum, ut deinde magnarum curarum oblivisceretur. GRON.

6. *Interpellat*] Impedit, ob affinitatem: nam erat Octaviæ maritus, quæ neptis fuit Juliæ, Cæsaris sororis. Initio etiam civilis belli, cùm provinciarum sortitio fieret, privato consilio præteritus est, quasi propensior esset ad Cæsaris causam. Lib. I. Comm. de Bel. civ. MANUT.

Digitized by Google

ctâ re, [7] *ne frequentiam quidem efficere potuerunt. Has literas a. d.* IV. *Non. Septemb. dedi, cùm ad eam diem* [8] *ne profligatum quidem quidquam erat. Ut video, causa hæc integra in proximum annum transferetur: &, quantùm divino, relinquendus tibi erit qui provinciam obtineat. Nam non expedietur successio; quando Galliæ, quæ habent* [9] *intercessorem, in eandem conditionem, quàm cæteræ provinciæ, vocantur. Hoc mihi non est dubium: quò tibi magis scripsi, ut ad hunc eventum te parares. Ferè literis omnibus tibi de pantheris scripsi. Turpe tibi erit, Patischum Curioni decem pantheras misisse; te non multis partibus plures: quas ipsas Curio mihi, & alias Africanas decem donavit: ne putes illum tantùm* [10] *prædia rustica dare scire. Tu, si modò memoriâ teneres, & Cybiratas arcessieris, itemque in Pamphyliam literas miseris (nam ibi plures capi aiunt) quod voles, efficies. Hoc vehementiùs laboro nunc, quòd seorsum à collega puto mihi omnia paranda. Amabo te, impera tibi hoc curæ. Soles libenter, ut ego, majorem partem nihil curare. In hoc negotio nulla tua, nisi loquendi, cura est, hoc est, imperandi & mandandi. Nam, simulatque erunt captæ, qui alant eas & deportent, habes eos, quos ad Sittianam syngrapham misi. Puto etiam, si* [11] *ullam spem mihi literis ostenderis, me istò missurum alios. Marcum Feridium, equitem Romanum, amici mei filium, bonum & strenuum adolescentem, qui ad suum negotium istuc venit, tibi commendo; & te rogo ut eum in tuorum numero habeas. Agros,* [12] *quos fructuarios habent civitates, vult tuo beneficio*

7. *Ne frequentiam quidem*] Hoc est, quamvis res fuerit dilata in Kalendas, non tot tamen patres præstò fuerunt Kalendis, ut posset fieri Senatus-consultum. GRÆV.

8. *Ne profligatum quidem*] Plus est quàm *cœptum*: minùs, quàm *confectum*. Cognoscitur exemplis. Nam epistola 30. lib. XII. *Profligato*, inquit, *bello, ac penè sublato, renovatum bellum gerere conamur.* Et Tusc. 5. *Profligata jam hæc, & penè ad exitum adducta quæstio est.* In oratione autem de Provinciis: *Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret, vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, à quo profligata sunt, confici nolle.* Est igitur *Profligatum*, quod in eadem oratione *Affectum* Cicero vocavit. *Quid est*, inquit, *cur Cæsar in provincia commorari velit; nisi ut ea, quæ per eum affecta sunt, perfecta reip. tradantur?* MANUT.

9. *Intercessorem*] Cùm sit tribunus plebis; qui intercessurus sit, & impediturus ne Cæsari Galliæ præfecto succedatur. GRÆV.

10. *Prædia rustica* donare *scire*] Agros pauperioribus de plebe. Alludit ad actionem Curionis de agro Campano, infrà, epistola 10. J. F. GRONOV.

11. *Ullam*] H. Stephanus, *nullam.*

12. *Quos fructuarios*] Qui civitatibus annuum vectigal pendunt. MANUT.

Digitized by Google

ficio (quod tibi facile & honestum factu est) immunes esse. Gratos & bonos viros tibi obligâris. Nolo te putare Favonium à [13] columnariis [14] præteritum esse: optimus quisque eum non fecit. Pompeius tuus apertè Cæsarem [15] vetat & provinciam tenere cum exercitu, & consulem esse. Tamen hanc sententiam dixit, nullum hoc tempore senatus-consultum faciendum. Scipio hanc, ut kalendis Martiis de provinciis [16] Galliis, neu quid conjunctim referretur. Contristavit hæc sententia [17] Balbum Cornelium: & scio eum questum esse cum Scipione. Canidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus. Vale.

13. *Columnariis*] Apparet hîc designari homines nullius pretii, è plebe: qui aut propterea dicti columnarii, quòd ad columnam Mæniam, de qua alibi, rei essent, ut videtur Manutio ad hunc locum, aliisque; aut, quod potiùs crediderim, quia circa eam otii causâ fallendi versarentur, similes subrostranis & subbasilicanis; quos & ipsos inde dictos scimus, quòd pro rostris & ad basilicas esse solerent. Comprehenduntur *turbâ forensi*, plebe urbanâ, de qua sæpe Cicero. ERNESTUS.

14. *Præteritum*] In petitione magistratûs.

15. *Vetat*] Alii vocem hanc subaudiunt. Ursinus mutat in *molestè fert*.

16. *Galliis*] Nominatim: quod iniquum erat: itaque pridie Kal. Oct. de provinciis consularibus, non de Galliis nominatim, S. C. factum est. Epist. 7. MANUT.

17. *Balbum Cornelium*] Gaditanum, pro quo extat Ciceronis oratio. IDEM.

CÆLIUS CICERONI S. 10

SANE *quàm literis [1] C. Cassii & Dejotari sumus commoti. Nam Cassius cis Euphraten copias Parthorum esse scripsit: Dejotarus, profectas per Commagenen in [2] provinciam nostram. Ego quidem præcipuum metum, quod ad te attinebat, habui; qui scirem quàm paratus ab exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. Nam de vita, si paratior ab exercitu esses, timuissem. Nunc hæc exiguitas copiarum, recessum, non dimicationem mihi tuam præsagiebat. Hoc quomodo ac-*

ARG. Scribit de belli Parthici rumore in urbe: de provinciis quid putet actum iri: de Curionis actione circa Campanum agrum: de suo studio, ne Ciceroni provincia prorogetur. *Anno* U. C. 702.

1. C. *Cassii*] Hic quæstor, interfecto M. Crasso, reliquias legionum conservavit, & Syriam in Pop. Rom. potestate retinuit, & postea proquæstor has literas scripsit. Hic etiam postea in Cæsarem conjuravit. CORR.

2. *Provinciam nostram*] Nam Commagene non erat populi Romani, sed regis Antiochi. Syriam significat: quod ex ep. 1. lib. XV. & ad Attic. ep. 18. lib. V. cognoscitur. MANUT.

Digitized by Google

ciperent homines, [3] quàm probabilis necessitas futura esset, vereor etiam nunc: neque priùs desinam formidare, quàm tetigisse te Italiam audiero. Sed de Parthorum transitu nuntii varios sermones excitarunt. Alius enim Pompeium mittendum, alius ab urbe Pompeium non removendum, alius Cæsarem cum suo exercitu, alius consules: nemo tamen ex [4] senatusconsulto privatos. Consules autem, quia verentur ne illud senatus-consultum fiat, ut paludati exeant, aut contumeliosè præter eos ad alium res transferatur, omninò senatum haberi nolunt: usque eò, ut parum diligentes in republica videantur: [5] sed honestè, sive negligentia, sive inertia est, sive ille, quem proposui, metus latet sub hac temperantiæ existimatione, nolle provinciam. A te literæ non venerunt: & nisi Dejotari subsecutæ essent, in eam opinionem Cassius venerat, quæ diripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum, & Arabas in provinciam immisisse, eósque Parthos esse, senatui renuntiasse. Quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter & cautè perscribas, ne aut [6] velificatus alicui dicaris: aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Nunc exitus est anni: nam ego has literas a. d. XIV. *Kal. Decemb. scripsi. Planè nihil video ante Kal. Jan. agi posse. Nosti Marcellum, quàm tardus & parùm efficax sit; itémque Servium, quàm cunctator. Cujusmodi putas hos esse? aut qui id, quod nolint, conficere posse, qui quæ cupiunt, tamen ita frigidè agunt, ut nolle existimentur? Novis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, hæc causa primos menses occupabit. Sin autem non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos aut successores, parvis additis copiis, sustinere possint: Curionem video se dupliciter jactaturum, primùm, ut aliquid Cæsari adimat; inde, ut aliquid Pompeio tribuat, quidvis, quamlibet tenue munusculum. [7] Paulus porrò*

3. *Quàm probabilis necessitas*] An probaturus iis hominibus, ut credere possint te compulsum necessitate recessisse, te copias habuisse tam exiguas, ut Parthis resistere non potueris. Grævius.

4. *Ex S. C.*] Non poterat enim privatus mitti ex Senatus-consulto, sed rogatione ad populum. Anonym.

5. *Sed honestè*] Quicquid sit vitii, quod eas impediat, id velant prætextu moderationis in appetenda provincia, quæ inter tam cupidos vulgò laus habebatur. Gron.

6. *Velificatus*] Assentando gratificatus. Ut enim vela navium ad ventorum adspirationes aptantur, sic orationem sæpe nostram ad aliorum voluntatem accommodamus. Manutius.

7. *Paulus*] Paulus Æmilius, consul designatus, non relinqui vult Cæsari provinciam; durè adversùs illum loquitur. Cell.

Digitized by Google

porrò non humanè de provincia loquitur. Hujus cupiditati [8] *occursurus est Furnius noster. Plures suspicari non possum. Hæc novi. Alia, quæ possunt accidere, non cerno. Multa tempus afferre, & præparata multa scio. Sed intra* [9] *fines hos, quæcunque acciderint, vertentur. Illud addo* [10] *ad actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Cæsarem laborare; sed Pompeium valde nolle, ne vacuus advenienti Cæsari pateat. Quod ad tuum decessum attinet, illud tibi non possum polliceri, me curaturum ut tibi succedatur: illud certè præstabo, ne amplius prorogetur. Tui consilii est, si tempus, si senatus coget, honestè à nobis recusari non poterit, velisne perseverare: mei officii est meminisse: quâ obtestatione* [11] *decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris. Vale.*

8. *Occursurus est Furnius*] Quia tribunus plebis esset designatus, lib. V. ad Att. epist. 18. ANONYMUS.

9. *Fines hos*] Quos ostendi. Scripsit enim proximè de Parthico bello, de consule Paulo, tribunis pl. Curione & Furnio. MANUT.

10. *Ad actiones*] Ad actiones Curionis hoc addo, de agro Campano. Præter cætera, Curio illud aget sequenti anno, ut ager Campanus, ante Cæsaris adventum, ex ipsius Cæsaris lege dividatur. Qua de re epist. 9. lib. I. MANUT.

11. *Decedens*] Pro *discedens*. IDEM.

CÆLIUS CICERONI S.

NON *diù, sed acriter nos tuæ* [1] *supplicationes torserunt. Incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus* [2] *comitiales* [3] *eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse decerni supplicationes,* [4] *ne, quod furore Pauli adeptus esset boni, suâ culpâ videretur amisisse, & prævaricator causæ publicæ existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: & confirmarunt consules, se his supplicationibus* [5] *in hunc* II

annum

ARG. Nuntians, supplicationes post acrem concertationem decretas tandem esse, hortatur, ut decreti auctoribus, pro cujusque merito & voluntate, gratias agat. Addit de successore Cæsaris quid actum sit, & commentarium urbanarum rerum mittit, Sittianúmque negotium, de quo jam sæpius, commendat. *Anno* U. C. 703.

1. *Supplicationes*] Pro victoria Ciceronis in monte Amano. Supplicationes enim dies festi sunt, quibus pro victoria & liberatione gratias diis suis Romani agebant. CELLAR.

2. *Comitiales*] Dies: quibus agere cum populo licebat. MANUT.

3. *Eripiebantur*] Quo modo? auspiciis. ID.

4. *Ne, quod furore Pauli*] Ne occasionem rependendæ vicis, obnuntiantis consulis importunitate datam amitteret. CELLAR.

5. *In hunc annum non usuros*] Se nulli alii Imperatori, præterquam Ciceroni, supplicationes decreturos. GRÆVIUS.

Digitized by Google

annum non usuros. Planè, quòd utrisque consulibus gratias agas, est: Paulo magis certè. Nam Marcellus sic respondit, [6] *se spem in istis supplicationibus non habere: Paulus, se omnino in hunc annum non edicturum. Renuntiatum nobis erat, Hirrum* [7] *diutiùs dicturum: prendimus eum. Non modò non fecit, sed, cùm de hostibus ageretur, & posset rem impedire,* [8] *si, ut numeraretur, postularet, tacuit. Tantùm* [9] *Catoni assensus est, qui de te locutus honorificè, non decrerat supplicationes. Tertius ad hos Favonius accessit. Quare pro cujusque natura, & instituto, gratiæ sunt agendæ: his, quòd* [10] *tantùm voluntatem ostenderunt; pro sententia, cùm impedire possent, non pugnarunt: Curioni verò, quòd de suarum actionum cursu tuâ causâ deflexit. Nam Furnius & Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, unà nobiscum circumierunt, & laborarunt. Balbi quoque Cornelii operam & sedulitatem laudare possum. Nam cum Curione vehementer locutus est: & eum, si aliter fecisset, injuriam Cæsari facturum dixit: tum ejus fidem* [11] *in suspicionem adduxit.* [12] *Decrerant quidem, qui neque transigi volebant, Domitii, Scipiones; quibus hac re ad intercessionem evocandam interpellantibus, venustissimè Curio respondit, se eò libentiùs non intercedere, quòd quosdam, qui decernerent, videret confici nolle. Quod ad rempublicam attinet, in unam causam omnis contentio conjecta est.* [13] *De provinciis, inquam, adhuc est. Incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Cæsar Id. Novemb. dece-*

6. *Se in his supplicationibus spem non habere.*] Alia sibi esse adversùs Curionem præsidia, quibus confidat. J. F. GRONOV.

7. *Diutiùs dicturum*] Ut diem dicendo consumeret, ne S. C. fieri posset. MANUT.

8. *Si, ut numeraretur*] Festus: *Numera Senatum, ait quivis Senator Consuli, cùm impedimento vult esse, quo minùs faciat S. C.* Raró convenerant justo numero. GRONOV.

9. *Catoni*] Cur ita senserit, exponit ipse in epistola, quæ extat lib. XV. cui Cicero respondens, dixit, *se tanti facere Catonis illam laudationem, ut cum ea nullum triumphum esse conferendum existimet.* Et ad Att. VII. 1. confirmat idem. MANUT.

10. *Tantùm*] *Tantùm* pro saltem, ut lib. VII. epist. 31. GRÆVIUS. Lege, *tantam*: se tibi tam benevolos ostenderunt. GRONOV.

11. *In suspicionem*] Quasi fictus esset reditus in gratiam cum Cæsare: non bonâ fide cum illo in gratiam rediisset. IDEM.

12. *Decrerant*] Scipiones & Domitii, decreverant quidem supplicationes, contra tamen animi sententiam, qui nolebant hanc rem confici, & cùm hac de causa sæpius compellassent Curionem, rogasséntque fictè ne intercederet, hoc enim est ad *evocandam intercessionem*, ad impediendam intercessionem, respondit Curio lepidissimè, &c. GRÆV. Alitet tamen, sed, opinor, non ita bene J. F. Gronovius, ad Senec. epist. 47.

13. *De provinciis, inquam, adhuc est*] Ita legendum. Quicquid erat antea dissensionum, cessat & quiescit, dum ducitur serra de provinciis. J. F. GRONOV.

Digitized by Google

decedat. Curio omnia potiùs subire constituit, quàm id pati. Cæteras suas abjecit actiones. Nostri porrò, quos tu bene nosti, ad extremum certamen rem deducere non audent. Scena rei totius hæc. Pompeius, tanquam Cæsarem non impugnet, sed, quod illi æquum putet, constituat, ait Curionem quærere discordias. Valde autem non vult, & planè timet Cæsarem consulem designari priùs, quàm exercitum & provinciam tradiderit. Accipitur satis malè à Curione, & totus ejus [14] *secundus consulatus exagitatur. Hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem,* [15] *Cæsar defendetur: intercessorem si (quod videntur) reformidarint, Cæsar, quoad volet, manebit. Quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum: ex quo tu, quæ digna sunt, selige. Multa transi, in primis ludorum explosiones. Et funerum, & ineptiarum cæterarum plura habet inutilia. Denique malo in hanc partem errare, ut, quæ non desideras, audias, quàm quidquam, quod opus est, prætermittatur. Tibi curæ fuisse de Sittiano negotio, gaudeo: sed, quanto suspicaris minùs certâ fide* [16] *eos tibi visos,* [17] *tanquam procurator sic agas, rogo. Vale.*

14. *Secundus consulatus*] In quo Pompeius iterùm consul operam dederat, auctórque fuerat, ut Trebonius tribunus pl. de Galliarum imperio Cæsari in alterum quinquennium prorogando legem ferret. Quod beneficium nunc idem Pompeius conabatur eripere, cùm eum ante idus Nov. vellet decedere. MANUT.

15. *Cæsar defendetur*] Non ab amicis, ut Manutius, sed ab ipso Curione, intercessuro, quicquid in Cæsar. statuent. GRONOV.

16. *Eos*] A quibus exigenda pecunia est. Nam syngrapha Sittiana facultatem dabat exigendæ pecuniæ. MANUT.

17. *Tanquam procurator*] Eo studio, quo solent ii qui aliena negotia procurant. IDEM.

CÆLIUS CICERONI S.

PUDET *me tibi confiteri, & queri de Appii, hominis ingratissimi, injuriis, qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: & cùm homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renuntiarent, & ipse facilè animadverterem, malè eum de me cogitare. Posteaquam verò comperi eum* [1] *collegium tentasse:* 12

ARG. Queritur de Appii Claudii censoris ingrato animo, & injuriis, quem cùm accusationem cogitare comperisset, antevertit, & ipsum postulavit lege Scantinia. *Anno* U. C. 703.

1. *Collegium tentasse*] Legendum, ut bene

tentasse: deinde apertè cum quibusdam locutum: cum L. Domitio, ut nunc est, mihi inimicissimo homine, deliberare: velle hoc munusculum deferre Cn. Pompeio: ipsum ut [2] reprehenderem, & ab eo deprecarer injuriam, quem vitam mihi debere putaram, impetrare à me non potui. [3] Quid ergo est? Tum quidem aliquot amicis, qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum. Posteaquàm illum, ne cui satisfaceret quidem me dignum habere sensi, malui collegæ ejus, homini alienissimo mihi, & propter amicitiam tuam non æquissimo, me obligare, quàm illius simiæ vultum subire. Id postquam rescit, excanduit, & me causam inimicitiarum quærere clamitavit, quasi, quòd mihi in pecunia minùs satisfecisset, per hanc speciem simultatis eum consectarer. Postea non destitit arcessere [4] palàm Servium accusatorem, inire cum Domitio consilia: quibus cùm parum procederet, ut ullâ lege mihi ponerent accusatorem, compellari eâ lege me voluerunt, quâ dicere non poterant. Insolentissimi homines [5] summis Circensibus ludis meis postulandum me lege [6] Scantiniâ curant. Vix hoc erat Pola locutus, cùm ego Appium censorem eadem lege postulavi. Quod melius caderet, nihil vidi. Nam sic est à populo, & non infirmo quoque approbatum, ut majorem Appio dolorem fama, quàm postulatio, attulerit. Præterea [7] cœpi sacellum, in domo

ne monuerunt alii, *collegam*. Nimirum *L. Pisonem*, qui in Censura erat collega Appii. Hunc iste tentavit, ut & ipse notaret Cælium. Nam unius Censoris nota, sine alterius collegæ assensu, habebatur irrita. Inepti sunt qui de collegio augurum hæc intelligunt. GRÆVIUS.

2. *Reprehenderem*] J. F. Gronovius emendat, *prehenderem*, sive *prenderem*. Sensus totius loci est: Postquam comperi illum collegam suum, Censorem, Pisonem sollicitare, ut mihi notam inureret, & cum meo inimico Domitio consilia in meam perniciem inire, volui hoc in illius gratiam facere, ut ipsum precarer & obtestarer, ne tam iniquè mecum ageret, sed non potui hoc à me impetrare, ut ei quem servaveram, fierem supplex. IDEM.

3. *Quid ergo est?*] Formula connectendi. Petronius cap. 2. *quid ergo est? Parentes objurgatione digni sunt.* Cic. Orat. pro Quint. 18. pro Rosc. Amer. 19. Lib. V. epist. 5. J. F. GRONOV.

4. *Palàm Servium*] Nihil muto: videant tamen eruditi, an sit rectius, quod monui adolescens in scholiis nostris, *Polam Servium*, quem Cicero nominat, ut accusatorem, lib. II. ad Q. Fr. epist. 2. & Cælius ipse paulo pòst: *Vix hoc erat Pola elocutus*. MANUT.

5. *Summis Circensibus*] Extremis diebus Circensium ludorum meorum. IDEM.

6. *Lege Scantinia*] De nefando marium concubitu, quæ pœnam irrogabat decem millia nummûm. Quintilianus lib. IV. cap. 7. Capitale crimen postea fecit Julia lex. Ep. 14. Juvenalis Satyrâ 6. Suetonius in Domitiano. IDEM.

7. *Cœpi sacellum*] Censorum erat curare, ut sacella non in domo cujusquam essent, sed populo paterent. Itaque Livius lib. XL. ubi loquitur de Lepido & Fulvio

Digitized by Google

domo quod est, ab eo petere. Conturbat me mora servi hujus, qui tibi literas attulit: nam acceptis prioribus literis, amplius [8] *quadraginta mansit. Quid tibi scribam, nescio. Scis Domitio* [9] *diem timori esse? Expecto te valde, & quàm primùm videre cupio. A te peto, ut meas injurias proinde doleas, ut me existimas, & dolere, & ulcisci tuas solere. Vale.*

vio censoribus, *Complura*, inquit, *sacella publicáque sacra, occupata à privatis, ut paterent, essentque populo, curarant.* Cælius autem ut ostenderet, Appium censorem officio suo deesse, petere cœpit ab eo, ut sacellum in domo privata ne relinqueretur: cujus rei cura Appii, qui censor erat, esse debuerat. Sed libentiùs intellexerim de sacello, quod ipse Appius occupasset: ex quo gravior ei conciliata esset invidia, occupatis rebus à censore, quas censor ab aliis occupatas, populo restituere deberet. IDEM.

8. *Quadraginta*] Supple, diebus.

9. *Diem*] Quæ à nescio quo ei dicta erat ad judicium subeundum. Et illud *scis*, ut ep. 14. *Scis Appium hic ostenta facere?* quasi esset, *nunquid audisti?* J. F. GRONOV.

CÆLIUS CICERONI S.

GRATULOR *tibi affinitate viri medius fidius optimi. Nam hoc ego de illo existimo. Cætera porrò, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, & ætate jam sunt decussa; & consuetudine, atque auctoritate tua, & pudore Tulliæ, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri. Non est enim pugnax in vitiis, neque hebes ad id, quod melius sit, intelligendum. Deinde (quod maximum est) ego illum valde amo. Vides, Cicero, Curionem nostrum, lautum intercessionis de provinciis exitum habuisse? Nam cùm de intercessione referretur,* [1] *quæ relatio fiebat ex senatus-consulto, primaque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum tribunis plebis censebat: frequens senatus in alia omnia iit.* [2] *Stomacho est Magnus nunc ita languenti, ut vix id, quod sibi placeat, reperiat. Transierant illuc,* [3] *ut ratio esset ejus* 13

ARG. Gratulatur de affinitate Dolabellæ, qui Ciceronis filiam duxerat: narrat de intercessione Curionis, & de provinciis quid actum sit: & de morte Hortensii, de qua Cic. in Bruto, cap. 1. *Anno* U. C. 703.

1. *Quæ relatio fiebat ex S. C.*] Quod est in epist. 8. hujus libri. CORRAD.

2. *Stomacho est Magnus*] Vulgò, *Stomacho est* scilicet Pompeius *Magnus*: in quo mediæ voces duæ Manutio videntur glossema, & à Lambino delentur.

3. *Ut ratio ejus esset habenda*] Sensus est: Plerique probabant Cæsarem consulem esse designandum, aut inter candidatorum numerum recipiendum absentem, antequam exercitum & provinciam tradiderat. GRÆV. Edidit Victorius, *ut nec ratio esset*, &c.

Digitized by Google

ejus habenda, qui neque exercitum, neque provincias tradere vellet. Quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cùm cognoscat; quidnam reipublicæ [4] *futurum sit, si aut non possit, aut non curet, vos senes divites videritis. Q. Hortensius, cùm has literas scripsi, animam agebat.*

4. *Futurum*] Sigonii codex, teste Manutio, habebat *futurus*, nempe Pompeius: hoc est, utrùm præsidium & defensor, an desertor & proditor, ut interpretatur J. F. Gronovius: vel, quo loco ejus sit futura auctoritas in republica, ut vult Grævius. Deinde hæc verba, *si aut non possit*, delent Manutius & Grævius, locúmque asterisco indicant mutilum esse. Quòd si ea deles, quia in MSS. non reperiuntur; legendum erit fortasse, *si haud curet*. Plana enim sententia erit, ac dilucida. Fuerat à librariis scriptum *aut* pro *haud*: ac deinde, interpretationis causâ, additum in margine *non*; quod postremò cum altera particula negante simul contextum occupavit. Erit igitur hic sensus; Vos senes divites videritis, quidnam Reip. futurum sit, si Pompeius haud curet. Ironicè dictum. Oliv.

Cælius Ciceroni S.

14 Tanti *non fuit* [1] *Arsacen capere, & Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hîc gestæ sunt, spectaculo careres. Nunquam tibi oculi doluissent, si* [2] *in repulsa Domitii vultum vidisses. Magna illa comitia fuerunt, & planè studia ex partium sensu apparuerunt:* [3] *perpauci necessitudinem secuti, officium præstiterunt. Itaque mihi est Domitius inimicissimus; ut ne familiarem quidem suum quemquam tam oderit, quàm me: atque eò magis, quòd per injuriam sibi putat ereptum,* [4] *cujus ego auctor fuerim. Nunc furit, tam gavisos homines suum dolorem, unúmque me studiosiorem Antonii. Nam Cn. Saturninum adolescentem*

Arg. Varia est. Domitii repulsam, Saturnini accusationem, Pompeii & Cæsaris discordiam, Appii censoris ridiculam diligentiam narrat. *Anno* U. C. 703.

1. *Arsacen capere*] Quia Cicero cum Parthis bellum gerebat, quorum rex *Arsaces*, regia *Seleucia*. H. Steph.

2. *In repulsa*] Augurali, M. Antonio competitore augure facto. Corrad.

3. *Perpauci*] Pauci, inquit, iis sunt suffragati, quibus cognatione & amicitiâ fuerunt conjunctissimi, & debebant suffragari propter cognationem, si officium præstare & facere quod se decebat, voluissent; sed potiùs in suffragiis ferendis partes, quibus studebant, sunt secuti. Grævius.

4. *Cujus ego auctor fuerim*] Quid mirum? cùm amicissimus Curioni esset Cælius, Curio autem vehementer Antonio faveret. Quod ei objicit Cicero Philipp. II. *An*, inquit, *cùm es factus augur, unam tribum sine Curione ferre potuisses? cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quòd tui nimis studiosi fuissent.* Plutarchus etiam, Curionis præcipuè operâ, tribunatum hoc anno gerentis, Antonium augurem creatum narrat. Manut.

Digitized by Google

centem [5] *ipse Cn. Domitius reum fecit, sanè quàm superiore à vita invidiosum. Quod judicium nunc in expectatione est,* [6] *etiam in bona spe, post Sext. Peducæi absolutionem. De summa republica sæpe tibi scripsi, me* [7] *annum pacem non videre: & quo propiùs ea contentio, quam fieri necesse est, accedit, eò clariùs id periculum apparet. Propositum hoc est, de quo, qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi: quòd Cn. Pompeius constituit non pati C. Cæsarem consulem aliter fieri, nisi exercitum & provincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Sic* [8] *illi amores, & invidiosa conjunctio, non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit: neque mearum rerum quod consilii capiam, reperio; quòd non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. Nam mihi cum hominibus his & gratia & necessitudo est: tum* [9] *causam illam, non homines odi. Illud te non arbitror fugere, Quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu civiliter sine armis cernetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum & castra ventum sit, firmiorem; & id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia video, Cn. Pompeium senatum,* [10] *quique res judicant, secum habiturum: ad Cæsarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros: exercitum conferendum non esse.* [11] *Omnino satis spatii sit ad considerandas utriusque copias, & ad eligendas partes. Propè oblitus sum, quod maximè fuit scribendum. Scis*

 Appium

5. *Ipse Cn. Domitius*] Lucii filius, de quo illa superiora scripta sunt. IDEM.

6. *Etiam in bona spe*] Et tamen evasurum reum putant: præsertim cùm absolutus sit Sextius æquè aut graviùs nocens. J. F. GRONOV.

7. *Annum*] Est hic sensus: me non credere per annum pacem duraturam. Intra annum bellum orietur civile. GRÆVIUS.

8. *Illi amores*] Intelligit matrimonium Pompeii, cùm potentiæ cupiditate duceret Juliam Cæsaris filiam: de qua nundinatione matrimoniorum, quâ respublica opprimebatur, queritur Cato apud Plutarch. in vita Julii. *Invidiosa conjunctio*, est triumviratus quem inierant Crassus, Pompeius & Cæsar, his legibus, ut nihil in republica gereretur, ipsis improbantibus. GRÆVIUS.

9. *Causam illam*] Cæsaris scilicet, qui nimiam potentiam quærebat, & contra patriæ antiqua instituta volebat absens Consul creari, neque sine pactione, ut senatus volebat, exercitus & provinciam tradere. IDEM.

10. *Quique res judicant*] Judices: quos Pompeius tertiùm consul CCCLX. legerat. MANUTIUS.

11. *Omnino satis spatii sit*] Fortè: *Opto.* Dii velint, ne citiùs hoc malum nobis superveniat, quàm sat temporis habuerimus ad æstimandas utriusque vires. GRONOV.

Digitized by Google

Appium censorem hîc [12] *ostenta facere? de signis, & tabulis,* [13] *de agri modo, de ære alieno acerrimè agere? Persuasum est ei,* [14] *Censuram, lomentum aut nitrum esse. Errare mihi videtur. Nam sordes eluere vult, venas sibi omnes &* [15] *viscera aperit. Curre per deos atque homines, & quàm primùm hæc risum veni: legis Scantiniæ judicium* [16] *apud Drusum fieri:* [17] *Appium de tabulis & signis agere. Crede mihi, est properandum. Curio noster sapienter id, quòd* [18] *remisit de stipendio Pompeii, fecisse existimatur. Ad summam, quæris, quid putem futurum. Si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, video magnas impendêre discordias: quas ferrum & vis judicabit. Uterque animo & copiis est paratus. Si sine tuo periculo fieri posset, magnum & jucundum* [19] *tibi fortuna spectaculum parabat.*

12. *Ostenta facere*] Mirifica, quæ nemo crediderit facilè, dum scilicet gravem censorem ludit. Grævius.

13. *De agri modo*] Hoc est, de moderanda agrorum possessione. Manut.

14. *Censuram, lomentum aut nitrum esse*] Censuram ita sordes posse aut obtegere, ut *lomentum* rugas tollit: aut eluere, ut *nitro* è vestibus eluuntur maculæ; id est, putat se censuræ diligentiâ & severitate infamiam posse tollere eorum vitiorum, quibus antea se turpiter inquinavit. Idem.

15. *Viscera aperit*] Tantum abest, ut veterem de suis vitiis opinionem hominum deleat, ut eam hac severitate vehementiùs etiam commoveat. Idem.

16. *Apud Drusum*] Livium Drusum, prætorem, quo nemo magis contra legem Scantiniam commisit. Fortasse is est, de quo epist. 16. lib. IV. ad Att. Idem.

17. *Appium*] Malè audientem earum rerum causâ, de quibus acerrimè agit. Idem.

18. *Remisit de stipendio Pompeii*] Hoc tempore optimatibus & Pompeio acerrimus Curio erat adversarius. Intercedebat igitur, ne S. C. fieret de stipendio, Pompeii legionibus persolvendo. Epist. 4. Idem.

19. *Tibi fortuna spectaculum*] Committendo Cæsarem & Pompeium. Neutri enim Cicero sincerè favebat: neuter Ciceroni, quem ab exilio non servaverant.

Cælius Ciceroni S.

15 ECQUANDO *tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompeium vidisti, qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commôrit? Ecquem autem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem, aut legisti, aut audisti? Quid est? nunc tibi nostri milites, qui durissimis & frigidissimis locis, teterri-*

Arg. Pompeium vituperat, Cæsarem laudat: cupidus conveniendi & alloquendi Ciceronis; de itinere ad Alpes, & Domitio dimisso. *Anno* U. C. 704.

teterrimâ hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur? Quid? jam, inquis, gloriosè omnia. Imò, si scias quàm sollicitus sim, tum hanc meam gloriam, quæ ad me nihil pertinet, derideas. Quæ tibi exponere nisi coràm non possum: idque celeriter fore spero. Nam me, cùm[2] *expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare. Id quod jam existimo confectum, nisi si maluit Pompeius Brundusii circumsederi. Peream,*[3] *si minima causa est properandi istò mihi, quòd te videre, & omnia intima conferre*[4] *discupio: habeo autem quàm multa! Hui vereor (quod solet fieri) ne, cùm te videro, omnia obliviscar. Sed tamen quodnam ob scelus iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit?*[5] *Adeò quòd*[6] *Intemelii in armis sunt, neque de magna causa. Bellienus, verna Demetrii, qui ibi cum præsidio erat, Domitium quendam, nobilem illic Cæsaris hospitem, à contraria factione nummis acceptis comprehendit, & strangulavit. Civitas ad arma iit. Eò cum quatuor cohortibus mihi per nives eundum est.*[7] *Usquequaque, inquies, se Domitii malè dant. Vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuisset in vestro Domitio, quantum*[8] *Psecade natus in hoc habuit. Ciceroni*[9] *F.S.D.*

1. *Malis orbiculatis*] Rotunda mala, ova, &c. optima putantur: unde mala orbiculata per jocum pro lautissimis cibis dicuntur. ERNESTUS.
2. *Expulisset.*] Cæsaris nomen subauditur.
3. *Peream, si minima causa est*] Peream, nisi maxima causa est. MANUT.
4. *Discupio*] Plautinum verbum, quo etiam Catullus usus est. IDEM.
5. *Adeò*] Ob eam causam. Nec enim aliud hìc, *Adeò*, videtur significare. IDEM.
6. *Intemelii*] Intemelium oppidum Plinius citra Alpes constituit, & inter Ligurum gentes nominat, lib. III. cap. 5. ID.
7. *Usquequaque*] In Italia & Gallia: nam & L. Domitius cum filio Corfinii captus fuerat. CELLARIUS.
8. *Psecade natus*] Vulgò *ipse catenatus*. Octav. Pantagathus, inquit Man. legendum primus existimavit, *Psecade natus*: ut significetur Bellienus verna. *Psecas* enim ancilla est: *vernæ* autem ii, qui ancillis nascantur. Si Bellienus (ait Cælius) ancillâ natus, Domitium strangulare non dubitavit: quid Cæsari, Venere prognato, in vestro Domitio faciendum fuit? Hanc Lamb. & Græv. lectionem receperunt.
9. *F. S. D.*] Id est, Filio salutem dic.

M. CÆLIUS M. CICERONI S.

EXANIMATUS *sum tuis literis; quibus te nihil, nisi triste, cogitare ostendisti: neque id quid esset, perscripsisti. Neque* 16

ARG. Pulso ex Italia Pompeio, suadet Ciceroni Cælius, ne afflictam fortunam sequatur; consulitque, ut in aliquam urbem à bello vacuam se recipiat. *An.* U. C. 704.

Digitized by Google

que non tamen, quale esset quod cogitares, aperuisti. Has illicò ad te literas scripsi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos, oro, obsecro, ne quid gravius de salute & incolumitate tua consulas. Nam deos, hominésque, amicitiámque nostram testificor, me neque temerè tibi prædixisse, neque temerè monuisse: sed postquam Cæsarem convenerim, sententiámque ejus, qualis futura esset, partâ victoriâ, cognoverim, te certiorem fecisse. Si existimas eandem rationem fore Cæsari in dimittendis adversariis, & conditionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox & sævum cogitat, atque etiam loquitur. [1] Iratus senatui [2] exiit: his intercessionibus planè incitatus est: non, mehercule, erit deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi caræ sunt; si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus valet, quorum fortunas non debes velle conturbare; sequere eam causam, in cujus victoria salus nostra est, ne aut odisse, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Denique illud cogita: [3] quod offensæ fuerit, in ista cunctatione te subisse. Nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus lædere noluisti: & ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summæ stultitiæ est. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quid optimum sit, eligas. Quod si totum tibi persuadere non possum: saltem, dum quid de Hispaniis agamus scitur, expecta: quas tibi nuntio adventu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant, amissis Hispaniis, nescio. Quod porrò tuum consilium sit ad desperatos accedere, non medius fidius reperio. Hoc, quod tu, non dicendo, mihi significasti, Cæsar audierat: ac, simul atque, Ave, mihi dixit, statim quid de te audisset, exposuit. Negavi me scire: sed tamen ab eo petii, ut

1. *Iratus senatui*] Quia non obtinuisset, ut legati ad Pompeium de pace mitterentur: & quòd, quascunque res agere instituerat, L. Metellus tribunus pl. intercedens, omnes impedierat: de quo scripsit Cæsar lib. I. de bel. civ. & Plutarchus in ejus vita. Manut.

2. *Exiit*] Urbe, iturus in Hispaniam contra Pompeii legatos, ipso jam Italiâ pulso. Idem.

3. *Quod offensæ fuerit*] Si vereris, ne, in Italia si remanseris, Pompeium offendas: cogita, te, cùm nondum ad eum transieris, hac eum cunctatione jam offendisse. Quidquid esse potuit apud eum offensæ, id subiisti, qui cunctatus es, nec ad eum statim accessisti. Quod hîc Cælius, idem Atticus existimavit, ut ad eum epist. 2. lib. IX. scriptum est. Idem.

Digitized by Google

ut [4] ad te literas mitteret, quibus maximè ad remanendum commoveri posses. Me secum in Hispaniam ducit. Nam, nisi ita faceret, ego prius quàm ad urbem accederem, ubicunque esses, ad te percurrissem, & hoc à te præsens contendissem, atque omni vi te retinuissem. Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuósque omnes funditus evertas: ne te sciens prudénsque eò demittas, unde exitum vides nullum esse. Quòd si te aut voces optimatium commovent, aut nonnullorum hominum insolentiam & jactationem ferre non potes, eligas [5] censeo aliquod oppidum vacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ jam erunt confecta. Id si feceris, & ego te sapienter fecisse judicabo, & Cæsarem non offendes.

4. *Ad te literas mitteret*] Misit: quæ sunt lib. X. epist. ad Att. IDEM.
5. *Censeo*] Idem Dolabella, IX. 9.

CÆLIUS CICERONI S.

ERGO me potiùs in Hispania fuisse tum, quàm Formiis, 17
cùm tu profectus es ad Pompeium? [1] Quòd utinam aut non in ista parte Appius Claudius, aut non in hac C. Curio, cujus amicitia me paulatim in hanc [2] perditam causam imposuit: nam mihi sentio bonam mentem iracundiâ & amore ablatam. Tum tu porrò, cùm ad te proficiscens noctu Ariminum venissem, dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem, & mirificum civem agis, amici officium neglexisti, neque mihi consuluisti. Neque hæc dico, quòd diffidam huic causæ: sed, crede mihi, perire satius est, [3] quàm hos videre. Quod si [4] timor vestræ crudelitatis non esset, ejecti jam pridem hinc essemus. Nam hîc nunc, præter fœneratores pau-

ARG. Queritur se Curionis amore & Appii odio in eas pertractum partes esse, unde multa jam sibi incommoda. Cæsar enim, in bellum Pharsalicum profectus, Romæ Cælium prætorem reliquerat: quòd autem non huic, sed Trebonio, res urbanas mandaverat, hic ægrè ferens, æmulatione turbas dedit, quibus ipse gravius incucurrit malum. Excusat itaque, quòd cum Cicerone non profectus fuerit in Græciam, ad Pompeium. *Anno* U. C. 704.

1. *Quòd utinam*] Intelligendum *fuisset*. Τὸ *quod* περιττεύει. Significat se odio Appii abstinuisse Pompeianorum societate, amore Curionis Cæsari adhæsisse. J. F. GRONOV.

2. *Perditam*] Doctorum conjectura est: nihil enim sani in MSS.

3. *Quàm hos*] Servilium, Trebonium, & reliquos Cæsarianos. CORRAD.

4. *Timor vestræ crudelitatis*] Pompeius enim in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent, & qui in castris Cæsaris fuissent. IDEM.

Digitized by Google

paucos, [5] nec homo, nec ordo quisquam est, nisi Pompeianus. Equidem jam effeci ut maximè plebs, &, qui antea noster fuit, populus vester esset. Cur hoc, inquis? Immò reliqua expecta. Vos invitos vincere coëgero. [6] Irritavi in me Catonem. Vos dormitis: nec hæc adhuc mihi videmini intelligere, quàm nos pateamus, & quàm simus imbecilli. Atque hoc nullius præmii spe faciam: sed, quod apud me plurimùm solet valere, [7] doloris atque indignitatis causâ. Quid [8] istic facitis? prælium expectatis, [9] quod firmissimum est? Vestras copias non novi. Nostri valde depugnare, & [10] facilè algere, & esurire consueverunt.

---

5. *Nec homo, nec ordo*] Latiùs patet *Homo*, quàm *Ordo*. Itaque satis erat, *Homo*: aut dicendum fuit, *nec ordo, nec homo*. Sed excusat Cælium iracundia, qua perturbatus hæc scripsit. MANUT.

6. *Irritavi in me Catonem*] Quod nonnulli *inritavi in me Crabrones*, vel *in me Cæsarem* legunt, sunt longè à veteribus vestigiis; & vereor ne quanto magis corrigere volunt, tanto magis contaminent. Jaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus vera lectio elucescat. VICTORIUS.

7. *Doloris*] Hujus doloris causam Dio narrat lib. XLII. quòd Cæsar Trebonio prætori urbanam jurisdictionem mandasset, quam Cælius expetebat. MANUTIUS.

8. *Istic*] In Græcia. Nam post bellum Hispaniense, quo confecto statim Cæsar in Græciam contra Pompeium navigavit, hanc epistolam scriptam esse constat. IDEM.

9. *Quod firmissimum est*] Ex parte Cæsaris. IDEM. Lege: *quo firmissimus est*, nempe Cæsar, quo invictus est. J. F. GRONOV.

10. *Facilè algere*] Ergo paratiores ad sustinendum etiam diuturnum bellum. Nec esse, quòd, ad fatigandum Cæsaris exercitum, Pompeiani bellum trahant. CELLAR.

Digitized by Google

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER IX.

M. T. CICERO M. TERENTIO VARRONI S. D.

EX his literis, quas Atticus à te missas mihi 1
legit, quid ageres, & ubi esses, cognovi: quando autem te visuri essemus, nihil sanè ex iisdem literis potui suspicari. In spem tamen venio appropinquare tuum adventum, qui mihi utinam solatio sit: etsi tot tantísque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat: sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re juvare. Scito enim me, posteaquam in urbem venerim, rediisse cum veteribus amicis, id est, cum libris nostris in gratiam. Etsi non idcircò eorum usum dimiseram, quòd iis succenserem: sed quòd eorum me suppudebat. Videbar enim mihi, cùm me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisissem, præceptis illorum non satis paruisse. Ignoscunt mihi, revocant in consuetudinem pristinam, téque, quòd in eo permanseris, sapientiorem, quàm me, dicunt fuisse. Quamobrem cùm placatis his utor, videor sperare debere, si te viderim, & quæ premant, & ea quæ [1] impendeant, me facilè transiturum.

ARGUMENTUM. Varronis adventum expectat, ut ex consuetudine ejus non minùs, quàm ex studiis ac libris, cum quibus in gratiam redierit, solatium doloris petat, quem ex afflicta rep. ceperat. *Anno U. C.* 707.

1. *Impendeant*] Post Africanum bellum, quod Cæsar tunc gerebat. MANUTIUS.

rum. Quamobrem five in Tufculano, five in Cumano [1] ad te placebit, five (quod minimè velim) Romæ: dummodo fimul fimus, perficiam profectò, ut id utrique noftrûm commodiffimum effe videatur. Vale.

1. *Ad te*] Id eft, apud te, & in tua villa: habuit enim & M. Varro villam in Cumano, quod ex procemio Academicorum ad ipfum miſſorum colligitur. VICTOR.

CICERO VARRONI.

2 CANINIUS idem tuus & idem nofter, cùm ad me vefperi veniffet, & fe poftridie manè ad te iturum effe dixiffet: dixi ei me daturum aliquid manè; ut peteret, rogavi. Confcripfi epiftolam noctu: nec ille ad me rediit. Oblitum credidi. Attamen eam ipfam tibi epiftolam miſiffem per meos, nifi audiffem ex eodem, poftridie te manè è Tufculano exiturum. [1] At tibi repentè paucis pòft diebus, cùm minimè expectarem, venit ad me Caninius manè: proficifci ad te ftatim dixit. Etfi erat [2] ἕωλος illa epiftola, præfertim tantis poftea novis rebus allatis, tamen perire lucubrationem meam nolui, eam ipfam Caninio dedi. Sed cum eo, & homine docto, & tui amantiffimo locutus ea fum, quæ pertuliffe illum ad te exiftimo. Tibi autem idem confilii do, quod mihimetipfi, ut vitemus oculos hominum, fi linguas minùs facilè poffumus. Qui enim victoriâ fe efferunt, quafi victos nos intuentur. Qui autem victos effe noftros molestè ferunt, nos dolent vivere. Quæres fortaffe, cur, cùm hæc in urbe fint, non abfim, quemadmodum tu. Tu enim ipfe, qui & me, & alios prudentiâ vincis, omnia, credo, vidifti: nihil te omnino fefellit. Quis eft tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nufquam incurrat? Ac mihi quidem jam pridem venit in mentem, bellum effe aliquò exire, ut ea, quæ agebantur hìc, quæque dicebantur, nec viderem,

ARG. Retentæ epiftolæ caufam exponit, deinde fuadet, ut vitet oculos hominum, quod ipfe faciat; donec gratulatio Africanæ victoriæ defervefcat: & fuum juvandæ reip. defiderium declarat. *Anno* U. C. 707.

1. *At tibi*] *Tibi*, ornatûs gratiâ & hîc, & alibi addidit Cicero. Epift. 6. ad M. Brutum, Epift. 14. lib. X. ad Att. & Cælius epift. 2. lib. VIII. MANUT.

2. Ἕωλος] Obfoleta, non recens.

Digitized by Google

rem, nec audirem. [3] Sed calumniabar ipse. Putabam, qui obviam mihi venisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum, aut dicturum, etiam si non suspicaretur: Hic aut metuit, & eà re fugit, aut aliquid cogitat, & habet navem paratam. Denique, levissimè qui suspicaretur, & qui fortasse me optimè novisset, putaret me idcircò discedere, quòd quosdam homines oculi mei ferre non possent. Hæc ego suspicans adhuc Romæ maneo: & tamen [4] λεληθότως consuetudo diuturna callum jam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilii. Tibi igitur hoc censeo: latendum tantisper ibidem, dum defervescit hæc [5] gratulatio, & simul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum sit. Confectum enim esse existimo. Magni autem intererit, qui fuerit victoris animus, qui exitus rerum. Quanquam, quò me conjectura ducat, habeo: sed expecto tamen. Te verò nolo, [6] nisi ipse rumor jam raucus erit factus, ad Baias venire. Erit enim nobis honestius, etiam cùm hinc discesserimus, videri venisse in illa loca ploratum potiùs, quàm natatum. Sed hæc tu meliùs. Modò nobis stet illud, unà vivere in studiis nostris: à quibus antea delectationem modò petebamus, nunc verò etiam salutem: non deesse, si quis adhibere volet, non modò [7] ut architectos, verùm etiam ut fabros, ad ædificandam rempublicam, & potiùs libenter accurrere: si nemo utetur operâ, tamen & scribere, & legere [8] πολιτείας: & si minùs in curia atque in foro, at in literis & libris, ut doctissimi veteres fecerunt, [9] navare rempublicam, & de moribus, ac legibus quærere. Mihi hæc videntur. Tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit si ad me scripseris. Vale.

3. *Sed calumniabar ipse*] Videtur desiderari *me*, ut sit, calumniabar ipse me. Sed nihil variant edit. LAMB. Ipse falsâ hac suspicione me morabar, impedimentum mihi objiciebam. Sic *calumnia* superius lib. I. epist. 1. & lib. VI. epist. 7. GRÆVIUS.

4. Λεληθότως] Sensim.

5. *Gratulatio*] Ob res à Cæsare in Africa contra Scipionem, Pompeii Magni socerum, & Jubam, Mauritaniæ regem, prosperè gestas. IDEM.

6. *Nisi ipse rumor jam raucus erit factus*] Nisi rumor de victoria Cæsariana jam cœperit imminui, evanescere, sive, ut Tacitus loquitur, senescere. GRÆVIUS.

7. *Ut architectos*] Tanquam principes cives, quales olim fuimus. MANUT.

8. Πολιτείας] Libros de regenda rep. ID.

9. *Navare Remp.*] Efficere aliquid Reip. utile, juvare. VI. 1. *navare aliquia & efficere.* J. F. GRONOV. Sed alii aliter. Nam *gubernare* opinatur legi posse Victorius: *juvare*, Manutius: alii verbo addito, *navare operam reip.*

CICERO VARRONI.

3 ETSI quid ſcriberem non habebam, tamen Caninio ad te eunti non potui nihil dare. Quid ergo potiſſimum ſcribam? quod velle te puto, citò me ad te eſſe venturum. Etſi vide, quæſo, ſatíſne rectum ſit, nos hoc tanto incendio civitatis in iſtis locis eſſe. Dabimus ſermonem iis, qui neſciunt nobis, quocunque in loco ſimus, eundem cultum, eundem victum eſſe. Quid refert? tamen in ſermonem incidemus. Valde id, credo, laborandum eſt, ne, cùm omnes in omni genere & ſcelerum & flagitiorum volutentur, noſtra [1] nobiſcum, aut inter nos ceſſatio vituperetur. Ego verò neglectâ [2] barbarorum inſcitiâ, te perſequar. Quamvis enim hæc ſint miſera, quæ ſunt miſerrima, tamen artes noſtræ neſcio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur, quàm olim ferebant: ſive quia nulla nunc in re alia acquieſcimus, ſive quòd gravitas morbi facit, ut medicinæ egeamus, eáque nunc appareat, cujus vim non ſentiebamus, cùm valebamus. Sed quid ego nunc hæc ad te, cujus domi naſcuntur? [3] γλαυκ' εἰς Ἀθήνας. Nihil ſcilicet, niſi ut, reſcribens aliquid, me expectares. Sic igitur facies. Vale.

ARG. Iturum ſe ad Varronem ſcribit: ſed fore qui reprehendant, quòd in tanto incendio civitatis amœnitates locorum quærant: ſe verò barbarorum voces contemnere, & perſequi propoſitum, ut in ſtudiis unà vivant. *Anno* U. C. 707.

1. *Nobiſcum, aut inter nos*] Bona correctio. Nam poterat aliquis objicere, ceſſare eos etiam cum aliis: ſiquidem in urbe non viverent. Ceſſamus, inquit, inter nos, non inter alios; quia remoti à multitudine vivimus. MANUT.

2. *Barbarorum*] Indoctorum. IDEM.

3. Γλαυκ' εἰς Ἀθήνας] Vide VI. 3.

CICERO VARRONI S.

4 ΠΕΡΙ' [1] δυνατῶν me ſcito [2] κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, ſi venturus es, cito neceſſe eſſe te venire. Sin autem non es,

ARG. De Varronis adventu ex Diodori philoſophi ſententia jocatur ita, ut ad Chryſippi ſententiam accedat. *Anno* U. C. 707.

1. Περὶ δυνατῶν] De rebus, quæ fieri poſſunt: de poſſibilibus. Hoc enim verbo, quod vitaſſe Cicero videtur, Plautus in Sticho uſus eſt: & Quintilianus, quod Græcè δυνατὸν, Latinè dici *Poſſibile*, quanquam appellatione duriore, auctor eſt libro III. cap. 8. MANUT.

2. Κατὰ Διόδωρον κρίνειν] *Ex Diodori ſententia judicare*. Quid ſentiret Diodorus, oſtendit Cic. in lib. de Fato, cap. 7. *Maximè tibi, Chryſippe, cum Diodoro &c.* IDEM.

Digitized by Google

es, [1] τῶν ἀδυνάτων est te venire. Nunc vide, utra te [4] κρίσις magis delectet, Χρυσιππεία-ne: an hæc, quam noster Diodorus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cùm erimus, loquemur. Hoc etiam [5] κατὰ Χρύσιππον δυνατόν est. [6] De Coctio mihi gratum est. Nam id etiam Attico mandaram. Tu si minùs ad nos, accurremus ad te. Si [7] hortum in bibliotheca habes, deerit nihil. Vale.

3. *Τῶν ἀδυνάτων*] Ex iis rebus, quæ fieri non possunt. IDEM.

4. *Κρίσις . . . Χρυσιππεία*] Judicium ex Chrysippi sententia.

5. *Κατὰ Χρύσιππον δυνατόν*] Secundùm Chrysippum fieri potest.

6 *De Coctio*] Quid si *Cocceio*, de quo *ad Att.* XII. 13. CORRAD.

7. *Hortum*] Illatum, non ibi natum. MANUT. Vix hortum hîc intelligere Manutius videtur potuisse alium, quàm ex eorum genere, quos vocabant hortos Adonidis; hoc est, flores aut plantas in testulis, ut notat Hesychius. An tales delicias amaret in bibliotheca Cicero, non dicam: scio ambulationibus delectatum; & de testaceis ejusmodi hortulis valde contemptim locutos esse veteres. *In bibliotheca* Badius interpretatur in loco bibliothecæ vicino. Nihil expedit. An ignorabat Cicero, in Varronis villa hortum esse? Cur ergo diceret, *si habes*? Eum ego arbitror aliud velle: hoc nempe: Non egressurum se Varronis è bibliotheca, nisi ut in horto corpus ambulando exerceat; itaque non egressurum omnino, si in bibliotheca sit hortus. Scripsit facetè, suo more Cicero, neque intelligi voluit grammaticè. OLIVET.

CICERO VARRONI.

MIHI verò ad Non. bene maturum videtur fore, neque solùm propter reipublicæ, sed etiam propter anni tempus. Quare diem istum probo. Itaque eundem ipse sequar. [1] Consilii nostri, ne si eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem. Secuti enim sumus non spem, sed officium. Reliquimus autem non officium; sed desperationem. Ita verecundiores fuimus, quàm qui se domo non commoverunt: saniores, quàm qui, amissis opibus, domum non reverterunt. Sed nihil minùs fero, quàm severitatem otiosorum:

ARG. Probat & diem, quo conventuri sint, & suum Varronísque consilium, quòd semel à Cæsare victi ab armis discesserint. *Anno* U. C. 707.

1. *Consilii nostri*] Hujus nostri consilii, inquit Cicero, ne tum quidem nobis pœnitendum putarem, si eos, qui id secuti non sunt, non pœniteret. Cùm verò eos pœniteat, quòd in bello remanserint, multo minùs nobis, qui saniores fuimus, pœnitendum puto. *Ne si*, verbo præponuntur, & in eo tamen verbo inest vis negandi. Nam illud, *Nobis pœnitendum putarem*, valet, non putarem, quia respicit superiores particulas, *ne si*, quæ si postponantur, addenda erat eidem verbo altera negatio, ut ita dicatur: *Nobis pœnitendum non putarem, ne si eos quidem*, &c. MANUT.

ſorum: &, quoquo modo ſe res haberet, magis illos vereor, qui in bello occiderunt, quàm hos curo, quibus non ſatisfacimus, quia vivimus. Mihi ſi ſpatium fuerit in Tuſculanum ante Nonas veniendi, iſtic te videbo. Sin minùs, perſequar in Cumanum: & antè te certiorem faciam, ut [2] lavatio parata ſit.

2. *Lavatio*] Inſtrumentum balneare. Phædrus *lavationem argenteam*, Fabulâ LXIII. (ſive lib. IV. Fab. 4. cui titulus, *Æſopus interpres Teſtamenti.*) J. F. Gron.

Cicero Varroni.

6 Caninius noſter me tuis verbis admonuit, ut ſcriberem ad te, ſi quid eſſet quod putarem te ſcire oportere. Eſt igitur adventus Cæſaris, ſcilicet, in expectatione: neque tu id ignoras. Sed tamen, cùm ille ſcripſiſſet, ut opinor, ſe in [1] Alſienſe venturum, ſcripſerunt ad eum ſui, ne id faceret: [2] multos ei moleſtos fore, ipsúmque multis: Oſtiæ videri commodius eum [3] exire poſſe. Id ego non intelligebam quid intereſſet. Sed tamen Hirtius mihi dixit, & ſe ad eum, & Balbum, & Oppium ſcripſiſſe ut ita faceret, homines, ut cognovi, amantes tui. Hoc ego idcircò noſſe te volui, ut ſcires, hoſpitium tibi ubi parares, vel potiùs ubi utrique. Quid enim ille facturus ſit, incertum eſt: & ſimul oſtentavi tibi, me iſtis eſſe familiarem, & conſiliis eorum intereſſe. Quod ego cur nolim, nihil video. [4] Non enim eſt idem, ferre ſi quid ferendum eſt, & probare ſi quid probandum non eſt. Etſi, quid non probem quidem, neſcio, præter initia rerum. Nam hæc in voluntate fuerunt. Vidi enim (nam tu aberas) noſtros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quàm non timere. Ergo hæc conſilii fuerunt: reliqua neceſſaria. Vincere autem aut hos, aut

Arg. Cæſaris ex Africano bello adventum nuntiat, & belli civilis cauſam in Pompeium potiùs, quàm in Cæſarem confert. Varronem autem laudat, quòd ſe ab armis ad ſtudia, quaſi à tempeſtate in portum, contulerat. *Anno* U. C. 707.

1. *Alſienſe*] Quod in ſuperi maris litore Plinius & Ptolemæus conſtituunt. Manut.

2. *Multos*] Cùm ibi eſſent multorum villæ ob regionis amœnitatem. Idem.

3. *Exire*] De navi deſcendere.

4. *Non enim eſt idem*] Arguta ſententia: Fero, inquit, quæ ferenda ſunt: (quis enim cum temporum neceſſitate pugnet?) non ideo tamen probo, quæ probanda non ſunt. Manut. Fruſtrà mihi quidem videtur hanc ſollicitare lectionem H. Stephanus, *Schediaſm. Var.* lib. II. cap. 27. Olivetus.

Digitized by Google

aut illos necesse est. Scio te semper mecum in luctu fuisse, cùm videremus, quàm illud ingens malum alterius utrius exercitus ex ducum interitu: tum verò extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otiosis minabantur: erátque iis & tua invisa voluntas, & mea oratio. Nunc verò, si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent. Erant enim nobis perirati, quasi quidquam de nostra salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus: aut quasi utilius reipublicæ fuerit, eos etiam ad [5] bestiarum auxilium confugere, quàm vel emori, vel cum spe, si non optima, at aliqua tamen vivere. [6] At in perturbata republica vivimus. [7] Quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnes vitæ status paraverunt. Huc enim ut venirem, superior longiùs, quàm volui, fluxit oratio. Cùm enim te semper magnum hominem duxi: tum quòd his tempestatibus es propè solus in portu, fructúsque doctrinæ percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres, eáque tractes, quorum & usus, & delectatio est omnibus istorum & [8] actis, & voluptatibus anteponenda. Equidem [9] hos tuos Tusculanenses dies instar esse vitæ puto: libentérque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat, vi nullâ interpellante, isto modo vivere. Quod nos quoque imitamur, ut possumus, & in nostris studiis libentissimè conquiescimus. Quis enim hoc non dederit nobis, ut, cùm operâ nostrâ patria sive non possit uti, sive nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines, fortasse non rectè, sed tamen multi, etiam reipublicæ præponendam putaverunt? Quæ igitur studia magnorum hominum sententiâ vacationem habent etiam publici muneris, iis, concedente republicâ, cur non abutamur? Sed plus facio, quàm Caninius mandavit. Is enim, si quid ego scirem, rogarat, quod

 tu

5. *Bestiarum*] Elephantorum Jubæ.

6. *At*] Objectio: Vivimus ubi viris vivere indignum est, republicâ in tyrannidem prolapsâ. J. F. Gronov.

7. *Quis negat? sed hoc viderint*] Fateor. Sed hæc objectio tantum valet adversùs eos, qui se non instruxere ad utramque fortunam tolerandam. Idem.

8. *Actis*] Amœna littora, in quæ se recipiebant cùm genio vellent indulgere, partim ob amœnum in mare prospectum, partim propter piscium delicias. Servius ad V. Æn. *In sola secretæ Troades acta.* Græv.

9. *Hos Tusculanenses dies tuos*] Sic agere; quemadmodum tu hos proximos dies in Tusculano tuo egisti inter libros, quos vel legis vel facis, eam demum ego veram vitam puto. J. F. Gronov.

Digitized by Google

tu neſcires: ego tibi ea narro, quæ tu meliùs ſcis, quàm ipſe, qui narro. Faciam ergo illud, quod rogatus ſum, ut eorum, quæ temporis hujus ſint, quæve audiero, ne quid ignores.

Cicero Varroni.

7 Cœnabam apud Seium, cùm utrique noſtrûm redditæ ſunt à te literæ. Mihi verò jam maturum videtur. Nam, quòd antea calumniatus ſum, [1] indicabo malitiam meam. Volebam propè alicubi eſſe, [2] ſi quid bonæ ſalutis, [3] σύν τε δύ' ἐρχομένω. Nunc, quando confecta ſunt omnia, dubitandum non eſt, quin [4] equis viris. Nam, ut audivi de [5] L. Cæſare filio, mecum ipſe, [6] *Quid hic mihi faciet patri?* Itaque non deſino apud iſtos, qui nunc dominantur, cœnitare. Quid faciam? tempori ſerviendum eſt. Sed ridicula [7] miſſa; præſertim cùm ſit nihil quod rideamus.

[8] *Africa terribili tremit horrida terra tumultu.*

Itaque nullum eſt [9] ἀποπροηγμένον, quod non verear. Sed quod quæris, [10] quando, quà, quò, nihil adhuc ſcimus. Iſtuc ipſum de Baiis, nonnulli dubitant, an per Sardiniam veniat. Illud enim adhuc [11] prædium ſuum non inſpexit: nec ullum habet deterius,

---

Arg. Jam maturum eſſe ait, ut ab urbe diſcedat: & de Cæſaris ex Africano bello redeuntis itinere diverſos rumores nuntiat. *Anno U. C.* 707.

1. *Indicabo malitiam meam*] Fatebor tibi, quod aſtutè cogitaram. J. F. Gronov.

2. *Si quid bonæ ſalutis*] Si de Pompeianorum victoria nuncius afferretur. Timebat enim eos Cicero, ſi viciſſent. Manut.

3. Σύν τε δύ' ἐρχομένω] Utroque ſimul eunte. *Iliad.* X. 224.

4. *Equis viris*] Omni conatu, manibus pedibúſque, ſubaudi, Cæſari obviam eamus. Tranſlatio à militari certamine, quo contenditur equis viríſque. Inde manavit proverbium. Cùm verò celeritas indicatur, *Equis*, *velis*, dicitur, fugientium ſimilitudine terrâ maríque. Manut.

5. *L. Cæſare filio*] Quem Dio, lib. XLIII. juſſu Cæſaris occultè interemptum oſtendit, quia perpetuò contra ipſum pugnaſſet. Hujus Cæſaris pater fuit L. Cæſar, avunculus M. Antonii. Idem.

6. *Quid hic mihi faciet patri*] Si L. Cæſarem, propinquum ſuum, necavit: quid mihi faciet? Sumpſit ex Andria Terentii. (Act. I. ſc. 1. verſ. 85.) Idem.

7. *Miſſa*] Subaudi, *ſint*: vel *faciamus*. Idem.

8. *Africa*] Ennii verſus. Idem.

9. Ἀποπροηγμένον] De Finib. III. 15.

10. *Quando, quà, quò*] Quando ſit Cæſar venturus, quâ viâ, ad quem locum. Hinc opinor hanc epiſtolam, in qua nihil certi de Cæſaris adventu Cicero ſignificat, ante ſuperiorem proximam ſcriptam eſſe, in qua Cæſaris adventum expectari dicit, & exiturum vel Oſtiæ, vel in Alſienſe. Idem.

11. *Prædium ſuum*] Per jocum Sardiniam vocat Cæſaris prædium: quaſi provinciæ populi R. Cæſaris eſſent prædia. Idem.

Digitized by Google

rius, sed tamen non contemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam: vel jam sciemus: adventat enim Dolabella. [12] Eum puto magistrum fore.

[13] Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Sed tamen, si sciam, quid tu constitueris, meum consilium accommodabo potissimum ad tuum. Quare expecto tuas literas. Vale.

12. *Eum puto magistrum fore*] Is docebit, qua ratione amissam Cæsaris gratiam recuperem, cùm ego eum in arte oratoria docere sim solitus. Sic Manutius. Sed suspicor Ciceronem respicere etiam ad Magistros auctionum, & significare, Dolabellam præstiturum Cæsari operam, qualem præstitit P. Sylla & propinquo suo & Cæsari, quem ait vibrasse *illam cruentam hastam*, II. Off. 8. hoc est, præfuturum auctionibus confiscatorum, & subhastatorum bonorum, quæ inimicorum Cæsaris fuissent. J. F. GRONOVIUS.

13. Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων] *Multi discipuli meliores magistris.* Responsio ad tacitam objectionem. At Cæsar ipse magister est atque auctor, ut omnis hujus mali, sic & proscriptionum; Dolabella Cæsaris discipulus. At (respondet) multi discipuli potiores magistris. IDEM.

CICERO VARRONI.

ETSI munus flagitare, quamvis quis [1] ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego expectatione [2] promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te [3] quatuor admonitores non nimis verecundos. Nosti enim profectò [4] os ejus adolescentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos misi, qui metuo ne te fortè flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent. Expectabam omnino jamdiù, méque sustinebam, ne ad te priùs ipse quid scriberem, quàm aliquid accepissem, ut possem te remunerari quàm simillimo munere. Sed, cùm tu tardiùs faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius, teneri non potui, quin conjunctionem studiorum amorisque nostri, quo possem, literarum genere declararem. 8

ARG. Promiserat Varro Ciceroni se libros dicaturum: Cicero eum promissi admonet, missis quatuor Academicarum quæstionum. *Anno* U. C. 708.

1. *Ostenderit*] Significaverit se daturum. MANUT.

2. *Promissi tui*] Fortasse libros de ling. Lat. significat, quos postea Varro ad Ciceronem misit. IDEM.

3. *Quatuor admonitores*] Quatuor libros Academicos: quorum primus duntaxat extat: reliqui tres desiderantur. IDEM.

4. *Os*] Impudentiam Academiæ novæ. Habent *ejus* principes nostri quatuor editores: *illius*, Grævius. Rectè utrumque abesit.

clararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cùm esset unà Pomponius: tibi dedi partes [5] Antiochinas, quas à te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsi [6] Philonis. Puto fore, ut, cùm legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. Post hæc autem, mi Varro, quàm plurima, si videtur, & [7] de nobis inter nos: serò fortasse: sed [8] superiorum temporum fortuna reipublicæ causam sustineat. [9] Hæc ipsi præstare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis, hæc inter nos studia exercere possemus. Quanquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes honestas nobis & curas & actiones darent: nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? Mihi verò cum his ipsis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coràm, & sæpius. [10] Migrationem & emptionem feliciter evenire volo, tuúmque in ea re consilium probo. Cura ut valeas.

5. *Antiochinas*] Ut ea Varro disputans exponeret, quæ Antiochus Ascalonita, Academicus Philosophus, contra Philonem dixerat, & scripserat. MANUT.

6. *Philonis*] Qui novam Academiam, ex Arcesilæ sententia, quasi meliorem vetere tuebatur. IDEM.

7. *De nobis*] Non de aliis personis, ut jam de Antiocho, Philone. CELLAR.

8. *Superiorum temporum fortuna*] Quòd adhuc cessavimus, condonetur Reip. quæ nos aliò rapuit. J. F. GRON.

9. *Hæc ipsi*] Hæc verò tempora præstare ipsi debemus: nobis horum temporum reddenda ratio est. Otium enim habemus. MAN. Lego: *hanc ipsi* &c. scilicet horum temporum causam. Nunc sublatus est iste Reip. obtentus: & si peccemus, non possumus delegare culpam, sed ipsi eâ tenemur. GRONOV.

10. *Migrationem*] In domum nuper emptam. MANUT.

De hac epistola, vide *Att.* XIII. 25.

DOLABELLA CICERONI S. D.

9 *SI vales, gaudeo: & ipse valeo, & Tullia nostra rectè valet. Terentia minùs bellè habuit: sed certum scio jam convaluisse eam. Præterea rectissimè sunt apud te omnia. Etsi nullo tempore in suspicionem tibi debui venire, partium causâ potiùs, quàm tuâ, tibi suadere, ut te aut cum Cæsare nobiscúmque conjungeres, aut certè in otium referres: præcipuè nunc jam inclinatâ victoriâ,*

ARG. Dolabella socero suo suadet, ut se vel cum Cæsare conjungat, vel in otium se referat; quod idem Cælius suaserat lib. VIII. epist. 16. *Anno* U. C. 705.

Digitized by Google

gloriâ, ne possum quidem in ullam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tibi suadere videar, quod piè tacere non possum. Tu autem, mi Cicero, sic hæc accipies, ut, sive probabuntur tibi, sive non probabuntur, ab optimo certè animo ac deditissimo tibi & cogitata, & scripta esse judices. Animadvertis, Cn. Pompeium nec nominis sui, nec rerum gestarum gloriâ, neque etiam regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebrò solebat, esse tutum: & hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non posse contingere, ut honestè effugere possit, pulso Italiâ, amissis Hispaniis, capto exercitu [1] *veterano,* [2] *circumvallato nunc denique: quod* [3] *nescio an ulli unquam nostro acciderit imperatori. Quamobrem, quid aut ille sperare possit, aut tu, animum adverte pro tua prudentia. Sic enim facillimè quod tibi utilissimum erit consilii capies. Illud autem* [4] *à te peto, ut, si jam ille evitaverit hoc periculum, & se abdiderit in classem, tuis rebus consulas: & aliquando tibi potiùs, quàm cuivis, sis amicus. Satisfactum est jam à te vel officio, vel familiaritati: satisfactum etiam partibus, & ei reipublicæ quam tu probabas. Reliquum est, ubi nunc est respublica, ibi simus potiùs, quàm, dum illam veterem sequimur, simus in nulla. Quare velim, mi jucundissime Cicero, si fortè Pompeius pulsus his quoque locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te vel Athenas, vel in quamvis quietam recipias civitatem. Quod si eris facturus, velim mihi scribas, ut ego, si ullo modo potero, ad te advolem. Quæcunque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, quâ est humanitate Cæsar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuæ quoque fidei & humanitatis curare, ut is tabellarius, quem ad te misi, reverti possit ad me, & à te mihi literas referat. Vale.*

1. *Veterano*] Legimus in Suetonio, dixisse Cæsarem, cùm iret adversùs Pompeii legatos in Hispaniam, ire se ad exercitum sine duce, & inde reversurum ad ducem sine exercitu. Quod res ipsa comprobavit. Collectitio enim exercitu Pompeius in Pharsalia dimicavit. MANUTIUS.

2. *Circumvallato*] Ad Dyrrachium. IDEM.

3. *Nescio, an*] Pro, *fortasse*, usurpat sæpe Cicero, *Nescio*, vel, *Haud scio*, majore quadam elegantia, ut infrà, epist. 14. *Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini.* Et epist. 15. *Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum.* Et de Orat. lib. II. *Videtisne, quantum munus sit oratoris historia, haud scio an flumine orationis & varietate maximum.* Ibidem: *Magnum quoddam opus est, atque haud scio, an de humanis operibus longè maximum.* IDEM.

4. *A te*] Vict. Grut. omittunt *à*.

M. CICERO P. DOLABELLÆ S. D.

10 NON sum ausus Salvio nostro nihil ad te literarum dare: nec mehercule habebam, quid scriberem, nisi te à me mirabiliter amari; de quo, etiam nihil scribente me, te non dubitare certò scio. Omnino mihi magis literæ sunt expectandæ à te, quàm à me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare: nisi fortè scire vis, me inter [1] Niciam nostrum & Vidium judicem esse. Profert [2] alter (ut opinor) duobus versiculis expensum Niciæ: [3] alter Aristarchus hos [4] ὀβελίζει. Ego, tanquam criticus antiquus, judicaturus sum, utrum sint [5] τοῦ ποιητοῦ, an [6] παρεμβεβλημένοι. Puto nunc dicere: [7] Oblitúsne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & ingentium [8] culinarum cum Sophia [9] Septimiæ? Quid ergo? tu adeò mihi excussam severitatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiæ pristinæ frontis appareant? Sed tamen suavissimum [10] συμβιώτην nostrum præstabo integellum; [11] nec committam, ut, si ego eum condemnaro, tu restituas, [12] ne habeat Bursa Plancus

ARG. Inter Niciam & Vidium judex in causa, ut videtur, pecuniaria, constitutus, quòd grammaticus Nicia erat, per jocum ad grammaticos adludit: etiam de P. Syllæ morte jocosè scribit. *Anno* U. C. 708.

1. *Niciam*] Hic est Curtius Nicias grammaticus, de quo Suetonius in libro de Grammaticis. Familiaris Dolabellæ fuit. Epist. ult. lib. XIII. ad Att. MANUTIUS.

2. *Alter*] Vidius à Nicia petit nummos quos eum sibi debere dicit, quos in Kalendario suo, vel tabulis expensi ei credidisse scriptum profert. *Expensum ferre alicui* est imputare alicui, erogatum alicui testari, scribere, dicere. *Duobus versiculis* est duobus titulis vel nominibus. J. F. GRONOV.

3. *Alter Aristarchus*] Ut Aristarchus olim, quos Homeri non esse versus arbitrabatur, obelisco notabat, ut inducerentur tanquam nothi: sic Nicias versiculos illos, expensam sibi pecuniam indicantes, non agnoscebat, fictósque à Vidio dicebat. MANUT.

4. Ὀβελίζει] Veru notat. IDEM.

5. Τοῦ ποιητοῦ] Poetæ, Homeri. Jocum Cicero quæsivit in similitudine. Nam quia, *Versiculis*, dixerat, & mox, *Aristarchus*; ideò poetam nominavit; cùm Vidium ipsum significet, qui versiculos illos scripserat. IDEM.

6. Παρεμβεβλημένοι] Interjecti: sic à Vidio ficti, ut in Homeri poemate interjecti à nescio quo versus aliquot erant, de quibus Aristarchus judicavit. IDEM.

7. *Oblitúsne es*] Quasi propter convictum damnare non possit. CELLAR.

8. *Culinarum*] Alii *cochlearum* volunt. Alii aliud. J. F. Gronovius, *squillarum*.

9. *Septimiæ*] Subaudi, filia.

10. Συμβιώτην] Convictorem nostrum non sinam jacturam facere: significat, si pronunciaturus sit, *debere videri*: se pro eo pecuniam numeraturum. J. F. GRONOV.

11. *Nec committam*] Nec dabo tibi occasionem, si damnatus fuerit, per Cæsarem eum restituendi in integrum. Tacitè reprehendit multa judicia à Cæsare rescissa, & restitutos exules. IDEM.

12. *Ne habeat Bursa*] Ne ille tuo hoc beneficio devinctus Planco vestro Bursæ se dedere

cus apud quem literas discat. Sed quid ago? cùm mihi sit incertum, tranquillóne sis animo, an, ut in bello, in aliqua majuscula cura negotióve versere. Labor longiùs. Cùm igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. Te tamen hoc scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Syllæ morte, [13] antequàm certum scierit. Nunc quærere desierunt, quomodo perierit. Satis putant se scire, quod sciunt. Ego cæteroqui animo æquo fero: unum vereor, [14] ne hasta Cæsaris refrixerit. Vale.

dere compellatur, & illum barbarum literarum elementis imbuere. Nam & hic fuerat inimicus Ciceronis, & cùm melioribus temporibus damnatus esset, à Cæsare civitatem receperat. MANUT.

13. *Antequam*] Verebatur enim, ne falsum esset, quod esse verum cupiebat; quia P. Sylla, quòd & antea dictatore propinquo suo L. Sylla, & postea Cæsare, proscriptorum civium bona emere consueverat, populo in primis odio erat. MANUT.

14. *Ne hasta Cæsaris refrixerit*] Eundem etiam jocum movet iisdem penè verbis in eadem persona, lib. XV. ep. 17.

CICERO DOLABELLÆ.

VEL meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quàm eo casu, quo sum graviffimè afflictus: quem ferrem certè moderatiùs, si te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis, multùm levaret. Sed cùm brevi tempore, ut opinio nostra est, te sum visurus, ita me affectum offendes, ut multùm à te possim juvari: non quò ita sim fractus, ut aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamen hilaritas illa nostra, & suavitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis est. Firmitatem tamen, & constantiam, si modò fuit aliquando in nobis, eandem cognosces, quam reliquisti. Quod scribis prælia te meâ causâ sustinere, non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, à te refutentur, quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari. Quòd ut facias, te etiam atque etiam rogo, ignoscásque brevitati literarum mearum. Nam & celeriter unà futuros nos arbitror, & nondum satis confirmatus sum ad scribendum. 11

ARG. Tulliolæ mortem, Dolabellæ, etiam post divortium, significat; suos obtrectatores à Dolabella refutari vult, ab eodémque se amari. *Anno* U. C. 708.

Digitized by Google

CICERO DOLABELLÆ.

12 GRatulor Baiis nostris, si quidem, ut scribis, salubres repentè factæ sunt: nisi fortè te amant, & tibi assentantur, & tamdiu, dum tu ades, sunt oblitæ sui. Quod quidem si ita est, minimè miror, cælum etiam & terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, habebam mecum; quod non putaram. Itaque eam tibi misi. Quam velim sic legas, ut causam tenuem & inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed ego hospiti veteri & amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cujusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti, fortíque sis: ut tua moderatio & gravitas [1] aliorum infamet injuriam. Vale.

ARG. Dolabellæ gratulatur de Baiarum salubritate, & orationem pro Dejotaro mittit. *Anno* U. C. 708.

1. *Aliorum*] Cæsarianorum.

CICERO DOLABELLÆ S.

13 CAius Suberinus Calenus, & meus est familiaris, & Leptæ nostri familiarissimi pernecessarius. Is cùm vitandi belli causâ profectus esset in Hispaniam cum [1] M. Varrone ante bellum, ut in ea provincia esset, in qua nemo nostrûm, post Afranium superatum, bellum ullum fore putarat: incidit in ea ipsa mala, quæ summo studio vitaverat. Oppressus est enim bello repentino: quod bellum, commotum à Scapula, ita postea confirmatum est à Pompeio, ut nullâ ratione se ab illa miseria eripere posset. Eadem causa ferè est M. Planii [2] Heredis, [3] qui est

ARG. Rogat ut Suberino & Planio reditum in patriam à Cæsare impetret, eósque ita excusat, ut ostendat, casu quodam & necessitate coactos Pompeii partes in Hispania secutos esse. *Anno* U. C. 708.

1. *M. Varrone*] Legato Pompeii in Hispania cum Afranio & Petreio. MANUT.

2. *Heredis*] Non dubito, quin sit hoc Planii cognomen. Itaque scripsi primâ literâ majusculâ. IDEM.

3. *Qui est item Calenus*] Hæc planè insulsa sunt, & nullius sensûs. Rescripsi ex Hittorpiano: *qui est item ut Calenus.* Non malè etiam sext. Pal. *qui est item uti Calenus Leptæ nostri familiarissimus.* GRÆVIUS. Omnino aliud, opinor, agebat vir doctissimus: nam *Calenus* non est hîc nomen hominis, sed loci. *Qui est item Calenus*, hoc est, qui est

est item Calenus, Leptæ nostri familiarissimus. Hosce igitur ambo tibi sic commendo, ut majore curâ, studio, sollicitudine animi commendare non possim. Volo ipsorum causâ: méque in eo vehementer & amicitia movet, & humanitas. Lepta verò cùm ita laboret, ut ejus fortunæ videantur in discrimen venire; non possum ego, non aut proximè atque ille, aut etiam æquè laborare. Quapropter, etsi sæpe expertus sum, quantùm me amares, tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maximè judicaturum. Peto igitur à te, vel, si pateris, oro, ut homines miseros, & fortunâ, quam vitare nemo potest, magis quàm culpâ calamitosos, conserves incolumes: velísque per te, me hoc muneris cùm ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quo-cum mihi magna necessitudo est, tum Leptæ, [4] quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere. Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix [5] equestris. Quapropter cùm his Cæsar vitam suâ liberalitate concessit, nec est quod iis præterea magnopere possit adimi: reditum, si me tantùm amas, quantùm certè amas, hominibus confice. In quo nihil est præter viam longam: quam idcircò non fugiunt, ut & vivant cum suis, & moriantur domi. Quod ut enitare, contendásque, vel potiùs ut perficias (posse enim te, mihi persuasi) vehementer te etiam atque etiam rogo.

est æquè Calenus, sive ex municipio Caleno, ac Suberinus ille, de quo suprà. OLIVETUS.

4. *Quem omnibus antepono*] Non omnibus planè hominibus, (non enim Leptæ tantum tribueret) sed omnibus Calenis. Nam & Lepta ex eodem erat municipio. MAN.

5. *Equestris*] Quadraginta millia sestertiûm.

CICERO DOLABELLÆ CONSULI S.

ETSI contentus eram, mi Dolabella, tuâ gloriâ, satísque ex ea magnam lætitiam voluptatémque capiebam; tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgò hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem 14

ARG. Laudat Dolabellam, quòd columnam, quasi aram mortuo Cæsari, ut deo, erectam, everterit, & animadversione in eos qui contra libertatem tumultuabantur, usus fuerit. Scripta paulo post necem Cæsaris. *Anno* U. C. 709.

Digitized by Google

minem conveni (convenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causâ [1] in hæc loca veniant; præterea ex municipiis frequentes necessarii mei) quin omnes, cùm te [2] summis laudibus ad cælum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu, meis præceptis, & consiliis obtemperans, præstantissimum te civem & singularem [3] consulem præbeas. Quibus ego quanquam verissimè possim respondere, te, quæ facias, tuo judicio & tuâ sponte facere, nec cujusquam egere consilio: tamen neque planè assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis à meis consiliis profecta videatur: neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quàm satis est, gloriæ. Et tamen non alienum dignitate tuâ, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiendis Nestorem: mihi verò gloriosum, te juvenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ. [4] L. quidem Cæsar, cùm ad eum ægrotum Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antequam me planè salutavit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantùm vales apud Dolabellam, quantùm, si ego apud [5] sororis filium valerem, jam salvi esse possemus. Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem post te consulem, solum possumus verè consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil reipublicæ salutarius. Atque hæc una vox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatem alienæ gloriæ sinas cernere: méque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quanquam, mi Dolabella, (hæc enim jocatus sum) libentiùs omnes meas, si modò sunt aliquæ meæ, lau-

---

1. *In hæc loca*] Baias. Epist. 10. Man.

2. *Summis laudibus*] Ob eversam columnam & aram. Epist. 2. lib. XI. & 1. lib. XII. & ad Att. epist. 15. 16. 19. lib. XIV. Idem.

3. *Consulem*] Interfecto Cæsare, Dolabella cum fascibus tanquam consul in forum venit. Nam eum sibi Cæsar, iturus ad bellum Parthicum, suffecerat. Idem.

4. *L. Cæsar*] Juliæ, M. Antonii matris, frater: avunculus igitur Antonii. Hunc Antonius, oppressâ rursus post obitum Cæsaris rep. necandum Octavio tradidit; Octavius ei Ciceronem. Sed cùm ad eum interficiendum milites ab Octavio missi venissent, confugit ad Juliam sororem: quæ fratrem, objecto percussoribus corpore, clamans Antonii matrem unà cum fratre necandam, incolumem servavit. Idem.

5. *Sororis filium*] M. Antonium, Dolabellæ collegam in consulatu. Idem.

Digitized by Google

laudes ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauſerim ex tuis. Nam, cùm te ſemper tantùm dilexerim, quantùm tu intelligere potuiſti: tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil eſt enim (mihi crede) virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi (ut ſcis) M. Brutum, propter ejus ſummum ingenium, ſuaviſſimos mores, ſingularem probitatem, atque conſtantiam: tamen idibus Martiis tantum acceſſit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantùm acceſſit, ut mihi nunc denique [6] amare videar, antea dilexiſſe. Quare quid eſt quòd ego te horter, ut dignitati & gloriæ ſervias? Proponam tibi claros viros, quod facere ſolent qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm teipſum. Te imitere oportet: tecum ipſe certes. Ne licet quidem tibi jam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. Quod cùm ita ſit, hortatio non eſt neceſſaria: gratulatione magis utendum eſt. Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini, ut ſumma ſeveritas animadverſionis non modò non invidioſa, ſed etiam popularis eſſet, & cùm bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſima. Hoc ſi tibi fortunâ quâdam contigiſſet, gratularer felicitati tuæ: ſed contigit magnitudine cùm animi, tum etiam ingenii, atque conſilii. Legi enim concionem tuam: nihil illâ ſapientius. Ita pedetentim & gradatim tum [7] acceſſus à te ad cauſam facti, tum receſſus, ut res ipſa [8] maturitatem tibi animadvertendi omnium conceſſu daret. Liberaſti igitur & urbem periculo, & civitatem metu: neque ſolùm ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes in te poſitam eſſe

6. *Amare videar, antea dilexiſſe*] *Diligere* levius eſt, quàm *Amare.* In epiſtola ad M. Brutum: *Clodius valde me diligit, vel, ut* ἐμφατικώτερον, *valde me amat.* Epiſt. 47. lib. XIII. *Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipſe diligis? ſed tamen, ut ſcires eum non à me diligi ſolùm, verùm etiam amari, ob eam rem tibi hæc ſcribo.* Terentius quoque ut diverſa poſuit in Eun. *Act.* 1. *ſc.* 2. *verſ.* 16. MANUT.

7. *Acceſſus à te ad cauſam facti*] Acceſſiſti ad rem narrandam ita pedetentim & gradatim, indéque ita receſſiſti, non ut impetu quodam & temeritate raptus ad animadvertendum videreris, ſed ut ipſa res, à te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animadverſionem, omnium conceſſu. IDEM.

8. *Maturitatem animadvertendi*] In eos, qui columnam erexerant. IDEM.

ſe rempublicam, tibíque non modò tuendos, ſed etiam ornandos eſſe illos viros, à quibus initium libertatis profectum eſt. Sed his de rebus coràm plura propediem, ut ſpero. Tu, quoniam rempublicam, nóſque conſervas, fac ut diligentiſſimè te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias.

CICERO PÆTO S.

15 DUABUS tuis epiſtolis reſpondebo: uni, quam triduo antè acceperam à Zetho; alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi, pergratam [1] tibi eſſe curam meam valetudinis tuæ: quam tibi perſpectam eſſe gaudeo. Sed, mihi crede, non perinde, ut eſt reapſe, ex literis perſpicere potuiſti. Nam cùm à ſatis multis (non enim poſſum aliter dicere) & coli me videam, & diligi; nemo eſt illorum omnium mihi te jucundior. Nam quòd me amas, quòd id & jampridem & conſtanter facis, eſt id quidem magnum, atque haud ſcio an maximum: ſed tibi commune cum multis. Quòd tu ipſe tam amandus es, támque dulcis, támque in omni genere jucundus, id eſt propriè tuum. Accedunt non Attici, ſed ſalſiores quàm illi Atticorum, Romani veteres atque urbani ſales. Ego autem (exiſtimes licet quod lubet) mirificè capior facetiis, maximè noſtratibus, præſertim cùm eas videam primùm [2] oblitas Latio tum, cùm in urbem noſtram eſt infuſa [3] peregrinitas, nunc verò etiam [4] braccatis & tranſalpinis nationibus, ut

ARG. Duabus epiſtolis reſpondet; priori, de valetudine, & illius in ſe amore, ac jucunditate: alteri, nihil referre, utrùm Romæ ſit, an Neapoli, cùm Romæ unius nutu regantur omnia. Scripta paulo ante, quàm Cæſar ad Hiſpanienſe bellum exiret. *Anno* U. C. 707.

1. *Tibi eſſe curam*] Ita eſſe in ſuis libris teſtantur Manutius & Corradus: non video igitur, quare Gruterus & Grævius hîc lacunam cum Victorio agnoſcere maluerint. OLIVETUS.

2. *Oblitas*] Inquinatas ac maculatas Latinorum municipum ſermone atque formulis. Ab *oblinor*. CELLAR. Videtur J. F. Gronovius deducere illud ab *oblivifci*. Deſiiſſe, inquit, Latium noſtrum. Suprà lib. VII. epiſt. 31. *Exaruiſſe jam veterem urbanitatem.* Non ita bene. OLIVETUS.

3. *Peregrinitas*] Cùm Latinis data civitas eſt: quorum conſuetudo Romanum ſermonem infuſcavit. *Peregrini* autem ab initio Latini Romæ vocabantur. MANUT.

4. *Braccatis & tranſalpinis nationibus*] Gallia Braccata, quæ cis Alpes fuit, dicebatur provincia Narbonenſis, à genere veſtimenti: Comata

Digitized by Google

aut nullum veteris lepôris vestigium appareat. Itaque te cùm video, omnes mihi [5] Granios, omnes Lucilios, (verè ut dicam) Crassos quoque, & Lælios videre videor. Moriar, si præter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ & vernaculæ festivitatis agnoscere. Ad hos lepôres cùm amor erga me tantus accedat, miraris, me tantâ perturbatione valetudinis tuæ tam graviter exanimatum fuisse? Quod autem alterâ epistolâ purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem commorationis urbanæ; neque ego aliter accepi. Intellexi tamen idem, quod his intelligo literis, non existimasse te mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omninò quidem, sed magnam partem relinquere. [6] Catulum mihi narras, & illa tempora. Quid simile? Ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutiùs abesse ab reipublicæ custodia. Sedebamus enim in puppi, & clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. [7] An minùs multa senatus-consulta futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cùm sum, & urgeo forum, senatus-consulta scribuntur [8] apud amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem, [9] cùm in mentem venit, ponor ad scribendum: & antè audio senatus-consultum in Armeniam & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quàm omninò mentionem ullam de ea re esse factam. Atque hoc nolim me jocari putes. Nam mihi scito jam à regibus ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quòd se meâ sententiâ reges appellaverim: quos ego non modò reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est?

 tamen

Comata verò, quæ Romanis antequàm à C. Cæsare superaretur, non paruit, dicta à comis alendis. Hîc Cicero jocatur, non sine stomacho, in Cæsarem, qui Gallis quibusdam, non modò cisalpinis, verùm etiam transalpinis civitatem dederat: ex quibus nonnullos etiam in senatum recepit. IDEM.

5. *Granios*] De Granio præcone, lib. II. de Orat. cap. 60. & in Bruto, cap. 43.

6. *Catulum*] Q. Catulum, ejus filium, qui cum C. Mario consul fuit. *Mihi narras*: Ais ab reip. custodia nunquam discessisse. MANUT.

7. *An minùs multa S. C.*] Abesse mihi licet nullo reip. damno. Non enim, si ego Romæ non sim, ideò minùs multa Senatus-consulta fient. IDEM.

8. *Apud amatorem tuum*] Quæ scribi solebant in curia. Amatorem Pæti Cæsarem vocat; apud quem auctoritate & gratiâ plurimum valebat Pætus. IDEM.

9. *Cùm in mentem venit, ponor ad scribendum*] Ubi lubuit, ubi fert animus, præscribitur S. C. meum nomen, quasi scribendo adfuerim, etiamsi haudquaquam præstò fuerim. J. F. GRONOV.

Digitized by Google

tamen quamdiu hîc erit noster hic [10] præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ. Cùm verò aberit, ad fungos me tuos conferam. [11] Domum si habebo, [12] in denos dies, singulos sumptuariæ legis dies conferam. Sin autem minùs invenero, quod placeat, decrevi habitare apud te. Scio enim me nihil tibi gratius facere posse. Domum Syllanam desperabam jam, ut tibi proximè scripsi: sed tamen [13] non abjeci. Tu velim, ut scribis, cum fabris eam perspicias. Si enim nihil est in parietibus aut in tecto vitii, cætera mihi probabuntur. Vale.

10. *Præfectus*] Cæsar, quem senatus moribus in triennium præfecerat. Dio, lib. XLIII. MANUT.

11. *Domum si habebo*] Neapoli.

12. *In denos dies*] Quem sumptum in singulos dies præscribit sumptuaria lex, eum in decem dies distribuam. Tulit eam legem Cæsar post bellum Africanum. Vide *Fam.* VII. 26. *Att.* XIII. 7. MANUT.

13. *Non abjeci*] Adhuc spero. Epist. 1. lib. XIII. *Te abjecisse illam ædificationem, constabat inter omnes.* IDEM.

CICERO PAPIRIO PÆTO S.

16 DELECTARUNT me tuæ literæ: in quibus primùm amavi amorem tuum, qui te ad scribendum incitavit, verentem, ne Silius [1] suo nuntio aliquid mihi sollicitudinis attulisset: de quo & tu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo, facilè ut intelligerem te esse commotum: & ego tibi accuratè rescripseram, ut, quoquo modo, in tali re atque tempore aut liberarem te istâ curâ, aut certè levarem. Sed, cùm proximis quoque literis ostendis, quantæ tibi curæ sit ea res, sic, mi Pæte, habeto: quidquid arte fieri potuerit (non enim jam satis est consilio pugnare: artificium quoddam excogitandum est) sed tamen quidquid elaborari aut effici potuerit ad istorum benevolentiam conciliandam, & colligendam, summo studio me consecutum esse: nec frustrà, ut arbitror. Sic enim color, sic observor ab omnibus his, qui à Cæsare diliguntur ut ab his me amari putem. Nam etsi non facilè dijudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut, quasi

ARG. Ostendit nihil à se prætermissum in Cæsarianorum concilianda sibi benevolentia; nec boni civis aut sapientis hominis officium in se desiderari posse: tandem ad Pæti jocationes respondet. *Anno* U. C. 707.

1. *Suo nuntio*] Videtur nuntiasse, ut epistola colligitur, Cæsarem salibus Ciceronis esse offensum. MANUT.

Digitized by Google

quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit: cætera sunt signa communia: sed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo veréque arbitrer diligi; quia & [2] nostra fortuna ea est, & illorum, ut simulandi causa non sit. De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video quod timeam: nisi quòd omnia sunt incerta, cùm à jure discessum est: nec præstari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen ejus ipsius nullâ re à me offensus est animus. Est enim adhibita in ea re ipsâ summa à nobis moderatio. Ut enim olim arbitrabar esse meum liberè loqui, cujus operâ esset in civitate libertas: sic, eâ nunc amissâ, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem. Effugere autem si velim nonnullorum acutè, aut facetè dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abjicienda. Quòd si id possem, non recusarem. Sed tamen ipse Cæsar habet peracre judicium: &, ut Servius, frater tuus, quem literatissimum fuisse judico, facilè diceret, hic versus Plauti non est, hic est, quòd tritas aures haberet notandis generibus poëtarum, & consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, cùm volumina jam confecerit [3] ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, rejicere solere: quod eò nunc magis facit, quia vivunt mecum ferè quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quæ fortasse illis, cùm dixi, nec illiterata, nec insulsa esse videantur. Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipse mandavit. Sic fit, ut, si quid præterea de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem [4] Oenomao tuo nihil utor: etsi [5] posuisti loco versus Accianos. Sed quæ est invidia? aut quid mihi nunc invideri potest? Verùm [6] fac esse omnia. Sic video philosophis placuisse iis, qui mihi soli videntur vim virtutis tenere, Nihil esse sapientis præstare,

 nisi

2. *Nostra fortuna*] Humilis & abjecta. *Illorum:* Florentissima: cùm sit penes Cæsarem potestas omnis. MANUT.

3. Ἀποφθεγμάτων] Salsè dictorum à multis. Hunc librum, *Dicta collectanea*, Suetonius vocat. IDEM.

4. *Oenomao tuo*] Attii tragœdia. Versus à Papirio recitati, vitandam invidiam, admonebant. IDEM.

5. *Posuisti loco*] Opportunè eorum exemplum attulisti. *Loco*, aut *in loco*, est, non alieno tempore. IDEM.

6. *Fac esse omnia*] Esto, ut invideatur mihi, licet invidendi causa nulla sit. IDEM.

nisi culpam: quâ mihi videor dupliciter carere: & quòd ea senserim, quae rectissima fuerunt: & quia, cùm viderem praesidii non satis esse ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Ergo in officio boni civis certè non sum reprehendendus. Reliquum est, ne quid stultè, ne quid temerè dicam, aut faciam contra potentes: id quoque puto esse sapientis. Caetera verò, quid quisque me dixisse dicat, aut quomodo ille accipiat, aut quâ fide mecum vivant ii, qui me assiduè colunt & observant, praestare non possum. Ita fit, ut & consiliorum superiorum conscientiâ, & praesentis temporis moderatione me consoler, & illam Accii similitudinem non modò jam ad invidiam, sed ad fortunam transferam: quam existimo levem & imbecillam, ab animo firmo & gravi, tanquam fluctum à saxo, frangi oportere. Etenim, cùm plena sint monumenta Graecorum, quemadmodum sapientissimi viri regna tulerint vel Athenis, vel Syracusis, cùm, servientibus suis civitatibus, fuerint ipsi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum statum sic posse, ut neque offendam animum cujusquam,

---

7. *Atellanum*] Papirius in epistola sua, post eos versus, quos ex Attii Oenomao recitaverat, Ciceronem irriserat, non modestè, ut solebant olim Atellanarum actores, sed liberiùs, ut actores mimorum. Multis modis enim fabula mimus ab Atellana differebat: quòd parum modestè dicax; quipe quae dicta sit, ut ait Donatus in Terentii vita, ab imitatione diuturna vilium rerum, & levium personarum; itaque Macrobius lib. III. Saturn. mimis lasciviam tribuit: quòd Romanâ linguâ, non Oscâ, ut Atellana: quòd ab uno tantum agebatur: quòd exodiis carebat: neque enim in quinque actus, ut Atellana, & reliquae fabulae, quibus actibus inserebantur ad animos recreandos exodia, dividebatur, sed perpetuam actionem habebat: postremò, ut arbitror, quòd neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquae fabulae, agebatur. Rectè igitur mimum, non Atellanum, id est, Atellanae fabulae histrionem, Paetus induxisse dicitur: quia dictis acutioribus, quàm quae inseri olim Atellanis solita fuerant, in Ciceronem jocaretur. MANUT.

8. *Popilium*] Volunt piscem esse, qui Plinio dicitur *pompilus*, lib. IX. cap. 29. Nisi mavis hîc *polypum*, ut infrà.

9. *Denarium*] Eandem hanc vocem invenies in tertia ab hac epistola, quo loco edulium quoddam significare videtur, quod magni apud me momenti fuit, ne quid hic temerè mutaremus, *Neque ollam*, inquit, *denariorum implere*. Nam quamvis thesaurus in ollis à senibus maximè condi soleat, unde argumentum & titulum suae comoediae Plautus accepit: arbitror tamen argutiorem quempiam esse sensum horum verborum, voluissèque Ciceronem hoc loco ludere, & materiam joci ex ambiguitate illius dictionis traxisse: quod tamen non affirmo: nec enim ullo testimonio aliorum auctorum confirmare possum. Id autem quod suspicati sumus non ineptè, ut puto, consideratis diligenter ambobus his locis notum facere voluimus. Quod si recipitur, probatúrque edulium illic significare, non video cur hîc quoque idem significare non possit, neque cur hinc vocem hanc delere tentent, cùm illic eam manere sinant: eandem

quam, nec frangam dignitatem meam? Nunc venio ad jocationes tuas, cùm tu secundùm Oenomaum Accii, non, ut olim solebat, [7] Atellanum, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti. Quem tu mihi [8] Popilium, quem [9] denarium narras? quam [10] tyrotarichi patinam? Facilitate meâ ista ferebantur antea, nunc mutata res est. Hirtium ego, & Dolabellam [11] dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse (si fortè ad vos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare. Tu autem [12] quòd mihi bonam copiam ejures, nihil est. Tum enim cùm rem habebas, [13] quæsticulis te faciebam attentiorem: nunc, cùm tam æquo animo [14] bona perdas, non eo sis consilio, ut, cùm me hospitio recipias, æstimationem te aliquam putes accipere. Etiam hæc [15] levior est plaga est amico, quàm à debitore. Nec tamen eas cœnas quæro, ut magnæ reliquiæ fiant: quod erit, magnificum sit & lautum. Memini te mihi [16] Phameæ cœnam narrare. [17] Temperiùs fiat: cætera eodem modo. Quòd si perseveras me ad matris tuæ cœnam [18] revocare, feram id quoque. Volo enim videre animum, qui mihi

dem enim ejus utroque loco rationem esse puto. Eruditiores hoc diligentiùs considerare poterunt, quorum ego judicio semper libenter acquiescam. Satis hîc nobis fuit consilii nostri rationem ostendere, quòd non ut cuncti ferè alii fecerunt, dictionem hanc delere voluimus. VICTOR. Quasi intelligi non possit *denarius*, quo se *polypum* empturum scripsisset Pætus, quem Cicero, ut pretium minimum, se fingat spernere. CORRAD.

10. *Tyrotarichi*] Edulii genus ex caseo & salsamentis confectum: nam τυρὸς, caseus, τάριχος salsamentum.

11. *Dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros*] Ego eos erudio in Rhetoricis, præcepta eloquentiæ eis trado, sed apud eos cœno. *Magistri* enim, *Reges*, *Domini* dicebantur splendidi convivatores, qui amicos frequenter excipiebant conviviis. Ut pridem notavit Lipsius III. Antiq. lect. GRÆV.

12. *Quòd mihi bonam copiam ejures*] Pro, quòd jures mihi te non habere unde sumptum facias. MANUT.

13. *Quæsticulis*] Lucellis. Dandi casu potiùs, quàm auferendi, opinor dictum: ut sit, *Attentiorem, vel ad minimos quæstus.* IDEM.

14. *Bona perdas*] Per legem Cæsaris, qui decrevit, ut creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quisque ante civile bellum comparassent: deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Sueton. Jul. 42. J. F. GRONOV.

15. *Levior est plaga ab amico, quàm à debitore*] Hoc est, & tamen, quòd ab amico bona tua comedantur, non id tibi æquè grave esse debet, atque illud est, quod debitorum causâ deperdis. MANUT.

16. *Phameæ*] Qui fuit avus Tigellii tibicinis. Epist. 24. lib. VII. IDEM.

17. *Temperiùs*] Maturiùs. Refero enim ad tempus, non ad frugalitatem. IDEM.

18. *Revocare*] Amstelodamensis codex sic totum hunc locum legit & distinguit: *Quòd si perseveras, me ad matris tuæ cœnam revoca. Referam id quoque.* Mihi sanè Cicero sic videtur scripsisse: *Quòd si perseveras, me ad matris tuæ cœnam revoca. Feram id quoque.* Quòd si perseveras, inquit, bonam copiam

Digitized by Google

hi audeat ista, quæ scribis, apponere, aut etiam [19] polypum [20] Miniani Jovis similem. Mihi crede: non audebis. Ante meum adventum fama ad te de mea nova lautitia veniet: eam extimesces. Neque est, quòd [21] in promulside spei ponas aliquid: quam totam sustuli. Solebam enim antea delectari oleis, & [22] lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modò [23] istò venire. Tu verò (volo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. Ego tibi unum sumptum afferam, quòd balneum calfacias oportebit: cætera more nostro; superiora illa lusimus. [24] De villa Seliciana & curasti diligenter, & scripsisti facetissimè. Itaque puto me prætermissurum. [25] Salis enim satis est, sannionum parum. Vale.

copiam ejurare, nec te ferendis esse sumptibus tam lautæ & magnificæ cœnæ asseveras, invita me iterùm, ut solebas antea, ad parcam & frugalem cœnulam tuæ matris, quæ diligens & attenta mater familias est: id etiam feram æquo animo. Græv.

19. *Polypum*] Piscem, ita vocatum, à multitudine pedum, non magni pretii. Plinius, lib. IX. 29. Manut.

20. *Miniani Jovis similem*] Rubro jure tinctum. Jovis simulacri faciem in Capitolio illini minio solitam, ait Plinius lib. XXXIII. cap. 7. & lib. XXXV. cap. 12. inde Miniano cognomen. Idem.

21. *In promulside*] In antecœna. *Promulsis* est gustatio, vel gustus, quod & *antecœnium* dicebatur & *antecœna*, sic dicta quia veteres initio cœnæ ferè *mulsum* apponebant, & ea cœna dabatur ante mulsum. Vide Lips. III. antiq. Lect. Græveus.

22. *Lucanicis*] Notum genus suilli farciminis, à Lucanis populis inventum. Manut.

23. *Istò*] Neapolim, ubi tu es. Idem.

24. *De Villa Seliciana*] Domum Syllanam in urbe Neapoli, (epist. 15.) villam Selicianam in agro Cicero emere cogitabat. Idem.

25. *Salis*] Papirius dixerat, villam hanc, in litore positam, salinas habere. *Salis*, inquit Cic. *satis est*: sed ridendi causas adversa reip. tempora eripiunt. Idem.

Ciceeo L. Papirio Pæto S.

17 Non tu homo ridiculus es, qui, cùm Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras, quid de istis municipiis & agris futurum putem? quasi aut ego quidquam sciam, quod iste nesciat; aut, si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. Immò verò, si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit. Habuisti enim in tua potestate, ex quo vel ex sobrio, vel certè ex ebrio scire posses. Sed ego ista, mi Pæte, non quæro: primùm, quia de lucro propè jam quadriennium vivimus,

Arg. Cæsar militibus agros divisurus dicebatur. Metuenti Pæto, ne divisio ad suos agros perveniat, idque quærenti, Cicero respondet. *Anno* U. C. 707.

Digitized by Google

mus, ſi aut hoc lucrum eſt, aut hæc vita, ſuperſtitem reipublicæ vivere: deinde, quòd ſcire quoque mihi videor quid futurum ſit. Fiet enim quodcunque volent, qui valebunt: valebunt autem ſemper arma. Satis igitur nobis eſſe debet quidquid conceditur. Hoc ſi quis pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum, & Capenatem metiuntur. Hoc non longè abeſt à Tuſculano. Nihil tamen timeo; fruor dum licet, opto ut ſemper liceat. Si id minùs contigerit; tamen, cùm ego vir fortis, idémque philoſophus, vivere pulcherrimum duxi, non poſſum eum non diligere, cujus beneficio id conſecutus ſum. Qui ſi cupiat eſſe rempublicam, qualem fortaſſe & ille vult, & omnes optare debemus; quid faciat, tamen non habet: ita ſe cum multis colligavit. Sed longius progredior: ſcribo enim ad te. Hoc tamen ſcito, non modò me, qui conſiliis non interſum, ſed ne ipſum quidem principem ſcire, quid futurum ſit. Nos enim illi ſervimus, ipſe temporibus. Ita nec ille, quid tempora poſtulatura ſint, nec nos, quid ille cogitet, ſcire poſſumus. Hæc tibi antea non reſcripſi, non quo ceſſator eſſe ſolerem, præſertim in literis; ſed, cùm explorati nihil haberem, nec tibi ſollicitudinem ex dubitatione mea, nec ſpem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen adſcribam, quod eſt veriſſimum, me his temporibus adhuc de iſto periculo nihil audiſſe. Tu tamen pro tua ſapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt. Vale.

CICERO L. PAPIRIO PÆTO S. D.

CUM eſſem otioſus in Tuſculano, propterea quòd [1] diſcipulos obviam miſeram, ut iidem me quàm maximè [2] conciliarent familiari ſuo, accepi tuas literas, pleniſſimas ſuavitatis: ex quibus intellexi probari tibi meum conſilium, quòd, ut Dionyſius tyrannus, cùm Syracuſis pulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe; ſic ego, ſublatis judiciis, amiſſo regno forenſi,

18

ARG. Cauſas exponit, cur ludum quaſi eloquentiæ aperuerit, alióſque declamando exerceret. Addit per jocum de cœnarum apparatu. *Anno* U. C. 707.

1. *Diſcipulos*] Hirtium & Dolabellam.
2. *Conciliarent*] Molliſſimum mihi aditum ad Cæſarem pararent, qui eos habet familiares. J. F. GRONOV.

forensi, ludum quasi habere cœperim. Quid quæris? me quoque delectat consilium: multa enim consequor. Primùm, id quod maximè nunc opus est, munio me ad hæc tempora. Id cujusmodi sit nescio: tantùm video nullius adhuc consilia me huic anteponere: nisi fortè mori melius fuit. In lectulo: fateor: sed non accidit. In acie non fui. Cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius, fœdè perierunt. At Cato præclarè. Jam istuc quidem, cùm volemus, licebit: demus modò operam, ne tam necesse nobis sit, quàm illi fuit: id quod agimus. Ergo hoc primum. Sequitur illud: ipse melior fio, primùm valetudine, quam, intermissis exercitationibus, amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an primum putes: plures jam pavones confeci, quàm tu pullos columbinos. Tu istic te [3] Ateriano jure delectato: ego me hîc Hirtiano. Veni igitur, si vir es, & disce jam [4] προλεγομένας, quas quæris: etsi [5] sus Minervam. Sed quando, ut video, [6] æstimationes tuas vendere non potes, neque [7] ollam denariorum implere, Romam tibi remigrandum est. Satius est hîc cruditate, quàm istic fame. Video te bona perdidisse: spero idem istuc familiares tuos. Actum igitur de te est, nisi provides. Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quando cantherium comedisti, Romam pervehi. [8] Sella tibi erit in ludo, tanquam [9] hypodidascalo, proxima. Eam pulvinus sequetur. Vale.

CICE-

3. *Ateriano jure*] Ludit in voce *ius*, quod & liquidum cibi & leges significat. Videtur Aterium Jurisconsultum penes se habuisse Pætus. J. F. GRONOV.

4. Προλεγομένας] Disce, inquit, è cœnis Hirtianis, quales tuæ futuræ sint. Προλεγομένας vocat, quia, sicut ἐκ τῶν προλεγομένων, quæ præponuntur libris, docemur ea, quæ ad ipsos libros attinent, sic Hirtii cœnæ Papirium, quas cœnas dare deberet, admonere & erudire possent. MANUT.

5. *Sus Minervam*] Usurpatur hoc adagium in eos, qui, cujus rei scientiâ carent, in ea petitissimos conantur erudire. IDEM.

6. *Æstimationes*] Possessiones per æstimationem à debitoribus acceptas. IDEM.

7. *Ollam*] Qualis est Euclionis in Aulularia Plauti. J. F. GRONOV. Fortasse scripserat Pætus, tunc velle se, cùm ollam denariorum, æstimationibus venditis, implevisset, Romam redire. MANUT. Aliter Victorius, suprà, *pag.* 300. *not.* 9.

8. *Sella tibi erit in ludo*] Quem me aperuisse dixeram. J. F. GRONOV.

9. *Hypodidascalo*] Ei, qui subdoceat. MANUTIUS.

Digitized by Google

CICERO L. PAPIRIO PÆTO S. D.

TAMEN à malitia non discedis. Tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. Hoc videris dicere, cùm reges tam sint continentes, multò magis consulares esse oportere. Nescis me ab illo omnia expiscatum: rectà enim à porta domum meam venisse. Neque hoc admiror, quòd non ad tuam potiùs; sed illud, quòd non ad suam. Ego autem primis tribus verbis, Quid noster Pætus? At ille adjurans, Nusquam se unquam libentiùs. Hoc si verbis assecutus es, aures ad te afferam non minùs elegantes: sin autem obsonio, peto à te, ne pluris esse [1] balbos, quàm disertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed, si me expediero, ut [2] in ista loca venire possim, non committam ut te serò à me certiorem factum putes. Vale. 19

ARG. Scripserat Pætus, Balbum tenui apparatu fuisse contentum. Unde jocatur, malitiosè hæc dici, ut se quoque ad continentiam devocaret. *Anno* U. C. 707.

1. *Balbos*] Jocatur in ambiguo Balbi nomine. *Balbi* enim dicuntur, qui linguæ vitio parum expeditè loquuntur. MANUT.

2. *In ista loca*] Neapolim.

CICERO PÆTO.

DUPLICITER delectatus sum tuis literis, & quòd ipse risi, & quòd te intellexi jam posse ridere. Me autem à te ut scurram [1] velitem [2] malis oneratum esse, non molestè tuli. Illud do- 20

ARG. Jocatur pro more, se Epicureum factum dicens, abjectâ reip. curâ, ideóque lautiùs, quàm antea, excipiendum esse. Deinde rationes suæ vitæ & studiorum perscribit. *Anno* U. C. 707.

1. *Velitem*] Velites, genus militum, quod ante justam aciem telis, hastis pugnat, leviter armatum.

2. *Malis*] Misit Pætus Ciceroni poma, quæ & *mala* dicuntur. Hoc verbum ambiguum est, ideóque joco aptum. Sed ut ambiguitas servaretur, adhibendum erat etiam verbum huic rei accommodatum: hinc dixit, *malis me onerasti*, pro *malis me donasti*. Formula *malis onerare* significare potest, maledicta plurima in aliquem congerere, (nam etiam *maledictis aliquem onerare* dicimus) & plurima poma in aliquem conjicere. Utrumque accidere solet scurris & parasitis in locupletiorum conviviis, hoc in primis, appositâ mensâ secundâ. Hinc Ciceroni veniebat in mentem scribere, *multis malis me tanquam scurram onerasti*. Sed id fit in primis tum, cùm parasitus est impudentior, & dicteriis convivas sæpiùs lacessit. Et quia dicimus *jacere dicta*, tanquam tela & jacula; deinde *velitari* & *velitatio* in dicteriis jaciendis dicitur, ut apud Gellium, VI. 11.

doleo, in ista loca venire me, ut constitueram, non potuisse. Habuisses enim non hospitem, sed [3] contubernalem. At quem virum? non eum, quem tu es solitus [4] promulside conficere. [5] Integram famem ad ovum affero: itáque usque [6] ad assum vitulinum opera perducitur. Illa mea, quæ solebas antea laudare, O hominem facilem! ô hospitem non gravem! abierunt. Nam omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, [7] commentationem causarum, abjecimus. In Epicuri nos adversarii nostri castra conjecimus: nec tamen ad hanc [8] insolentiam: sed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cùm in sumptum habebas. Etsi nunquam plura prædia habuisti. Proinde te para: cum homine edaci tibi res est, & qui jam aliquid intelligat. [9] Ὀψιμαθεῖς autem homines scis quàm insolentes sint. Dediscendæ tibi sunt sportellæ & [10] artolagani tui. Nos jam [11] artis tantum habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, quâ munditiâ homines? quâ elegantiâ? vocare sæpius audeamus. Sed vide audaciam. Etiam Hirtio cœnam dedi; sine pavone tamen. In ea cœna cocus meus, præter jus fervens, nihil potuit imitari. Hæc igitur est nunc vita nostra. Manè salutamus domi & bonos viros multos, sed tristes, & hos lætos victores: qui me quidem perofficiosè & peramanter observant. Ubi salutatio defluxit, literis me involvo, aut scribo, aut lego. Veniunt etiam, qui me audiunt, quasi doctum hominem, quia paulò sum, quàm ipsi, doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi jam & graviùs, & diutiùs, quàm ulla mater unicum filium. Sed cura, si me amas, ut valeas: ne ego, te jacente, bona tua [12] comedim. Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere.

CICE-

VI. 11. *neque in maledictis apud impudentes & improbos velitandum*: propterea eleganter dixit, *se tanquam velitem scurram*, hoc est, qui ultro & crebriùs impudentiúsque maledictis velitatus sit adversùs Pætum, *malis oneratum esse. Id se autem non moleste tulisse*, quia æquum sit, ut est apud Phædrum, sua exempla æquo animo pati. ERNESTUS.

3. *Contubernalem*] Diutiùs enim, quàm solent hospites, apud te mansissem. MAN.

4. *Promulside*] Vide suprà, ep. 16.

5. *Integram famem ad ovum affero*] Quasi nihil gustassem in promulside juxta jejunus & esuriens aggredior caput cœnæ. GRON.

6. *Ad assum vitulinum*] Nec minùs strenuè ad carnes assas accedo. IDEM.

7. *Commentationem causarum*] Meditationem litium forensium, quæ omnia scilicet antehac me parci cibi faciebant. IDEM.

8. *Insolentiam*] Est hîc *Insolentia* nimius sumptus, qui fiebat in cœnas. MANUT.

9. Ὀψιμαθεῖς] *Serò discentes.*

10. *Artolagani*] Panes melliti, placentarum instar. J. F. GRONOV.

11. *Artis*] Hîc alii aliter legunt. Videat, si quis vult, Turneb. Advers. VI. 1.

12. *Comedim*] Pro *comedam*. Ex Nonio.

Digitized by Google

CICERO PÆTO S.

AIN' tandem? insanire tibi videris, quòd imitere verborum 21
meorum, ut scribis, fulmina? Tum insanires, si consequi non posses: cùm verò etiam vincas, me priùs irrideas, quàm te, oportet. Quare nihil tibi opus est illud à [1] Trabea, sed potiùs [2] ἀπότευγμα meum. Veruntamen quid tibi ego in epistolis videor? nónne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut judicio, aut concioni? Quin ipsa judicia non solemus omnia tractare uno modo. Privatas causas, & eas tenues, agimus subtiliùs: capitis, aut famæ, scilicet ornatiùs. Epistolas verò quotidianis verbis texere solemus. Sed tamen, mi Pæte, quid tibi venit in mentem negare, Papirium quemquam unquam, nisi plebeium fuisse? Fuerunt enim patricii [3] minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cùm antè censor cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII. Sed tum Papisii dicebamini. Post hunc, [4] tredecim fuerunt sellâ curuli ante L. Papirium Crassum, qui primùm Papisius est vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursore, magistro equitum, factus est, annis post Romam conditam CCCCXV, & quadriennio pòst consul cum C. Duilio. Hunc secutus est Cursor, homo valde honoratus: deinde L. Masso, ædilitius: inde multi Massones: quorum qui-

dem

ARG. Fulmina verborum Pætus Ciceroni tribuerat, quæ imitari non posset, quod ridens confutat: etiam quòd Papirios ullos negaverat nisi plebeios fuisse. *Anno incerto.*

1. *Trabea*] Non opus est, ut verba Trabeæ Poetæ in te convenire dicas; in me enim potiùs conveniunt. Trabeæ versum posuerat Pætus, quo significabatur, non succedere illi, quod aggressus erat: id est, non posse eum consequi fulmina verborum Ciceronis. MANUTIUS.

2. *Ἀπότευγμα*] *Aberratio*: quia non assequor id, quod cupio. Cùm Papirius ostendere velit Ciceroni, se frustrà ipsius orationes imitari, Trabeæ Poetæ verbis id ostenderat. Quod rejicit Cicero, ac potiùs sibi illud ipsum à Trabea opus esse affirmat. Nam cùm Papirius non solùm consequatur, sed etiam vincat; *suum esse frustra conari affirmat*: *ἀπότευγμα igitur meum*, subaudi *est*. Tu enim omnia, quæ vis, consequeris. Quod ego non possum: itaque *ἀπότευγμα* meum est, non tuum. IDEM.

3. *Minorum gentium*] Quos post Romulum in Senatum Tarquinius Priscus adlegerat, ii *minorum gentium* sunt appellati, quasi secundæ dignitatis patres. *Livius*, lib. XXXV. CELLARIUS.

4. *Tredecim . . . sellâ curuli*] Scilicet, usi, qui Magistratus Curules gesserunt. GRON.

Digitized by Google

dem tu omnium patriciorum imagines habeas volo. Deinde Carbones, & Turdi insequuntur. Hi plebeii fuerunt, quos contemnas censeo. Nam præter hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, civis è republica Carbonum nemo fuit. Cognovimus C. Carbonem, & ejus fratrem scurram: quid his improbius? De hoc amico meo, Rubriæ filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Carbones. Marcus, P. Flacco accusante, condemnatus, fur magnus ex Sicilia: Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Is & tribunus plebis seditiosus, & P. Africano vim attulisse existimatus est. Hoc verò, qui Lilybei à Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo, meo judicio, fuit. Jam pater ejus accusatus à M. Antonio, [5] sutorio atramento absolutus putatur. Quare ad patres censeo revertare. Plebeii quàm fuerint importuni, vides. Vale.

5. *Sutorio atràmento absolutus*] Id est, corruptis Judicum tabellis. CORRADUS. Sutorium atramentum Græci χάλκανθον vocant. Galenus lib. XIII. meth. cap. 20. nominat inter ea pharmaca, quæ non leviter nocendi vim habent: quam ille δύναμιν φθαρτικὴν appellat: subjungítque non tutò medicamentis immisceri, quæ per os assumuntur. Itaque licet opinari, Carbonem hunc, sumpto atramento sutorio, voluntariâ morte damnationis à judicio liberatum. MANUTIUS.

CICERO PÆTO.

22 AMO verecundiam, [1] vel potiùs libertatem loquendi. Atqui hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto, etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est. Sed, ut dico, placet Stoicis, suo quamque rem nomine appellare. Sic enim disserunt,

ARG. Pætus ita liberè jocatus in epistola fuerat, ut ne obscœnum verbum vitaret. Unde occasio Ciceroni nata exponendæ Stoicorum sententiæ de licentia loquendi: quam ipse damnat; contrà, Platonis laudat verecundiam. *Anno incerto.*

1. *Vel potiùs libertatem loquendi*] Aut hoc per jocum dicit: aut legendum, *Alii potiùs libertatem.* Alioqui pugnantia loqueretur. MANUT. Legendum est, *Amo verecundiam*, *tu potiùs libertatem*, reclament omnes libri licet. LAMBIN. Hunc locum, si quis attentiùs epistolæ finem inspiciat, sanè intelliget, ne ipse sibi Cicero adversetur, ἀπορηματικῶς cum nota interrogationis esse enuntiandum: atque eam ob causam *vel* eo in loco *an* significare. Finis autem est hic: *Ego servavi, & servabo . . . Platonis verecundiam.* Quem quis non videt ex adverso cum initio pugnare? Interrogativè legatur ergo; quâ loquendi formâ, non semel ad Atticum scribens, & alibi usus est. MALASPINA, *in Epist. ad Q. Fratr.* I. 2. Est mihi notus acerrimo ingenio Criticus, qui legat: *Amo verecundiam*, velut porticus *libertatem*, &c. Hoc est, ut Stoici amant libertatem &c. Audaciùs, quàm necesse sit, ni fallor. OLIVETUS.

Digitized by Google

runt, Nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu. Nam si quod sit in obscœnitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo: nihil esse tertium. In re non est. Itaque non modò in comœdiis res ipsa narratur: ut ille in [2] Demiurgo modò (fortè nosti canticum: meministi Roscium) *Ita me destituit nudum...* totus est sermo verbis tectus, re impudentior: sed etiam in tragœdiis. Quid est enim illud? [3] *Quæ mulier una...* quid, inquam, est? [4] *usurpata duplex cubile*? Quid? *hujus Pheræi hic cubile inire est ausus.* Quid est, *Virginem me quondam invitam per vim violat.* Jupiter bone, violat? atque idem significat: sed [5] alterum nemo tulisset. Vides igitur, cùm eadem res sit, quia verba non sint, nihil videri turpe. Ergo in re non est; multo minùs in verbis. Si enim quod verbo significatur, id turpe non est, verbum, quod significat, turpe esse non potest. Anum appellas [6] alieno nomine: cur non suo potiùs? Si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potiùs. Caudam antiqui *penem* vocabant: ex quo est propter similitudinem penicillus. At hodie penis est in obscœnis. At verò Piso ille frugi in Annalibus suis queritur, adolescentes peni deditos esse. Quod tu in epistola appellas suo nomine, ille tectiùs penem. [7] Sed quia multi, factum est tam obscœnum, quàm id verbum, quo tu usus es. Quid, quod vulgò dicitur, *Cùm nos te voluimus convenire*, num obscœnum est? Memini, in senatu disertum

2. *Demiurgo*] Turpilii Comici fabula: *modò*, id est nuperrimè acta. CELLAR.

3. *Quæ mulier*] Accii verba. Vide Cic. in Orat. cap. 46.

4. *Usurpata duplex cubile*] Hoc proximè sequitur post illud, *quæ mulier una?* Nam verba sunt mulieris de pellice querentis. Et fortasse loquentem hæc Poeta induxerat Theben, uxorem Alexandri, Pheræi tyranni: quem arbitror infrà nominari. Hæc enim, ut Cicero *lib.* II. *Off.* prodidit, propter pellicatûs suspicionem virum interfecit. *Usurpata*, verbum deponens temporis præteriti: cùm tamen, *Usurpo*, sit usitatius, quàm *Usurpor*. MANUT.

5. *Alterum*] Obscœnum verbum, quo dissoluti homines pro *Violo* liberè utuntur. ID.

6. *Alieno nomine*] Proprium nomen, podex: alienum, anus: à vetula: quòd utrique similis deformitas & fœditas. IDEM.

7. *Sed quia multi*] Post eum, scilicet, sic appellaverunt, ut ipse antea appellarat, cùm ampliùs non tectum esset, & obscurum, *factum est tam obscœnum*, quàm id verbum quo usus est Pætus. Postquam enim non latuit, nec clam fuit quid eâ voce significaretur, statim factum est turpe & obscœnum: non enim intelligi ab omnibus quid eâ denotaretur, ipsum verecundiorem faciebat. Ideóque infinitis penè nominibus apud Græcos, nec paucis etiam apud Romanos, hæ hominis partes quæ honestè nominari non possunt, indicantur: unusquisque reconditam vocem sectatur, vulgatam, & nimis apertam propter turpitudinem fugit & aspernatur. VICTOR.

Digitized by Google

tum consularem ita eloqui: *Hanc* [8] *culpam majorem, an illam dicam?* potuit obscœnius? Non, inquis: non enim ita sensit. Non ergo in verbo est. Docui autem in re non esse. Nusquam igitur est. *Liberis dare operam*, quàm honestè dicitur? etiam patres rogant filios: ejus operæ nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen: is Connus vocitatus est: num id obscœnum putas? Cùm loquimur terni, nihil flagitii dicimus; at cùm *bini*, obscœnum est. Græcis quidem, inquies. Nihil est ergo in verbo, cùm & ego Græcè scio: & tamen tibi dico, [9] *bini*: ídque tu facis, quasi ego Græcè, non Latinè dixerim. *Ruta*, & *menta*, rectè utrumque. Volo mentam pusillam ita appellare, ut rutulam: [10] non licet. Bella tectoriola: dic ergo etiam pavimenta isto modo: [11] non potes. Viden' igitur nihil esse, nisi ineptias: turpitudinem nec in verbo esse, nec in re: itaque nusquam esse. Igitur in verbis honestis obscœna ponimus. Quid enim? non honestum verbum est *divisio*? At inest obscœnum, cui respondet [12] *intercapedo*. Num hæc ergo obscœna sunt? Nos autem ridiculè. Si dicimus, ille patrem strangulavit, honorem non præfamur. Sin de [13] Aurelia aliquid, aut Lollia, honos præfandus est. Et quidem jam non etiam obscœna verba pro obscœnis sunt. [14] *Batuit*, inquit, impudenter; *depsit* multò impudentiùs. Atqui neutrum est obscœnum. [15] Stultorum plena sunt omnia. *Testes*, verbum honestissimum in judicio, alio loco non nimis. At honesti [16] *Colei* Lanuvini, [17] Cliternini non honesti. Quid? ipsa res modò honesta, modò

8. *Culpam*] Politianus, *pulpam*. Sed hæc diligentiùs interpretari nolim.

9. *Bini*] Βινεῖ apud Græcos à βινέω coëo.

10. *Non licet*] Quia, *mentula*, dicerem: quod obscœnum est. MANUT.

11. *Non potes*] Quia diceres, *pavimentula*: in quo verbo *mentula* nominatur. IDEM.

12. *Intercapedo*] Vide Quintilian. VIII. 3. Plura Franciscus Vavassor, lib. *de Epigrammate*, cap. XI. extremo.

13. *Aurelia, aut Lollia*] Scortis nobilibus. MANUTIUS.

14. *Batuit, inquit, impudenter: depsit, multò impudentiùs*] *Batuere*, & *Depsere*, cùm non obscœna propriè sint verba; nam illud est, verberare, vel pugnare; hoc, subigendo tenerum reddere: ad obscœnam tamen significationem transferuntur. *Batuere* enim sic accipitur pro βατεύειν, ut, *bini*, pro βινεῖ. Est autem βατεύειν, cùm mares insiliunt feminas rei venereæ causâ. Quo verbo Theocritus usus est. *Depsere* verò, est subigere, miscere. IDEM.

15. *Stultorum plena sunt omnia*] H. Stephanus quatuor illas voces habet pro spuriis, auctoritate veteris codicis. Vide lib. I. *Schediasm.* cap. 66.

16. *Colei Lanuvini*] Familia Lanuvina, sic appellata, vel familiæ cognomen. MANUT.

17. *Cliternini non honesti*] Quia familia Coleo-

Digitized by Google

modò turpis? [18] *Suppedit*, flagitium est: jam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes [19] scholam Stoicam. [20] Ὁ σοφὸς εὐθυρρήμων ἔστη. Quàm multa ex uno verbo tuo? Te adversus me omnia audere gratum est. Ego servo, & servabo (sic enim assuevi) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt æquè liberos, ac ructus, esse oportere. [21] Honorem igitur Kalendis Mart. Tu me diliges, & valebis.

Coleorum ibi non est: & ideò, *Cliterninos coleos* qui dicit, non familiam, sed testes viriles dicit. IDEM.

18. *Suppedit, flagitium est*] Quia, cùm deducatur à *pedo*, significat, crepitum ventris emittere. IDEM.

19. *Scholam*] Disputationem, quemadmodum in schola. Vide Tuscul. I. 4.

20. Ὁ σοφὸς εὐθυρρήμων ἔστη] *Sapiens Rectè loquêris.* Opinor contra scholam Stoicam hoc esse. Ut dixerit Cicero; Stoici superiora illa disputant: mihi autem hoc videtur, sapientem ita loqui debere, ut obscœnitatem vitet: quod ego facio, Platonis verecundiam servans. MANUT.

21. *Honorem*] Habere volui. *Kalendis Martiis*: Quem præcipuè diem matronas, Junoni dicatum, cum religione coluisse, scripsit Ovidius Fast. lib. III. & Servius in Virg. lib. VIII. IDEM.

CICERO PAPIRIO PÆTO.

HERI veni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed cùm certum sciam, faciam te paulo ante certiorem. Etsi M. Ceparius, cùm mihi in [1] sylva Gallinaria obviam venisset, quæsissémque quid ageres, dixit te in lecto esse, quòd ex pedibus laborares. Tuli scilicet molestè, ut debui: sed tamen constitui ad te venire, ut & viderem te, & viserem, & cœnarem etiam. Non enim arbitror, coquum etiam te [2] arthriticum habere. Expecta igitur hospitem cùm minimè edacem, tum inimicum cœnis sumptuosis. Vale. 23

CICE-

ARG. Quanquam pedibus laborare Pætum audierat, tamen adventum suum prænuntiat, quia non arbitretur etiam coquum arthriticum habere. *Anno* U. C. 707.

1. *Sylva Gallinaria*] Est inter ostia Vulturni & Literni in Campania.

2. *Arthriticum*] Articulis ita laborantem, ut cœnam apparare non possit. MANUT.

Digitized by Google

Cicero Pæto.

24 Rufum [1] istum, amicum tuum, de quo iterum jam ad me scribis, adjuvarem quantùm possem, etiam si ab eo læsus essem, cùm te tantopere viderem ejus causâ laborare. Cùm verò & ex tuis literis, & ex illius ad me missis intelligam, & judicem, magnæ curæ ei salutem meam fuisse; non possum ei non amicus esse, neque solùm tuâ commendatione, quæ apud me, ut debet, valet plurimùm, sed etiam voluntate ac judicio meo. Volo enim te scire, mi Pæte, initium mihi suspicionis, & cautionis, & diligentiæ fuisse literas tuas: quibus litteris congruentes fuerunt aliæ postea multorum. Nam & [2] Aquini, & Fabrateriæ [3] consilia sunt inita de me, quæ te video inaudisse: &, quasi divinarent, quàm his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent. Quod ego non suspicans, incautior fuissem, nisi à te admonitus essem. Quamobrem iste tuus amicus apud me non eget commendatione. Utinam ea fortuna reipublicæ sit, ut ille me quàm gratissimum possit cognoscere. Sed hæc hactenus. Te ad cœnas itare desisse, molestè fero. Magnâ enim te delectatione & voluptate privasti. Deinde etiam vereor (licet enim verum dicere) ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas, & obliviscare cœnulas facere. Nam si tum, cùm habebas quos imitarere, non multùm proficiebas: quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, cùm ei rem demonstrassem, & vitam tuam superiorem exposuissem, magnum periculum summæ reipublicæ demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum, cùm Favonius flaret, revertisses: hoc tempore ferri posse, si fortè tu frigus ferre non posses. Sed mehercule, mi Pæte, extra jocum, moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil aptius vitæ, nihil ad beatè vivendum accommo-

Arg. Rufum, à Pæto commendatum, sibi curæ fore ostendit: & ut ille ad amicorum convictum redeat, hortatur: nihilque sibi rep. carius esse concludit. Pansa & Hirtio coss. *Anno* U. C. 710.

1. *Rufum*] Non is, de quo V. 19. XIV. 14.
2. *Aquini*] Aquinum Volscorum oppidum, ut & *Fabraterea.*
3. *Consilia sunt inita*] Ab Antonio. Man.

Digitized by Google

commodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ atque victûs, remissionémque animorum: quæ maximè sermone efficitur familiari, qui est in conviviis dulcissimus: ut sapientiùs nostri, quàm Græci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id est, compotationes, aut concœnationes: nos [4] *convivia*, quòd tum maximè simul vivitur. Vides, ut te philosophando revocare coner ad cœnas? Cura ut valeas. Id foris cœnitando facillimè consequêre. Sed cave, si me amas, existimes, me, quòd jocosiùs scribam, abjecisse curam reipublicæ. Sic tibi, mi Pæte, persuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi, liberíque sint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, providendi. Hoc denique animo sum, ut, si in hac cura atque administratione vita mihi ponenda sit, præclarè actum mecum putem. Etiam atque etiam vale.

4. *Convivia*] De Senectute, cap. 13.

CICERO IMPERATORI PÆTO.

SUMMUM me ducem literæ tuæ reddidere. Planè nesciebam 25
te tam peritum esse rei militaris. [1] Pyrrhi te libros & Cineæ video lectitasse. Itaque obtemperare cogito præceptis tuis: hoc amplius, navicularum habere aliquid in ora maritima: contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri posse. Sed quid ludimus? nescis quocum imperatore tibi negotium sit. [2] παιδείαν Κύρου, quam contriveram legendo, totam in hoc imperio explicavi. Sed jocabimur aliàs coràm, ut spero, brevi tempore. Nunc [3] ades ad imperandum, vel ad pa-

ARG. Cùm Ciliciæ Cicero pro consule præesset, à Pæto literas de re militari accipit: quas jocans his exagitat, & unà M. Fabium commendat. *Anno* U. C. 703.

1. *Pyrrhi libros, & Cineæ*] Pyrrhus Epirotarum rex fuit, Cineas ejus legatus. Utrumque scripsisse libros de re militari, ex Plutarcho & Æliano perspicuum fit. MAN.

2. Παιδείαν Κύρου] *Cyri institutionem*, à Xenophonte conscriptam.

3. *Ades ad imperandum*] Scripta veterum interiere, in quibus hic loquendi modus crebrior fuit: unius igitur Sallustii utemur testimonio. *Jugurtha* (inquit) *ubi armis, virísque, & pecuniâ spoliatus est, cùm ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus cœpit flectere animum suum. Ad imperandum*, id est, ut ei imperaretur, ad parendum: quod Cicero subjunxit. Hunc loquendi modum & Servius agnovit in illo Virg. versu:

Digitized by Google

rendum potiùs: sic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio (quod scire te arbitror) mihi summus usus est: valdéque eum diligo, cùm propter summam probitatem ejus, ac singularem modestiam, tum quòd in his controversiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optimâ operâ ejus uti soleo. Is cùm ad me Laodiceam venisset, mecúmque ego eum esse vellem, repentè percussus est atrocissimis literis, in quibus scriptum erat, fundum Herculanensem à Q. Fabio fratre [4] proscriptum esse, qui fundus cum eo communis esset. Id M. Fabius pergraviter tulit, existimavítque, fratrem suum, hominem non sapientem, impulsu inimicorum suorum eò progressum esse. Nunc si me amas, mi Pæte, negotium totum suscipe, & molestiâ Fabium libera. Auctoritate tuâ nobis opus est, & consilio, & etiam gratiâ. Noli pati litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari. Matonem & Pollionem inimicos habet Fabius. Quid multa? non mehercule tam perscribere possum, quàm mihi gratum feceris, si otiosum Fabium reddideris: Id ille in te positum esse putat, mihíque persuadet. Vale.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. *Cantando*, inquit, *dum incantatur.* MANUT.

4. *Proscriptum*] Ut venderetur. IDEM.

CICERO PÆTO S. D.

26 ACCUBUERAM horâ nonâ, cùm ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, ubi? Apud Volumnium [1] Eutrapelum, & quidem supra me Atticus, infrà Verrius, familiares tui. Miraris tam exhilaratam esse servitutem nostram? Quid ergo faciam? te consulo, qui [2] Philosophum audis. Angar? excruciémne me? quid assequar? Deinde quem ad finem? Vivas, inquis, in literis. An quidquam me aliud agere censes? aut possem vivere, nisi in literis viverem? Sed est earum etiam non satietas, sed quidam modus. A quibus cùm discessi, etsi mini-

ARG. Descriptio & excusatio cœnæ liberioris, præsertim accumbente Cytheride meretrice. *Anno* U. C. 707.

1. *Eutrapelum*] Ita vocatum à festivitate & lepore. Epist. 32. lib. VII. MANUT.

2. *Philosophum*] Dionem, cujus consuetudine Pætus utebatur. Infrà. IDEM.

Digitized by Google

minimum mihi est in cœna: quod tu unum [3] ζήτημα Dioni philosopho posuisti: tamen quid potiùs faciam, priusquàm me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. Infra Eutrapelum [4] Cytheris accubuit. In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille? [5] *quem adspectabant? cujus ob os Graii ora obvertebant sua?* Non mehercule suspicatus sum illam affore: sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cùm esset objectum, habere eum Laida: *Habeo*, inquit, *non habeor à Laide.* [6] Græcè hoc meliùs. Tu, si voles, interpretabere. Me verò nihil istorum ne juvenem quidem movit unquam, ne nunc senem. Convivio delector. Ibi loquor, [7] quod in solum, ut dicitur: & gemitum in risus maximos transfero. An tu id meliùs, qui etiam philosophum irriseris? Cùm ille, si quis quicquam [8] quæreret, dixisset; cœnam te quærere [9] à mane dixeris. Ille baro te putabat quæsiturum, unum cælum esset, an innumerabilia. Quid ad te? At hercule cœna nunquid ad te? [10] Ibi præsertim. Sic igitur vivitur: quotidie aliquid legitur, aut scribitur: dein, ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà non modò non contra legem, si ulla nunc lex est: sed etiam intra legem, & quidem aliquanto. Quare nihil est, quòd adventum nostrum extimescas. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci. Vale.

---

3. ζήτημα] *Quæstionem.* Dioni petenti qua de re vellet Pætus disserere, responderat, *De cœna.* Et hoc unum.

4. *Cytheris*] Volumnii liberta, & amica. Quam postea dilexit Cornelius Gallus Poeta, & post eum M. Antonius. Vide Philippicâ II. cap. 24. IDEM.

5. *Quem adspectabant*, &c.] Carmen Ennianum in Telamone. CORRADUS.

6. *Græcè*] Aristippi Græca verba sunt, Ἔχω, καὶ οὐκ ἔχομαι: quæ recitat Athenæus lib. XII. quod Ciceroni Græcè melius videtur, quàm Latinè, non quia Græcè dicatur breviùs: æquè enim breviter Latinè dicitur: sed quia verbum Ἔχω quiddam ampliùs, quàm, *Habeo*, significat; quod referri ad concubitum potest. MANUT.

7. *Quod in solum, ut dicitur*] Hoc proverbium, *Quod in solum venit*, vel *Quodcunque in solum venit*, quidlibet significat, & quidquid occurrit, quidquid casus fert: non pro ratione, aut pro recta voluntate, sed temerè, casu, fortuitò. Vide lib. I. de Nat. Deor. cap. 23. IDEM.

8. *Quæreret*] Ex instituto Gorgiæ Leontini, qui primus est ausus in conventu poscere quæstionem, id est jubere dicere, qua de re quis vellet audire. Lib. II. de Fin. in principio. IDEM.

9. *A mane*] Non hoc significat, quod Manutius putat, se quærere cœnam, quæ à mane inciperet: sed se à mane quærere, qui illum invitaret ad cœnam horâ solitâ instituendam, aut saltem *de die*: sicut illi sodales Catulliani, qui in triviis quærebant vocationes. GRÆVIUS. Habuit ferè Manutii sententiam altera pagina.

10. *Ibi præsertim*] *Tibi*, non *ibi*, lego cum omnibus libris antiquis. MANUT.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER X.

CICERO PLANCO.

1 ET abfui [1] proficifcens in Græciam: & pofteaquam [2] de meo curfu Reipublicæ fum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cujus tanta eft, non infolentia (nam id quidem vulgare vitium eft) fed immanitas, non modò ut vocem, fed ne vultum quidem liberum poffit ferre cujufquam. Itaque mihi [3] maximæ curæ eft, non de mea quidem vita, cui fatisfeci vel ætate, vel factis, vel (fi quid etiam hoc ad rem pertinet) gloriâ: fed me patria follicitat, in primífque, mi Plance, expectatio confulatûs tui; quæ [4] ita longa eft, ut optandum fit, ut poffimus ad id tempus reipublicæ fpiritum ducere. Quæ poteft enim fpes effe in ea republica, in qua hominis impotentiffimi atque intemperatiffimi

ARGUMENTUM. Invehitur in Antonii immoderatam potentiam, & Plancum tranfalpinæ Galliæ præfidem hortatur, ut in remp. incumbat: & tandem de Furnio benignè fufcepto gratias agit. *Anno* U. C. 709.

1. *Proficifcens in Græciam*] Defperatâ libertate, Antonio confule poft Cæfaris necem, pro fua libidine cuncta adminiftrante. Vide epift. 25. lib. XII. & Philipp. I. MANUT.

2. *De meo*] Nonnulli, *de medio.*

3. *Maximæ curæ eft, non de mea*] Sic Gruterus & Grævius: fed Victorius, *maximè curæ eft*, &c. Manutius, *maxima cura eft*, &c. Lambinus, *maximæ curæ eft, non mea quidem*, &c. Varias id genus lectiones enumerare liceat, non ponderare.

4. *Ita longa eft*] Hoc anno confules erant Antonius & Dolabella, interfecto *idibus* Martiis Cæfare, cujus locum Dolabella occupavit. His anno fequenti fucceffuri erant Hirtius & Panfa, Hirtio & Panfæ Plancus & D. Brutus. MANUT.

Digitized by Google

tissimi armis oppressa sunt omnia? & in qua nec senatus, nec populus vim habet ullam? nec leges ullæ sunt, nec judicia, nec omninò simulacrum aliquod ac vestigium civitatis? Sed cùm [5] acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat quòd singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem à tua pueritia susceptum non servavi solùm, sed etiam auxi, monere te, atque hortari, ut in rempublicam omni cogitatione curâque incumberes. Quæ si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est. Ut perducatur autem, magnæ cùm diligentiæ est, tum etiam fortunæ. Sed & te aliquanto antè (ut spero) habebimus, &, præterquam quòd reipublicæ consulere debemus, tamen tuæ dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillimè & reipublicæ, quæ mihi carissima est, & amicitiæ nostræ, quam sanctissimè nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum. Furnium nostrum tanti à te fieri, quantum ipsius & humanitas & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: téque hoc existimare volo, quidquid in eum [6] judicii officiíque contuleris, id ita me accipere, ut in meipsum te putem contulisse. Vale.

5. *Acta*] Singulorum dierum. MANUT.
6. *Judicii*] Beneficii. Nam beneficia honoratorum hominum argumentum sunt, illos bene de rebus judicare. J. F. GRONOV.

CICERO PLANCO S.

MEUM studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tutò in senatum, aut honestè venire potuissem. Sed nec sine periculo quisquam liberè de republica sentiens, versari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostræ dignitatis videtur esse, ibi sententiam de republica dicere, ubi me & meliùs & propiùs audiant [1] armati, quàm senatores. Quapropter in privatis rebus nullum neque officium, neque studium meum desiderabis. Ne in publicis quidem, si quid erit in quo me interesse necesse sit, unquam deero, ne 2

 cum

ARG. Excusat, quòd in senatum ad agendam Planci causam non venerit, & officia sua in aliis rebus pollicetur. *Anno* U. C. 709.
1. *Armati*] Ab Antonio Consule.

Digitized by Google

cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In iis autem rebus, quæ nihilominus, ut ego abſim, confici poſſunt, peto à te, ut me rationem habere velis & ſalutis, & dignitatis meæ. Vale.

Cicero Planco S. D.

3 Cum ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſimè, tum hoc libentiùs, quòd illum audiens te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in adminiſtranda provincia juſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit, & præterea mihi non ignotam in conſuetudine & familiaritate ſuavitatem tuam adjunxit: præterea ſummam erga ſe [1] liberalitatem. Quæ omnia mihi jucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, neceſſitudinem conſtitutam habui cum domo veſtra antè aliquanto quàm tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua: confirmatâ jam ætate familiaritatem, cùm ſtudio meo, tum judicio tuo conſtitutam. His de cauſis mirabiliter faveo dignitati tuæ, quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. Omnia ſumma conſecutus es, virtute duce, comite fortunâ; eáque es adeptus adoleſcens, multis invidentibus, quos ingenio induſtriáque fregiſti. Nunc me, amantiſſimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies, omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo reipublicæ ſtatu acquires. Scis profectò (nihil enim te fugere potuit) fuiſſe quoddam tempus, cùm homines exiſtimarent te nimis ſervire temporibus: quod ego quoque exiſtimarem, te ſi ea, quæ patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed cùm intelligerem quid ſentires, te arbitrabar videre quid poſſes. Nunc alia ratio eſt. Omnium rerum tuum judicium eſt, ídque liberum. Conſul es deſignatus, optimâ ætate, ſummâ eloquentiâ, maximâ orbitate reipublicæ virorum talium. Incumbe, per deos immortales, in eam curam & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam afferat. Unus autem eſt, hoc præſertim tempo-

Arg. Veritus Cicero, ne, quod accidit, cum Antonio ſe Plancus conjungat, aucupatur laudibus ejusdem benevolentiam, hortatúrque ut temp. tueatur. *Anno* U. C. 710.

1. *Liberalitatem*] Non largitionem, ſed ſummam quandam humanitatem & conſuetudinem gratificandi, ut epiſt. 7. lib. I. & 9. lib. V. Manutius.

tempore, per tot annos republicâ devexatâ, reipublicæ bene gerendæ cursus ad gloriam. Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quàm quòd arbitrarer te monitis & præceptis egere. Sciebam enim ex iisdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum faciam. Nunc tantùm significandum putavi, ut potiùs amorem tibi ostenderem meum, quàm ostentarem prudentiam. Interea, quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiosè diligentérque curabo.

PLANCUS CICERONI.

GRATISSIMÆ *mihi tuæ literæ fuerunt, quas ex Furnii ser-* 4
mone [1] *te scripsisse animadverto. Ego autem præteriti temporis excusationem affero, quòd te profectum audieram: nec multò antè redisse scivi, quàm ex epistola tua cognovi. Nullum enim in te officium, ne minimum quidem, sine maxima culpa videor posse præterire. In quo tuendo habeo causas plurimas, vel paternæ necessitudinis, vel meæ à pueritia observantiæ, vel tui erga me mutui amoris. Quare, mi Cicero, quod mea tuáque patitur ætas, persuade tibi, te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ summa est, videntur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare si aut aliter sentirem, certè admonitio tua me reprimere, aut, si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares. Nunc verò quid est, quod me in aliam partem trahere possit? Quæcunque in me bona sunt, aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore parta, etsi à te propter amorem cariùs sunt æstimata: tamen vel inimicissimi judicio tanta sunt,* [2] *ut, præter bonam famam, nihil desiderare videantur. Quare hoc unum tibi persuade:*

ARG. Gratias agit Ciceroni, quòd se ad verissimæ gloriæ studium sit adhortatus, séque in reip. potestate fore pollicetur. *Anno* U. C. 710.

1. *Te scripsisse*] Tuâ manu, non amanuensis. MANUT. Sed vetus commentator: *Ex sermone Furnii*, id est, propter ea, quæ Furnius de me locutus est tecum. CELLAR.

2. *Ut præter bonam famam*] Ut unicum; quod iis addere possum, sit bona hominum de his existimatio. Tacitè significat propter mala tempora, & quòd serviendum esset Cæsari, nondum eam mereri se potuisse. J. F. GRONOVIUS.

Digitized by Google

de: quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne reipublicæ semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus: neque, si facultas, optabilis mihi quidem, tui præsentis esset, unquam à tuis consiliis discreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere jure possis. Sum in expectatione omnium rerum, quid [3] *in Gallia citeriore, quid in urbe mense Januario geratur, ut sciam. Interim maximam hîc sollicitudinem curámque sustineo, ne inter* [4] *aliena vitia hæ gentes nostra mala suam putent occasionem. Quòd si proinde, ut ipse mereor, mihi successerit, certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus viris bonis satisfaciam. Fac valeas, méque mutuò diligas.*

3. *In Galliâ citeriore*] Cisalpina: cui præerat D. Brutus, & ipse consul designatus, Mutinæ inclusus, obsidente M. Antonio. MANUTIUS.

4. *Aliena vitia*] Nostra scilicet, dum inter nos contendimus. IDEM.

CICERO PLANCO S.

5 BINAS à te accepi literas eodem exemplo: quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Intellexi enim te laborare, ut ad me mihi expectatissimæ literæ perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem, mihíque in comparatione difficilem ad judicandum, amorémne erga me tuum, an animum in rempublicam pluris æstimandum putarem. Est omninò patriæ caritas, meo quidem judicio, maxima: sed amor, voluntatísque conjunctio plus certè habet suavitatis. Itaque commemoratio tua paternæ necessitudinis, benevolentiǽque ejus, quam erga me à pueritia contulisses, cæterarúmque rerum, quæ ad eam sententiam pertinebant, incredibilem mihi lætitiam [1] attulerat. Rursus declaratio animi tui, quem haberes de republica, quémque habiturus esses, mihi erat jucundissima: eóque major erat hæc lætitia, quòd ad illa superiora accedebat. Itaque te non hortor solùm, mi Plance, sed planè etiam oro, quod feci his literis, quibus tu humanissimè respondisti, ut totâ mente, omníque animi impetu in rempublicam incumbas. Nihil est, quod tibi majori

ARG. Denuò Plancum ad suscipiendam tuendámque rempublicam stimulis gloriæ instigat. *Anno* U. C. 710.

1. *Attulerat*] Manutius, *attulerunt*.

jori fructui gloriæque esse possit: nec quidquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut præstantius, quàm de republica bene mereri. Adhuc enim patitur tua summa humanitas, & sapientia, me, quod sentiam, liberè dicere. Fortunâ suffragante vidêris res maximas consecutus: quod quanquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte, ea, quæ es adeptus, fortunæ temporibúsque tribuuntur. His temporibus difficillimis, reipublicæ quidquid subveneris, [2] id erit totum & proprium tuum. Incredibile est omnium civium, latronibus exceptis, odium in Antonium. Magna spes in te, & in tuo exercitu magna expectatio. Cujus, per deos, gratiæ, gloriæque cave tempus amittas. Sic moneo, ut filium; sic faveo, ut mihi; sic hortor, ut & pro patria, & amicissimum. Vale.

2. *Id erit totum & proprium tuum*] Optimè priscus codex, quem Lambinus consuluit, *id erit totum proprium & tuum*. Vulgata nullius est pretii: copula sanè suo loco posita non est. Venustè autem, ut & apud alios scriptores, *proprium & tuum* tanquam συνώνυμα conjunguntur. Lambinus conjicit, *id erit totum propriè tuum*. GRÆVIUS.

CICERO PLANCO.

QUÆ locutus est Furnius noster de animo tuo in rempublicam, ea gratissima fuerunt senatui, populóque Romano probatissima. Quæ autem recitatæ literæ sunt in senatu, nequaquam consentire cum Furnii oratione visæ sunt. Pacis enim auctor eras, cùm [1] collega tuus, vir clarissimus, à fœdissimis latronibus [2] obsideretur: qui aut positis armis pacem petere debent, aut, si pugnantes eam postulant, victoriâ pax, non pactione parienda est. Sed de pace literæ vel [3] Lepidi, vel tuæ, quam in partem acceptæ sint, ex viro optimo, fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoscere. Me autem impulit tui cari-

tas,

ARG. Plancus literis ad senatum scriptis pacem cum Antonio suaserat: quam Cicero his dissuadet, quæ armis potiùs, quàm pactione sit quærenda: hortatúrque, ut sejungat se à societate malorum, totúsque ad remp. transeat. *Anno* U. C. 710.

1. *Collega tuus*] D. Brutus, consul cum Planco designatus. MANUT.

2. *Obsideretur*] Mutinæ. Ep. 11. 14. ID.

3. *Lepidi*] Hic est M. Æmilius Lepidus, qui, decretâ sibi Hispaniâ, in Gallia tamen adhuc, civilis belli, ab Antonio suscitati, exitum expectans, morabatur. Postea, proditâ rep. triumvir cum Antonio & Octavio fuit, evertendæ, non, ut aiebant ipsi, constituendæ reip. IDEM.

Digitized by Google

tas, ut, quanquam nec tibi ipsi consilium deesset, & fratris Furniique benevolentia, fidelisque prudentia tibi præstò esset futura, vellem tamen meæ quoque auctoritatis, pro plurimis nostris necessitudinibus, præceptum ad te aliquod pervenire. Crede igitur mihi, Plance, omnes quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis (es autem adeptus amplissimos) eos honorum vocabula habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi Romani, & cum senatûs auctoritate conjunxeris. Sejunge te, quæso, aliquando ab iis, cum quibus te non tuum judicium, sed temporum vincula conjunxerunt. Complures in perturbatione reipublicæ consules dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo extitit in rempublicam consulari. Talem igitur te esse oportet, qui primùm te ab impiorum civium, tui dissimillimorum, societate sejungas, deinde & senatui bonisque omnibus [4] auctorem, principem, ducem præbeas: postremò, ut pacem esse judices non in armis positis, sed in abjecto armorum & servitutis metu. Hæc si & ages, & senties, tum eris non modò consul & consularis, sed magnus etiam & consul & consularis. Sin aliter, tum in istis amplissimis nominibus honorum non modò dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas. Hæc, impulsus benevolentiâ, scripsi paulo severiùs; quæ tu in experiendo [5] eâ ratione, quæ te digna est, vera esse cognosces. D. XIII Kal. April.

4. *Auctorem, principem, ducem*] Augetur sententia singulis verbis. Nam *Auctor* est, non qui alios sequitur, sed qui movet. *Princeps* autem plus est, quàm *Auctor*: & *Dux* plus, quàm *Princeps*. MANUT.

5. *Ea ratione*] Iis rebus agendis. IDEM.

PLANCUS CICERONI.

7. PLURA *tibi de meis consiliis scriberem, rationémque omnium redderem verbosiùs, quò magis judicares, omnia me reipublicæ præstitisse, quæ & tuâ exhortatione excepi, & meâ affirmatione tibi recepi: (non minùs enim à te probari, quàm diligi, semper volui; nec te magis in culpa defensorem mihi paravi, quàm*

ARG. Causam brevitatis indicat, & studii in remp. sui seriùs patefacti, suámque dignitatem Ciceroni commendat. *Anno* 710.

quàm prædicatorem meritorum meorum esse volui) sed breviorem me duæ res faciunt; una, quòd [1] publicis literis omnia sum persecutus; altera, quòd M. Varisidium, equitem Romanum, familiarem meum, ipsum ad te transire jussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non, medius fidius, mediocri dolore afficiebar, [2] cùm alii occupare possessionem laudis viderentur: sed usque mihi temperavi, dum perducerem eò rem, ut dignum aliquid & consulatu meo, & vestrâ expectatione efficerem. Quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum, ut maximo præsidio reipublicæ nos fuisse & nunc sentiant homines, & in posterum memoriâ teneant. A te peto ut dignitati meæ suffrageris; & quarum [3] rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minùs posse te, quàm velle, exploratum mihi est. Fac valeas, méque mutuò diligas.

1. *Publicis literis*] Quæ sequuntur. CORR.
2. *Cùm alii occupare possessionem laudis viderentur*] Qui ante me bonam voluntatem in Remp. sunt professi. CORRAD.
3. *Rerum spe*] Honoribus propositis. MANUT.

PLANCUS IMP. COS. DES. COSS. PR. TRIB. PLEB. SEN. POP. PL. Q. R. S. D.

SI cui fortè videor diutiùs & hominum expectationem, & spem reipublicæ de mea voluntate tenuisse [1] suspensam, huic priùs excusandum me esse arbitror, quàm de insequenti officio quidquam ulli pollicendum. Non enim præteritam culpam videri volo redemisse, [2] sed optimæ mentis cogitata jampridem, maturo tempore enuntiare. Non me præteribat, in tanta sollicitudine hominum, & tam perturbato statu civitatis, fructuosissimam esse professionem bonæ voluntatis, magnósque honores ex ea re complures consecutos videbam. Sed, cùm in eum casum me fortuna demisisset, ut aut, celeriter pollicendo, [3] magna mihi ipse ad proficiendum impedimenta 8

ARG. Causas affert, cur se serò libertatis defensorem profiteatur; & de exercitu & provinciæ statu significat. *Anno* U. C. 710.

1. *Suspensam*] *Plancus*, inquit Paterculus, II. 63. *dubiâ fide, quarum esset partium, diu secum luctatus, senatuique se literis venditans, mox D. Bruti proditor fuit.*
2. *Sed optimæ mentis*] Cùm optimum propositum nunquam non habuerim, nunc demum id palàm præferendi maturum & commodum tempus apparuit. J. F. GRONOV.
3. *Magna mihi ipse ad*] Sic Faërnus, Lamb. &c. Sed Victorius, aliique, *magna in spe ad*, &c.

Digitized by Google

menta opponerem; aut, si in eo mihi temperavissem, majores occasiones ad opitulandum haberem; expeditius iter communis salutis, quàm meæ laudis esse volui. Nam quis in ea fortuna, quæ mea est, & ab ea vita, quam in me cognitam hominibus arbitror, & cum ea spe, quam in manibus habeo, aut sordidum quidquam pati, aut perniciosum concupiscere potest? Sed aliquantum nobis temporis, & magni [4] *labores, & multæ impensæ opus fuerunt, ut quæ reipublicæ bonísque omnibus polliceremur, exitu præstaremus: neque ad auxilium patriæ nudi cum bona voluntate, sed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis sæpe præmiis sollicitatus, ut ab republica potiùs moderata, quàm ab uno infinita speraret. Confirmandæ complures civitates, quæ* [5] *superiore anno largitionibus concessionibúsque præmiorum erant obligatæ, ut & illa vana putarent, & eadem à melioribus auctoribus petenda existimarent. Eliciendæ etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis exercitibúsque præfuerunt, ut potiùs cum pluribus societatem defendendæ libertatis iniremus,* [6] *quàm cum paucioribus funestam orbi terrarum victoriam partiremur. Muniendi verò nosmetipsi fuimus, aucto exercitu, auxiliísque multiplicatis, ut, cùm præferremus sensus apertè, tum etiam, invitis quibusdam, sciri, quid defensuri essemus, non esset periculosum. Ita nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum pervenirem, & simulasse invitum, & dissimulasse cum dolore: quòd, præmatura denuntiatio boni civis imparati quàm periculosa esset, ex casu collegæ videbam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti atque strenuo, plura etiam verbo, quàm scripturâ, mandata dedimus: ut & tectiùs ad vos perferrentur, & nos essemus tutiores; quibúsque rebus & communem salutem muniri, & nos armari conveniret, præcepimus. Ex quo intelligi potest, curam reipublicæ summæ defendendæ*

4. *Labores*] Alii, *laboris... opus fuit.*

5. *Superiore anno*] Antonio consule. MAN.

6. *Quàm cum paucioribus*] Malui, inquit, plures socios habere, indéque minorem laudem adipisci ejus victoriæ, quàm cum paucis, ut majorem gloriam, si rectè res cessisset, consequerer, partiri & dividere victoriam. Jacturam enim potiùs æquo animo laudis facere volui (defendendæ reip. socios quærens, cum pluribúsque victoriam communicans) quàm cum paucioribus periculosè nimis & temerariè eam dividere. Etsi enim eam adeptus cum paucioribus, majorem gloriam acquirerem: nimis magno tamen reipublicæ damno id fecissem, funesta enim victoria fuisset. VICTOR.

Digitized by Google

dæ jampridem apud nos excubare. Nunc, cùm deûm benignitate ab omni re sumus paratiores, non solùm bene sperare de nobis homines, sed exploratè judicare volumus. Legiones habeo quinque sub signis, & sua fide virtutéque reipublicæ conjunctissimas, & nostra liberalitate nobis obsequentes. Provinciam omnium civitatum consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem: equitatus, auxiliorúmque tantas copias, quantas hæ gentes ad defendendam suam salutem libertatémque conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus, ut vel [7] provinciam tueri, vel ire quò respublica vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciámque, vel omnem impetum belli in me convertere non recusem, si modò meo casu aut confirmare patriæ salutem, aut periculum possim morari. Hæc si [8] jam expeditis omnibus rebus, tranquillóque statu civitatis polliceor, in damno meæ laudis, reipublicæ commodo lætabor. Sin ad societatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam, consilia mea æquis judicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendo. Mihi quidem ipsi fructus meritorum meorum in reipublicæ incolumitate satis magnus est paratus.[9] Eos verò, qui meam auctoritatem, & multò magis vestram fidem secuti, nec ullâ spe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur.

7. *Provinciam*] Re, & nomine. CORRAD.
8. *Jam expeditis omnibus rebus*] Profligato ad Mutinam Antonio. MANUTIUS.
9. *Eos verò*] Milites. IDEM.

PLANCUS CICERONI S.

NIHIL *me tibi temerè, aut te cæteris de me frustrà recepisse* 9
lætor. Certè hoc majus habes testimonium amoris mei, quò maturiùs tibi, quàm cæteris, consilia mea volui esse nota. In dies verò meritorum meorum fieri accessiones pervidere te spero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero, ([1] ita ab

ARG. Suum studium erga remp. præ se fert: dignitatem suam commendat: quid egerit & acturus sit, exponit: exercitum laudat. *Anno* U. C. 710.

1. *Ita ab imminentibus malis*] Est hoc jurandi & affirmandi genus non invenustum. Augustus in epist. ad Tiberium apud Sueton. *Jucundissime, & ita sim felix, vir fortissime, & dux νομιμώτατε*. Cicer. IV. Catilin. *Ita mihi salvâ republicâ vobiscum perfrui liceat, ut ego, quòd in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor.* Idem XVI,

ab imminentibus malis respublica, me adjuvante, liberetur) sic honores præmiáque vestra suspicio, conferenda certè cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio perseverantiáque sim remissurus. Nisi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit singularis, & opera præcipua, nihil ad meam dignitatem accedere volo suffragatione vestra. [2] *Concupisco autem nihil mihi, contra quod ipse pugno. Et* [3] *temporis, & rei te moderatorem facilè patior esse. Nihil aut serò, aut exiguè à patria civi tributum potest videri. Exercitum a. d. sextum Kal. Maias Rhodanum trajeci, magnis itineribus.* [4] *Viennâ equites mille viâ breviore præmisi. Ipse, si* [5] *ab Lepido non impediar, celeritate satisfaciam: si autem itineri meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco & numero, & genere, & fidelitate firmissimas. Te, ut diligas me, si mutuò me facturum scis, rogo. Vale.*

XVI. ad Att. epist. 15. de Octavio, *Jurat, ita sibi parentis honores consequi liceat.* GRÆVIUS.

2. *Concupisco autem nihil mihi, contra quod ipse pugno*] Difficilis ad intelligendum locus: nec veteres libri consentiunt: nam plerique, *Contra quod*: unus, *Contra quam*: alius, *Contra quem.* Fortasse autem hoc dicitur: & nihil mihi meâ causâ concupisco; cùm ad reip. salutem dignitatémque omnia referam; & contendo tamen atque elaboro, ut ea consequar, quæ minimè concupisco. MANUT. Quid si? *contráque me ipse pugno.* Vel *contráque ipse pugno.* Atque his verbis verecundè præmia postulat. BERN. RUTIL.

3. *Temporis, & rei*] Volo te judicare ac statuere, & quando, & quid petam: vel, & quo tempore, & quibus me honoribus afficere debeatis. Epist. 21. *Tu videris, quantum, & quando tuum munus apud me velis esse.* MANUTIUS.

4. *Viennâ*] Alii, *Viennam*: quod non placet. Est autem Vienna Allobrogum, quam Strabo principem urbem vocat. IDEM.

5. *Ab Lepido*] De cujus in remp. animo nondum constabat. Epist. sequenti. IDEM.

CICERO PLANCO.

10 ETSI satis ex Furnio nostro cognoram, quæ tua voluntas, quod consilium de republica esset; tamen, tuis literis lectis, liquidiùs de toto sensu tuo judicavi. Quamobrem, quanquam in uno prælio omnis fortuna reipublicæ disceptat; quod quidem, cùm hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore; tamen

ARG. Laudat Planci præclaram voluntatem studiúmque juvandi remp. ideóque præmia sperare ab senatu jubet, in qua re suam operam pollicetur, hortatúrque ut pergat in tuenda rep. *Anno* U. C. 710.

Digitized by Google

men ipsâ famâ, quæ de tua voluntate percrebruit, magnam es laudem consecutus. Itaque si [1] consulem Romæ habuissemus, declaratum esset ab senatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus esset conatus & apparatus tuus. Cujus rei non modò non præteriit tempus, sed ne maturum quidem etiam nunc, meo quidem judicio, fuit. Is enim [2] denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur & datur. Quare, sit modò aliqua respublica, in qua honos elucere possit, omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. Is autem, qui verè appellari potest honos, non [3] invitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis est præmium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem, subveni patriæ, opitulare collegæ, omnium gentium consensum & incredibilem conspirationem adjuva. Me tuorum consiliorum adjutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amicissimum, fidelissimúmque cognosces. Ad eas enim causas, quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate conjuncti, patriæ caritas accessit, eáque effecit ut tuam vitam anteferrem meæ. III. Kal. April.

1. *Consulem*] Nam aberat uterque consul, Hirtius & Pansa, ad Mutinam obsidione liberandam profecti. MANUTIUS.

2. *Denique*] Ut paucis dicam, ex quibus reliqua colligi possint. GRÆV.

3. *Invitamentum*] Hoc dicit, quia voluntatem quidem Plancus, transjecto Rhodano, ostenderat, nihil tamen adhuc re ipsa præstiterat: ut, si quid ei tribueretur, invitamentum potiùs, quàm præmium, videri posset. MANUT.

PLANCUS CICERONI.

IMMORTALES ago tibi gratias, agámque, dum vivam. Nam, relaturum me, affirmare non possum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse: nisi fortè (ut tu gravissimè disertissiméque scripsisti) ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cùm memoriâ tenebo. Si de filii tui dignitate esset actum, amabilius certè nihil facere potuisses. Primæ tuæ [1] sententiæ infinitis cum [2] muneribus, posteriores ad tempus arbitriúmque amicorum II

ARG. Gratias agit beneficentiæ Ciceronis, & de suo in remp. studio pollicetur omnia. *Anno* U. C. 710.

1. *Sententiæ*] Dictæ in senatu. MANUT.

2. *Muneribus*] Quæ mihi decernebas. ID.

Digitized by Google

rum meorum compositæ, oratio assidua & perpetua de me, jurgia cum obtrectatoribus propter me, notissima mihi sunt. Non mediocris adhibenda mihi est cura, ut reipublicæ me civem dignum tuis laudibus præstem; in amicitia tua memorem atque gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere, & me, si quem esse voluisti, eum [3] *exitu rebúsque cognoscis, defende ac suscipe. Cùm Rhodanum copias trajecissem, fratrémque cum tribus millibus equitum præmisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem; in itinere, de prælio facto, Brutóque & Mutinâ obsidione liberatis, audivi. Animadverti nullum alium receptum Antonium, reliquiasque, quæ cum eo essent, habere, nisi in his partibus; duásque ei spes esse propositas, unam Lepidi ipsius, alteram exercitûs. Quòd quædam pars exercitûs non minùs furiosa est, quàm qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi. Ipse in Allobrogibus constiti, ut perinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si nudus huc se Antonius conferet, facilè mihi videor per me sustinere posse, rémque publicam ex vestra sententia administrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si verò copiarum aliquid secum adducet, &, si decima legio veterana, quæ nostrâ operâ revocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit; tamen, ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me: idque me præstaturum spero, dum istinc copiæ trajiciantur, conjunctæque nobiscum faciliùs perditos opprimant. Hoc tibi spondeo, mi Cicero, neque animum, nec diligentiam mihi defuturam. Cupio mehercules nullam residuam sollicitudinem esse: sed si fuerit, nec animo, nec benevolentiæ, nec patientiæ cujusquam pro vobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad hujus rei societatem incitem, omniáque ei obsequia polliceor, si modò rempublicam respicere volet. Utor in hac re adjutoribus, interpretibúsque, fratre meo, &* [4] *Laterense, & Furnio nostro. Non me impedient privatæ offensiones, quò minùs pro reipublicæ salute etiam cum inimicissimo consen-*

3. *Exitu rebúsque*] Hoc est, si ipsis factis me talem præstem, qualem tu me esse omnibus testatus es. Ovid. III. Metam. *Vana diu visa est vox auguris : exitus illam Résque probat.* Cic. I. Tusc. *His & talibus auctoribus usi, confirmant causam rebus à diis immortalibus judicatam.* Hoc est, ipso facto dii declararunt. Ovid. II. Fast. *Nil opus est verbis : credite rebus, ait.* GRÆV.

4. *Laterense*] M. Juventio Laterensi, Lepidi legato. MANUTIUS.

consentiam. Quòd si nihil profecero, nihilominus maximo sum animo, & [5] majore fortasse cum mea gloria vobis satisfaciam. Fac valeas, méque mutuò diligas.

5. *Majore*] Quia socium & participem ejusdem gloriæ Lepidum non habebo. ID.

CICERO PLANCO.

ETSI [1] reipublicæ causâ maximè gaudere debeo, tantum ei te præsidii, tantum opis attulisse extremis penè temporibus; tamen ita te victorem complectar, republicâ recuperatâ, ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas [2] afferat, quam & esse jam, & futuram amplissimam intelligo. Cave enim putes ullas unquam literas [3] graviores, quàm tuas, in senatu esse recitatas: ídque contigit cùm meritorum tuorum in rempublicam eximiâ quadam magnitudine, tum verborum, sententiarúmque gravitate. Quod mihi quidem minimè novum, qui & te nossem, & tuarum literarum ad me missarum promissa meminissem, & haberem à Furnio nostro tua penitus consilia cognita. Sed senatui majora visa sunt, quàm erant expectata, non quòd unquam de tua voluntate dubitasset: sed nec, quantum facere posses, nec, quò progredi velles, exploratum satis habebat. Itaque cùm a. d. VII Idus April. manè mihi tuas literas M. Varisidius reddidisset, eásque legissem, incredibili gaudio sum elatus: cúmque magna multitudo optimorum virorum & civium 12

ARG. Gratas senatui Planci literas fuisse, & quæ ejus causâ in senatu acta sint, significat, & ad liberandam remp. diligentissimè hortatur. *Anno* U. C. 710.

1. *Etsi reip.*] Hanc epistolam arbitror illi, quæ est ad senatum populúmque Rom. à Planco scripta, subjungi debere: tum huic eo loco sitæ eam quæ incipit, *Nihil me tibi:* post eam verò addi superiorem, cujus initium, *Immortales ago tibi gratias.* Nam eam quidem quæ incipit, *Etsi satis ex Furnio*, vel omnibus hisce quas modò nominavimus, atque adeo illi ipsi quæ sic inchoatur, *Plura tibi*, puto præponendam, ut sit numero septima. Hoc arbitror ad sententiam literarum consequendam percipiendámque pertinere: in quo jam vel Tironis culpa esse potest. Quòd si quis etiam eam quæ sequitur, præponat huic Planci, quam ultimam hactenus fecimus, cujus initium, *Immortales ago*, non ineptè meo judicio fecerit: atque etiam eas quæ incipiunt, *O gratam famam:* nam ne interpres quidem absurdè est ratiocinatus de conjungendis duabus istis Planci epistolis. BERN. RUTIL.

2. *Adferat*] In Mediceo *adfert* scriptum est: *affert* igitur legi debet: contaminata ab imperito vera lectio fuit, qui, dum credidit se emendare, corrupit. VICTOR.

3. *Graviores*] Manut. *gratiores.*

Digitized by Google

civium me [4] de domo deduceret, feci continuò omnes participes meæ voluptatis. Interim ad me venit [5] Munatius noster, ut consuerat: at ego ei literas tuas: nihil dum enim sciebat. Nam ad me primùm Varisidius, ídque sibi à te mandatum esse dicebat. Paulo pòst idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipsi miseras, & eas, quas publicè. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum, prætorem urbanum, literas deferremus; qui, quòd consules aberant, consulare munus sustinebat [6] more majorum. Senatus est continuò convocatus, frequénsque convênit propter famam, atque expectationem tuarum literarum. Recitatis literis, [7] oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse: ídque [8] à nostro collegio comprobatum est. Itaque res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio; qui cùm gratiâ effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senâtus reliquit, & in alia omnia discessit; meæque sententiæ, quæ secunda pronuntiata erat, cùm frequens assentiretur senatus, rogatu Servilii P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. Venit paratus Servilius, Jovi ipsi iniquus, cujus in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, quantáque contentione Titium intercessorem abjecerim, ex aliorum te literis malo cognoscere. Unum hoc ex meis: senatus gravior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit, quàm tum fuit. Nec verò tibi senatus amicior, quàm cuncta civitas. Mirabiliter enim populus Romanus universus, & omnium generum ordinúmque consensus ad liberandam rempublicam conspiravit. Perge igitur, ut agis, noménque tuum commenda immortalitati: atque hæc omnia, quæ habént

4. *De domo*] Mos fuit, ut principes viri, quoties prodibant, à clientibus deducerentur, reducerenturque; etiam ab amicis & familiaribus. CELLAR.

5. *Munatius*] T. Munatius, de quo in extrema epistola. Hic Planci cognatus potiùs, quàm frater, fuit. Nam ille alter T. Munatius, quem Pedianus ait hujus L. Planci fratrem fuisse, in castris Antonii fuit: ut patet epist. 3. 4. 25. MANUT.

6. *More majorum*] Ejus prima dignitas erat absentibus Coss. IDEM.

7. *Oblata religio Cornuto est*] Hoc est, religione, auspiciis impeditus fuit ne in senatu quicquam ageretur. *Religio* est metus deorum, qui inhibet facere quæ velis. Plaut. Mercator, v. 2. *Religionem illiç objecis: recipiam me illuc.* Hoc est, ex observatione omnis δεισιδαιμονίαν incussit. Christiani dicerent *scrupulum conscientiæ injecit,* ne hoc vel illud faciat. GRÆVIUS.

8. *A nostro collegio*] Augurum. CORRAD.

Digitized by Google

bent speciem gloriæ, collecta inanissimis splendoris insignibus, contemne, brevia, fugacia, caduca existima. Verum decus in virtute positum est; quæ maximè illustratur magnis in rempublicam meritis. Eam facultatem habes maximam: quam quando complexus es, tene; perfice, ut ne minùs respublica tibi, quàm tu reipublicæ debeas. Me tuæ dignitatis non modò fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces. Id cùm reipublicæ, quæ mihi vitâ est meâ carior, tum nostræ necessitudini debere me judico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quòd bene cognitam mihi T. Munatii prudentiam, & fidem, magis etiam perspexi in ejus incredibili erga te benevolentia & diligentia. III. Id. April.

CICERO PLANCO.

UT primùm potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi in te ornando, quod positum esset aut in 13
præmio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipso senatusconsulto poteris cognoscere. Ita enim est perscriptum, ut à me de scripto dicta sententia est: quam senatus frequens secutus est summo studio, magnóque consensu. Ego quanquam ex tuis literis, quas mihi misisti, perspexeram te magis judicio bonorum, quàm insignibus gloriæ delectari: tamen considerandum existimavi, etiam si tu nihil postulares, quantum tibi à republica deberetur. Tu [1] contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Itaque Homerus [2] non Ajacem, nec Achillem, sed [3] Ulyssem appellavit [4] πτολίπορθον.

ARG. De S. C. pro dignitate Planci facto scribit, eúmque hortatur ut Antonianum bellum conficiat. *Anno* U. C. 710.

1. *Contexes extrema cum primis*] Bellum à consulibus & Octavio magnâ jam ex parte profligatum, ipse penitùs, oppresso Antonio, conficies. MANUTIUS.

2. *Non Ajacem, nec Achillem*] Utrumque Ulysse fortiorem. IDEM.

3. *Ulyssem*] Quia bello Trojano, astutiâ suâ capto Ilio & incenso, finem fecit. IDEM.

4. Πτολίπορθον] Vastatorem urbis. Semper eum vocat Homerus πτολίπορθον, ut ait Strabo lib. I. IDEM.

CICERO PLANCO S.

14 O GRATAM famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis. Atque etiam hostibus fusis, spes omnis in te est. Fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. Equidem expectabam jam tuas litteras, idque cum multis. Sperabámque etiam Lepidum, reipublicæ temporibus admonitum, tecum & reipublicæ satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne quæ scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum: & rempublicam divino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequêre. D. III. Non. Mai.

ARG. Laudat Planci studium & celeritatem in auxiliis Bruto collegæ ferendis, hortatúrque ut belli reliquias extinguat. *Anno* U. C. 710.

PLANCUS CICERONI.

15 HIS *literis scriptis, quæ postea accidissent, scire te, ad rempublicam putavi pertinere. Sedulitas mea (ut spero) & mihi, & reipublicæ tulit fructum. Namque assiduis internuntiis cum Lepido egi, ut, omissâ omni contentione, reconciliatâque voluntate nostrâ, communi consilio reipublicæ succurreret: se, liberos, urbémque pluris, quàm unum perditum abjectúmque latronem, putaret: obsequióque meo, si ita faceret, ad omnes res abuteretur. Profeci itaque per Laterensem internuntium. Fidem mihi dedit, se Antonium, si prohibere provinciâ suâ non potuisset, bello persecuturum: me, ut venirem, copiásque conjungerem, rogavit: eóque magis, quòd & Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat. Nam etiam ex paucitate ejus, non multis ante diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me transierunt. Quibus rebus ego cognitis cunctatus non sum: in cursu bonorum consiliorum Lepidum adjuvandum putavi. Adventus meus quid profecturus esset, vidi:*

ARG. Nuntiat quæ ad opprimendum Antonium & egerit, & acturus sit. *An.* U. C. 710.

Digitized by Google

di: vel quòd equitatu meo persequi atque opprimere equitatum ejus possem: vel quòd exercitûs Lepidi eam partem, quæ corrupta est, & ab republica alienata, & corrigere, & coërcere præsentiâ mei exercitûs possem. Itaque in Isara, [1] *flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte, uno die facto, exercitum a. d. quartum Idus Maii traduxi. Cùm verò mihi nuntiatum esset, L. Antonium præmissum cum equitibus &* [2] *cohortibus ad Forum Julii venisse: fratrem cum equitum quatuor millibus, ut occurreret ei, misi a. d. quintum Idus Maii. Ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. Si nos mediocris modò fortuna reipublicæ adjuverit; & audaciæ perditorum, & nostræ sollicitudinis hîc finem reperiemus. Quòd si latro, præcognito nostro adventu, rursus in Italiam se recipere cœperit, Bruti erit officium, occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. Ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiam à vastatione defendat. Fac valeas, méque mutuò diligas.*

1. *Flumine maximo*] Plinius Isaram Rhodano comparat lib. III. cap. 4. MANUT.

2. *Cohortibus*] Tres manipuli, qui & centuriæ dicebantur, unus hastatorum, alter principum, tertius triariorum, cohortem faciebant. Erant autem in singulis manipulis milites CXX. exceptis manipulis triariorum, in quibus erant LX. tantùm; ita fit numerus CCC. militum in cohorte. Aliter Vegetius, mutatâ militiâ. Nos Polybium in manipulis, Ciceronem & Varronem in cohortibus: nam eas Polybius nunquam nominavit. Et cohors quidem, cùm legio peditum sena millia habuit, id est, Ciceronis ætate, ex quadringenis militibus constabat: quod ex epist. 1. lib. I. ad Attic. licet intelligere: cùm verò quaterna tantùm millia, & duceni in cohorte fuere, id est, belli secundi Punici tempore, & deinde aliquanto pòst, non plures quàm tercenos viginti cohors habuit, ex tribus manipulis suprà dictis. IDEM.

CICERO PLANCO.

NIHIL post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, 16
ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quàm tuas, Plance, literas. Redditæ sunt enim frequenti senatu Cornuto, cùm is frigidas sanè & inconstantes recitasset literas Lepidi. Sub eas statim recitatæ sunt tuæ, non sine magnis quidem

ARG. Gratissimas senatui fuisse Planci literas, factúmque S.C. significat, & ut in subitis senatûs consilium ne expectet, sed ipse à sese consilium capiat, auctor est. An. U.C. 710.

dem clamoribus. Cùm rebus enim ipsis essent, & studiis, beneficiísque in rempublicam gratissimæ, tum erant gravissimis verbis, & sententiis. Flagitare senatus [1] institit Cornutum, ut referret statim de tuis literis. Ille se considerare velle. Cùm ei magnum convicium fieret cuncto à senatu, quinque tribuni plebis retulerunt. Servilius rogatus rem distulit. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. Ea quæ fuerit, ex senatus-consulto cognosces. Tu, quanquam consilio non eges, vel abundas potiùs; tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc rejicias: néve in rebus tam subitis, támque angustis à senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus. Quocunque te ratio reipublicæ ducet, sequare. Cures, ut antè factum aliquid à te egregium audiamus, quàm futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid à te erit factum, id senatum non modò ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum.

1. *Institit Cornutum*] Hoc est, cœpit flagitare. Liv. lib. XXIV. *Pro se precibus, puellis saltem ut parcerent, orare institit.* Terent. Hecyr. III. 3. *Hanc habere orationem mecum principio institit.* GræVIUS.

Plancus Ciceroni.

17 *Antonius Id. Maii ad Forum Julii cum primis copiis venit. [1] Ventidius bidui spatio [2] abest ab eo. Lepidus ad Forum Voconii castra habet, qui locus à Foro Julii quatuor & viginti millia passuum abest, ibíque me expectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Quòd si omnia mihi integra & ipse, & fortuna servarit, recipio vobis celeriter me negotium ex sententia confecturum. Fratrem meum, assiduis laboribus concursationibúsque*

Arg. Præsentem belli statum describit, cum excusatione fratris à se dimissi, & commendatione suæ dignitatis. *Anno* U. C. 710.

1. *Ventidius*] P. Ventidius Picens, humili loco natus, qui hoc anno, prætor cùm esset, consul factus est in locum demortui Q. Pedii, suffecti in locum Hirtii ad Mutinam interfecti. Hic à Pompeii Magni patre, ut ait Valerius lib. VI. in triumphum ductus, postea victum sordidè quæsivit, mulis & vehiculis magistratibus, qui sortiti provincias essent, comparandis. Extulit eum deinde sic aut fortuna, aut ejus industria, non modò ut præturam, & eodem anno consulatum gesserit, verùm etiam de Parthis primus triumphaverit, & mortuus publico funere, quod paucissimis contigit, quasi gratiam ejus virtuti populo referente, sit elatus. Suetonius, Gellius, Plutarchus, & alii. Manutius.

2. *Abest ab eo*] Conjunxit se cum Antonio. Epist. 33. 34. & 10. lib. XI. Idem.

Digitized by Google

búsque confectum, graviter se habuisse, anteà tibi scripsi: sed tamen cùm primùm posse ingredi cœpit, non magis sibi, quàm reipublicæ, se convaluisse existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. Sed ego eum non solùm hortatus sum, verùm etiam coëgi istò proficisci: quòd & illâ valetudine magis conficere se, quàm me juvare posset in castris: & quòd acerbissimo interitu [3] consulum rempublicam nudatam, tali cive prætore in urbanis officiis indigere existimabam. Quod si quis vestrûm non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tamen, quod ego desiderabam, fecit ut Apellam ad me mitteret, quo obside [4] fide illius & societatis in republica administranda uterer. Studium mihi suum L. Gellius, [5] de tribus fratribus [6] Sex. Gaviano probavit, quo ego interprete novissimè ad Lepidum sum usus. Amicum eum reipublicæ cognosse videor; libentérque ei sum testimonio, & omnibus ero, qui bene merentur. Fac valeas, méque mutuò diligas, dignitatémque meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum benevolentia fecisti.

3. *Consulum*] Hirtii, & Pansæ. Epistolâ 33. IDEM.

4. *Fide*] Pro *fidei*. Ut *die* pro *diei*, Georg. I. 208. Vide Gellium, IX. 14.

5. *De tribus fratribus*] Probavit, inquit, mihi, in Apella ad me mittendo, studium suum Gellius; in trium autem fratrum negotio, (hoc quale fuerit, ignoratur) Sex. Gaviano. MANUT.

6. *Sex. Gaviano*] MSS. *Segaviano*] Vetus editio, *Segavianis*: unde H. Valesius, *Segalaunis*. Notit. Gall. pag. 581.

PLANCUS CICERONI.

QUID in animo habuerim, [1] cùm Lævus Nervâque discesserunt à me, & ex literis, quas eis dedi, & ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus consiliisque meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti & cupido satisfaciendi reipublicæ bonisque omnibus accidere solet, ut consilium sequerer periculosum magis, dum me probarem, quàm tutum, quod habere posset obtrectationem. Itaque post discessum [2] legatorum, cùm binis continuis literis 18

ARG. Narrat quibus caussis ad Lepidum proficiscatur. *Anno* U. C. 710.

1. *Cùm Lævus*] Quidam legunt *Lernus*, vel *Lerinus*; nos vetustam scripturam reposuimus *Lævus*: eundémque credimus esse hunc & illum de quo sic non multò pòst, *Lævo Cispio dabo perferenda*. VICTOR.

2. *Legatorum*] Lævi Cispii & Nervæ. COR.

ris & Lepidus me ut venirem rogaret, & Laterensis multò etiam magis, propè implorans, obtestaretur, non ullam rem aliam extimescens quàm eandem, quæ mihi quoque facit timorem, varietatem atque infidelitatem exercitûs ejus: non dubitandum putavi quin succurrerem, méque communi periculo offerrem. Sciebam enim, [3] *etsi cautiùs illud erat consilium, expectare me ad Isaram, dum Brutus trajiceret exercitum, & cum collega consentiente, exercitu concordi, & bene de republica sentiente, hostibus obviam ire: tamen, si quid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut pertinaciæ meæ, aut timori videbam, si aut hominem offensum mihi, conjunctum cum republica non sublevassem; aut ipse à certamine belli tam necessarii me removissem. Itaque potiùs periclitari volui, si posset mea præsentia & Lepidum tueri, & exercitum facere meliorem, quàm nimis cautus videri. Sollicitiorem certè hominem* [4] *non suis contractis neminem puto fuisse. Nam, quæ res nullam habebat dubitationem,* [5] *si exercitus Lepidi absit, ea nunc* [6] *magnam affert sollicitudinem, magnúmque habet casum. Mihi enim si contigisset, ut prior occurrerem Antonio, non mehercules horam constitisset: tantum ego & mihi confido, & sic perculsas illius copias, Ventidiíque* [7] *Mulionis castra despicio. Sed non possum non exhorrescere, si quid intra cutem subest vulneris, quod priùs nocere potest, quàm sciri, curaríque possit. Sed certè* [8] *nisi uno loco me tenerem, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitûs adiret, quæ bene de republica sentit. Magnam etiam perditi hostes accessionem sibi fecissent, si quas copias à Lepido abstraxissent. Quæ si adventus meus represserit, agam gratias fortunæ, constantiæque meæ quæ me ad hanc experientiam*

3. *Etsi cautiùs*] Lambinum hîc sequimur, jubente Grævio, Tomo ejus II. p. 411. Præiverat H. Stephanus, *Comment. de variis generibus epist. Cic.* pag. 225.

4. *Non suis contractis*] Nullâ suâ culpâ, ex iis quæ ipse non contraxit. Ex sic ad Q. Fr. lib. I. epist. 1. GRÆVIUS.

5. *Si exercitus Lepidi absit*] Nulla enim tunc infidelitas mihi timorem faciat. CORRAD.

6. *Magnam affert sollicitudinem*] Ingentem mihi subjicit curam, ne scilicet Antonius recipiatur ab exercitu Lepidi, quod evenit. J. F. GRONOV.

7. *Mulionis*] Quia victum comparandis mulis, farréque in castra convehendo, adolescens sibi comparaverat. Vide Plinium lib. VII. cap. 43. MANUT.

8. *Nisi uno loco me tenerem*] Nisi consisterem uno eodémque in loco, in quo exercitum Lepidus haberet. Vel pro, *Nisi*, legendum *Si*: ut hoc dicat: Si manerem in eodem loco, nec ad Lepidum propè accederem. MANUT. Idem tamen in suis posterioribus editionibus habet: *Nisi uno loco metaremur*. Quod J. F. Gronovio placet. Sed vide infrà, epist. 23.

Digitized by Google

tiam excitavit. Itaque a. d. XII *Kal. Jun. ab Isara castra movi: pontem tamen, quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positis, reliqui, præsidiáque ibi firma posui, ut venienti Bruto, exercituíque ejus sine mora transitus esset paratus. Ipse, ut spero, diebus octo, quibus has literas dabam, cum Lepidi copiis me conjungam. Vale.*

CICERO PLANCO.

QUANQUAM gratiarum actionem à te non desiderabam, 19
cùm te re ipsa atque animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda. Sic enim vidi, quasi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? Semper equidem; sed nunquam illustriùs. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt senatui, cùm rebus ipsis, quæ erant gravissimæ & maximæ, fortissimi animi, summíque consilii: tum etiam gravitate sententiarum, atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa & gratia, & gloria. Cupio omnia reipublicæ causâ: sed, mehercules, in ea conservanda jam defatigatus, non multò plus patriæ faveo, quàm tuæ gloriæ: cujus maximam facultatem tibi immortales, ut spero, dedêre, quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissimúmque confecerit. Vale.

ARG. Gratiarum actionem sibi gratam fuisse, & literis ejus senatum delectatum, significat, & ut reliquias belli conficiat, hortatur. *Anno* U. C. 710.

CICERO PLANCO.

ITA erant omnia, quæ istinc afferebantur, incerta, ut, quid 20
ad te scriberem, non occurreret. Modò enim quæ vellemus de Lepido, modò contrà nuntiabantur. De te tamen fama constans, nec decipi posse, nec vinci: quorum alterius fortuna par-

ARG. Petit, ut de Lepidi fide significet, utrum remp. sequatur, an Antonium: hortatúrque, ut reliquias belli opprimat. *Anno* U. C. 710.

Digitized by Google

tem habet quandam: alterum, proprium est prudentiæ tuæ. Sed accepi literas à collega tuo, datas Idibus Maiis, in quibus erat, te ad se scripsisse, à Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris. Sed minùs audes fortasse [1] propter inanem lætitiam literarum superiorum. Verùm, ut [2] errare id, Plance, voluisti, (quis enim id effugerit) sic decipi te non potuisse, quis non videt? Nunc verò etiam jam erroris causa sublata est. Culpa enim illa, [3] *Bis ad eundem*, vulgari reprehensa proverbio est. Sin, ut scripsisti ad collegam, [4] ita se res habet, omni curâ liberati sumus: nec tamen erimus, priusquam ita esse tu nos feceris certiores. Mea quidem, ut ad te sæpiùs scripsi, hæc sententia est: Qui reliquias hujus belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore: quem te & opto esse, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certè nulla esse majora potuerunt, tibi tam grata esse, quàm ego putavi fore, minimè miror, vehementérque lætor. Quæ quidem tu, si rectè istic erit, majora & graviora cognosces. IV. Kal. Jun.

PLAN-

1. *Propter inanem lætitiam literarum superiorum*] Inanis Planci lætitia fuit, quam significavit epist. 15. cùm dixit: *Sedulitas mea reip. tulit fructum.* Quod tamen re ipsa comprobatum postea non est, Lepido neutram in partem inclinante. Propterea non audes, ait Cicero, id credere de Lepido, quod quia credidisti antea, errasse te sentis. MANUT.

2. *Errare*] Quia turpius est decipi, quàm errare; cùm erremus, ut humani; decipiamur, ut incauti; propterea Plancum excusat, & quasi consolatur; quòd erraverit quidem, quia crediderit se esse bono Lepido usurum; deceptus tamen non sit, quia prudentiâ valeret. Præterea verbum *Voluisti*, Plancum liberat ab imprudentiæ culpa. Ipse, inquit, errare voluisti, cùm ea sperasti de Lepido, quæ vera esse cupiebas: non te quisquam in errorem induxit: decipi enim non potes. Quòd si cui, *Errare id*, pro Errare in eo, videatur durius: non esse dissimile sciat, *Peccare multa*; pro in multis: & hujus generis alia. IDEM. Alii, *ut errare, mi Plance* &c.

3. *Bis ad eundem*] Proverbium, quo reprehendi solet is, qui bis ad eundem lapidem offendit. Senarius Græcus de altera ad eundem lapidem offensione à Zenodoto inter adagia refertur, Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν εἰσκρούειν λίθον. Simile illud Publii mimi apud Gellium & Macrobium: *Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.* Et illud Horatii in epistola ad Pisones: *Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem.* IDEM.

4. *Ita se res habet*] A Lepido non recipi Antonium. CORRAD.

PLANCUS CICERONI.

PUDERET *me inconſtantiæ mearum literarum, ſi non hæc ex aliena levitate penderent. Omnia feci, quare Lepido conjuncto ad rempublicam defendendam, minore ſollicitudine veſtra, perditis reſiſterem. Omnia ei petenti recepi, & ultro pollicitus ſum, ſcripſíque tibi biduo antè, confidere me, bono Lepido eſſe uſurum, communíque conſilio bellum adminiſtraturum. Credidi chirographis ejus, affirmationi præſentis Laterenſis, qui tum apud me erat; reconciliarémque me Lepido, fidémque haberem, orabat. Non licuit diutiùs bene de eo ſperare. Illud certè cavi, & cavebo, ne meâ credulitate reipublicæ ſumma fallatur. Cùm, in Iſara flumine uno die ponte effecto, exercitum traduxiſſem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quòd petierat per literas ipſe, ut maturarem venire: præſtò mihi fuit ſtator ejus cum literis, quibus ne venirem denuntiabat; ſe poſſe per ſe conficere negotium; interea ad Iſaram expectarem. Indicabo temerarium meum conſilium tibi: nihilominùs ire decreram, exiſtimans eum ſocium gloriæ vitare. Putabam poſſe me nec de laude* [1] *jejuni hominis delibare quidquam, & ſubeſſe tamen propinquis locis, ut, ſi durius aliquid eſſet, ſuccurrere celeriter poſſem. Ego non malus homo hoc ſuſpicabar. At Laterenſis, vir ſanctiſſimus, ſuo chirographo mittit mihi literas, in eíſque deſperans de ſe, de exercitu, de Lepidi fide, querénſque ſe deſtitutum: in quibus apertè denuntiat, videam ne fallar; ſuam* [2] *fidem ſolutam eſſe; reipublicæ ne deſim. Exemplar ejus chirographi Titio miſi. Ipſa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea quibus fidem non habendam putavi, Lævo Ciſpio dabo perferenda,* 21

ARG. Perfidiam Lepidi, conjunctionémque cum Antonio nuntiat: ſubſidium copiarum mitti poſtulat: ſuam dignitatem commendat. *Anno* U. C. 710.

1. *Jejuni hominis*] Non eſt laudem appetentis, ſed maligni, qui quicquid in alium laudis & gloriæ confertur, ſibi decedere exiſtimat. Sic ſuprà lib. II. epiſt. 17. *Illud verò puſilli animi & ipſâ malevolentiâ jejuni atque inanis; quòd Ariobarzanem, quia ſenatus per me regem appellavit, mihique commendavit, iſte in literis non regem, ſed regis Ariobarzanis filium appellat.* Sic alibi dicit *animum nimis anguſtum & jejunum.*

2. *Suam fidem ſolutam eſſe*] Se jam promiſſis non teneri. Obſtrinxerat enim ſuam fidem Laterenſis, promiſerátque omnia de Lepido: mox, ubi recipi Antonium à Lepido vidit, ſcripſit Planco, ſe deſtitutum à Lepido, nec jam ea, quæ antea, polliceri. Contrario ſenſu Terentius in Andr. dixit: *Solviſti fidem*; pro, fregiſti. MANUT.

da, qui omnibus his interfuit rebus. Accessit eò, ut milites ejus, cùm Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos qui præsunt [3] *Canidios, Rufrenósque, & cæteros, quos, cùm opus erit, scietis, conclamarint viri boni, pacem se velle, neque esse cum ullis pugnaturos, duobus jam consulibus* [4] *singularibus occisis, tot civibus pro patria amissis, hostibus denique* [5] *omnibus judicatis, bonísque publicatis. Neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut sanarat. Huc me venire, & duobus exercitibus conjunctis objicere exercitum fidelissimum, auxilia maxima, principes Galliæ, provinciam cunctam, summæ dementiæ & temeritatis esse vidi: mihíque, si ita oppressus essem, rémque publicam mecum prodidissem, mortuo non modò honorem, sed misericordiam quoque* [6] *defuturum. Itaque rediturus sum, nec tanta munera perditis hominibus dari posse sinam. Ut exercitum locis habeam opportunis, provinciam tuear, etiam si ille exercitus descierit, omnidque integra servem, dabo operam, quoad exercitus huc summittatis,* [7] *parique felicitate rempublicam hîc vindicetis. Nec depugnare, si occasio tulerit; nec obsideri, si necesse fuerit; nec mori, si casus inciderit, pro vobis, paratior fuit quisquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc trajiciendum quàm primùm cures; & matures priùs, quàm hostes magis corroborentur, & nostri perturbentur. In quo si celeritas erit adhibita, Respublica in possessione victoriæ, deletis sceleratis, permanebit. Fac valeas, méque diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum civem & ad omnia paratissimum, excusem literis? qui ex labore in febriculam incidit assiduam & satis molestam. Cùm primùm poterit istuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco reipublicæ desit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. Concupiscere me nihil oportet. Habeo te & amantissimum mei, &, quod optavi, summæ auctoritatis. Tu videris, quantum & quando tuum munus apud me velis esse. Tantùm te rogo in Hirtii locum me subdas, & ad tuum amorem, & ad meam observantiam.*

CICE-

---

3. *Canidios, Rufrenósque*] Legatos, vel tribunos militum, aut præfectos, & centuriones. MANUT.

4. *Singularibus*] Hittorpianus non agnoscit, & vereor ne ex *consulibus* sit corruptum. Nec enim video quem hic locum commodè possit habere, & cur milites illos consules appellarint singulares. Lambinus mallet *singularibus viris*. Sed præstat *singularibus* recidere. GRÆV.

5. *Omnibus*] Antonium secutis. MANUT.

6. *Defuturum*] Vide Gell. I. cap. 7. & Sanctii Minerv. lib. III. cap. 11. GRÆV.

7. *Parique felicitate*] Ut ad Mutinam.

Digitized by Google

CICERO PLANCO.

IN te & in collega omnis ſpes eſt, diis approbantibus. Concordiâ veſtrâ, quæ ſenatui declarata literis veſtris eſt, mirificè & ſenatus & cuncta civitas delectata eſt. Quod ad me ſcripſeras de re agraria: ſi conſultus ſenatus eſſet, ut quiſque honorificentiſſimam de te ſententiam dixiſſet, eam ſecutus eſſem: qui certè ego fuiſſem. Sed, propter tarditatem ſententiarum, morámque rerum, cùm ea, quæ conſulebantur, ad exitum non pervenirent; commodiſſimum mihi Plancóque fratri viſum eſt, [1] uti eo, quod ne noſtro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci literis cognoviſſe. Sed ſive in ſenatus-conſulto, ſive in cæteris rebus deſideras aliquid, ſic tibi perſuade, tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem, ut nullum genus ampliſſimæ dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maximè opto. Vale. 22

ARG. Reſpondet Planco, qui agris dividendis præfici cupiebat. *Anno* U. C. 710.

1. *Uti eo*] Vel deeſt, vel certè ſubauditur, S. C. ut infrà patet. MANUT.

PLANCUS CICERONI.

NUNQUAM *mehercules, mi Cicero, me pœnitebit maxima pericula pro patria ſubire, dum, ſi quid acciderit mihi, à reprehenſione temeritatis abſim. Confiterer imprudentiâ me lapſum, ſi unquam Lepido ex animo credidiſſem. Credulitas enim error eſt magis, quàm culpa, & quidem in optimi cujuſque mentem facillimè irrepit. Sed ego non hoc vitio penè ſum deceptus: Lepidum enim pulchrè noram. Quid ergo eſt? Pudor me, qui in bello maximè eſt periculoſus, hunc caſum coëgit ſubire. Nam* [1] *ſi uno loco eſſem, verebar ne cui obtrectatorum viderer & nimiùm pertinaciter Lepido offenſus, &* [2] *meâ patientiâ etiam alere bellum. Ita-* 23

 que

ARG. Excuſat ſe, quòd Lepido crediderit: accepto de conjunctione Lepidi & Antonii nuntio, ſuas copias retraxiſſe ſignificat; auxilium poſtulat. *Anno* U. C. 710.

1. *Si uno loco eſſem*] Manut. & Lamb. *niſi uno loco eſſemus.*

2. *Meâ patientiâ*] *Meâ pertinaciâ*, aliis magis placet. CORRADUS.

que copias propè in conſpectum Lepidi Antoniíque adduxi, quadragintáque millium paſſuum ſpatio relicto[3] *conſedi, eo conſilio, ut vel celeriter accedere, vel ſalutariter recipere me poſſem. Adjunxi hæc, in loco eligendo, flumen oppoſitum ut haberem,*[4] *in quo mora tranſitûs eſſet:*[5] *Vocontii*[6] *ſub manu ut eſſent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus, deſperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, ſe cum Antonio conjunxit a. d.* IV *Kal. Junias: eodémque die ad me caſtra moverunt. Viginti millia paſſuum cùm abeſſent, res mihi nuntiata eſt. Dedi operam deûm benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic diſceſſus nihil fugæ ſimile haberet: non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum omitteretur, aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur. Itaque pridie Non. Jun. omnes copias Iſaram trajeci, pontéſque, quos feceram, interrupi, ut ſpatium ad colligendum ſe homines haberent, & ego me interea cum collega conjungerem, quem triduo, cùm has dabam literas, expectabam. Laterenſis noſtri & fidem, & animum ſingularem in rempublicam ſemper fatebor. Sed certè nimia ejus indulgentia in Lepidum ad hæc pericula perſpicienda facit eum minùs ſagacem. Qui quidem cùm in fraudem ſe deductum videret, manus, quas juſtiùs in Lepidi perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. In quo caſu tamen interpellatus, & adhuc vivit, & dicitur*[7] *victurus. Sed tamen de hoc mihi parum certum eſt. Magno cum dolore parricidarum*[8] *elapſus ſum his. Veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati. Iracundias autem harum rerum recentes habebant: quòd Lepidum caſtigare non deſtiteram, ut extingueret*

3. *Conſedi*]. Hoc eſt, caſtra metatus ſum.

4. *In quo mora tranſitûs eſſet*] Quod tranſitum retardaret. QUARTERIUS.

5. *Vocontii*] Plin. lib. III. cap. 4.

6. *Sub manu*] Propinqui. Græcum loquendi genus. MANUT.

7. *Victurus*] Non vixit: ut Velleius libro II. Dio lib. XLVI. ſcriptum reliquere. IDEM.

8. *Elapſus ſum his*] Dictio *his*, cùm oleret mendum, ſcripſi ad amiciſſimum meum, ut is mihi, de ea quid ſentiret, exponeret. Reſcripſit, corruptam ſe jam pridem judicaſſe: nuper autem cariſſimæ virtutis, & ſummæ nobilitatis hominem, Benedictum Accoltum, Ravennæ Cardinalem, quem ego honoris amplitudiníſque causâ nomino, cum has Ciceronis epiſtolas ſuccìſivis temporibus legendo percurreret, eam emendaſſe, nempe ſic, *Elapſus ſum bis*: ut ſe dicat Plancus periculum bis effugiſſe, ſemel, cùm ad Lepidum non acceſſit, neque ſe unquam cum eo voluit conjungere: quod ſi feciſſet, ipſe cum univerſo exercitu in Antonii poteſtatem Lepido prodente deveniſſet: iterùm, cùm audito Lepidi Antoniíque adventu, celeriter ſe recepit. MANUT.

ret bellum: quòd [9] colloquia facta improbabam: quòd [10] fide Lepidi missos ad me in conspectum venire vetaveram: quòd C. Catium Vestinum, tribunum militum, missum ab Antonio ad me cum literis, exceperam. In quo hanc capio voluptatem, quòd certè, quo magis me petiverunt, tanto majorem his frustratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem præsta, ut vigilanter nervoséque nos, qui stamus in acie, subornes. Veniat [11] Cæsar cum copiis, quas habet firmissimas: aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus mittatur: [12] cujus ipsius magnum agitur periculum. Quidquid aliquando futurum fuit in castris perditorum contra patriam, hoc omne jam convênit. Pro urbis verò salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? quòd si vos istic non defueritis, profectò, quod ad me attinet, omnibus rebus abundè reipublicæ satisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies, mehercules, habeo cariorem: sollicitudinésque meas quotidie magis tua merita exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex judicio tuo perdam. Opto, ut mihi liceat jam, præsenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere jucundiora. Octavo Idus Jun. [13] Cularone, ex finibus Allobrogum.

PLAN-

9. *Colloquia facta*] A Lepido cum Antonio, vel cum iis, quos ad eum Antonius miserat. IDEM.

10. *Fide Lepidi*] Promiserat Lepidus, Antonii legatos, ab eo ad Plancum missos, incolumes esse reversuros. Ii qui fuerint, non constat. Nam C. Catium, infrà statim nominatum, non ad Plancum, sed ad Lepidum esse missum suspicor: & hic exceptus est, illi in conspectum venire vetiti. IDEM.

11. *Cæsar*] C. Octavius Cæsar. CORR.

12. *Cujus ipsius magnum periculum agitur*] Erat enim & Antonius inimicus. Epist. 23. lib. XII. MANUT.

13. *Cularone*] *Cularo* nominatur in Tabula Itineraria Peutingeri, & in Notitia Imperii, quæ Tribunum cohortis primæ Flaviæ *Cularone* in Sabaudia stationem habuisse docet. Unde muri *Cularonenses* hodiéque leguntur in antiqua inscriptione portæ civitatis. Postea ab Imperatore Gratiano dicta *Gratianopolis*. In epistola L. Planci ad Ciceronem, quæ est 23. lib. X. ad Fam. legendum jam olim censuimus in ultimis verbis, *Cularone* in finibus Allobrogum, non *Civarone* ut vulgò edi solet. *Fines Allobrogum* facit Gratianopolim, quia ad Isaram posita est, qui Allobroges claudit, separátque à Vocontiis. SIRMONDUS, *In Sidon. Apollin.* III. 14.

PLANCUS IMP. COS. DESIGN. CICERONI S. D.

24 FACERE *non possum, quin in singulas res meritáque tua tibi gratias agam. Sed mehercules facio cum pudore. Neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem. Neque ego libenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis: & malo præsens observantiâ, indulgentiâ, assiduitate, memorem me tibi probare. Quòd si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates, in tui observantia,* [1] *indulgentia, assiduitate vincam. Amor enim tuus, ac judicium de me, utrùm mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facilè dixerim.* [2] *De militum commodis fuit tibi curæ: quos ego non potentiæ meæ causâ (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari volui à senatu: sed primùm, quòd ita meritos judicabam: deinde, quòd ad omnes casus conjunctiores reipublicæ esse volebam:* [3] *novissimè, ut ab omni omnium sollicitatione aversos eos, tales vobis præstare possem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hîc omnia* [4] *integra sustinuimus. Quod consilium nostrum, etsi, quanta sit aviditas hominum, non sine causa, talis victoriæ, scio, tamen vobis probari spero. Non enim, si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia respublica habet expedita, quibus subito* [5] *impetu ac latrocinio parricidarum resistat. Copias verò nostras notas tibi esse arbitror. In castris meis legiones sunt veteranæ tres, tironum vel luculentissima ex omnibus*

ARG. Se memorem beneficiorum pollicetur: suas copias narrat: subsidium Cæsariani aut Africani exercitûs poscit: Octavianum, ut parum reipub. amantem, carpit. *Anno* U. C. 710.

1. *Indulgentiâ*] Id est, obsequio. CELL. Mallem, *diligentiâ.* LAMBIN.

2. *De militum commodis*] *Commoda* propriè dicuntur in re militari dona & præmia, quæ militibus præter stipendium tribuuntur. GRÆVIUS.

3. *Novissimè*] Tiro scripsit in Pandectis, non rectè dici *Novissimè*: adjicitque, quòd sua cœperit ætate id adverbium, ubi Flavius Caper de Latinitate, *Miror*, inquit, *id dixisse Tironem: cùm Valerius Antias libro secundo, Mater, cùm* novissimè *ægrotasset, inquit, vovisse fertur.* Idem 22. *Quòd novissimè nobiscum fœdus fecissent.* Hæc Carisius. MANUTIUS.

4. *Integra sustinuimus*] Non, nihil damni passi sumus, sed, rempub. in discrimen non adduximus, prælium vitavimus. Confirmant hanc sententiam ea, quæ sequuntur. Epist. 21. alio sensu dixit, *Omnia, ut integra servem.* IDEM.

5. *Impetu*] Pro, impetui: ut Virgilius Georg. IV. *Concubitu indulgent.* IDEM.

Digitized by Google

bus una: in castris Bruti una veterana legio, altera bima, octo tironum. Ita universus exercitus numero amplissimus est, [6] firmitate exiguus. Quantum autem in acie tironi sit committendum, nimiùm sæpe expertum habemus. Ad hoc robur nostrorum exercituum, sive [7] Africanus exercitus, qui est veteranus, sive Cæsaris accessisset, æquo animo summam rempublicam [8] in discrimen deduceremus. Aliquanto autem [9] propius esse, quod ad Cæsarem attinet, videbamus. Nihil destiti eum literis hortari, neque ille intermisit affirmare, se sine mora venire: cùm interim aversum illum ab hac cogitatione [10] ad alia consilia video se contulisse. Ego tamen ad eum Furnium nostrum cum mandatis literisque misi, si quid fortè proficere posset. Scis tu, mi Cicero, quod ad Cæsaris amorem attinet, societatem mihi esse tecum: vel quòd in familiaritate Cæsaris, vivô illô, jam tueri eum & diligere fuit mihi necesse: vel quòd ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi atque humanissimi fuit sensûs: vel quòd ex tam insigni amicitia mea, atque Cæsaris, hunc filii loco, & illius & [11] vestro judicio substitutum, non proinde habere turpe mihi videtur. Sed quidquid tibi scribo, dolenter mehercule magis, quàm inimicè, facio. Quòd vivit Antonius hodie, quòd Lepidus unà est, quòd exercitus habent non contemnendos, quòd sperant, quòd audent, id omne Cæsari acceptum referre possunt. Neque ego superiora repetam. Sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se venire, si venire voluisset, aut oppressum jam bellum esset, aut in [12] adversissimam illi Hispaniam cum detrimento eorum maximo detrusum. Quæ mens eum, aut quorum consilia à tanta gloria, sibi verò etiam necessaria ac salutari, avocarint, & ad cogitationem consulatûs [13] bimestris, summo cum terrore hominum, & insulsa cum efflagitatione transtule-

6. *Firmitate exiguus*] Tirones enim multis partibus plures, quàm veterani. MANUT.

7. *Africanus exercitus*] Cui T. Sextus & Q. Cornificius præerant. CORRADUS.

8. *In discrimen*] In discrimen Martis, sive prælium rem deducerem, nec dubitarem pugnare. CELLARIUS.

9. *Propius*] Propior erat Cæsaris Octaviani exercitus, quàm Africanus. IDEM.

10. *Ad alia consilia*] Triumphi & Consulatûs petitionem. CORRADUS.

11. *Vestro judicio*] Testimonio adoptionis publicæ à Prætoribus ex more descripto, & illo Cæsaris nomine, & tot honoribus ornato. IDEM.

12. *Adversissimam*] Propter Asinium Pollionem, qui ibi habet exercitum. IDEM.

13. *Bimestris*] Aut, *Quinquemestris*, legendum; cùm quinque menses, non duo, superessent ad exitum anni, ut dies huic epistolæ adscripta declarat: aut *Bimestris*, dixit, pro, Exigui temporis. MANUTIUS.

Digitized by Google

tulerint, exputare non possim. Multum in hac re mihi videntur necessarii ejus, & reipublicæ, & ipsius causâ proficere posse; plurimum, ut puto, tu quoque, cujus ille tanta merita habet, quanta nemo, præter me. Nunquam enim obliviscar, maxima ac plurima me tibi debere. De his rebus, [14] *ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. Quòd si, quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem, plurimùm ipsum juvero. Nos interea duriore conditione bellum sustinemus, quòd neque* [15] *expeditissimam dimicationem putamus, neque tamen refugiendo commissuri sumus, ut majus detrimentum respublica accipere possit. Quòd si aut Cæsar se respexerit, aut Africanæ legiones celeriter venerint, securos vos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas rogo, propriéque tuum esse, tibi persuadeas.* v. *Kal. Sext. ex castris.*

14. *Ut exigeret cum eo*] Frustrà Lambinus *ut ageret cum eo.* Atqui hoc ipsum est *exigeret cum eo.* Senec. epist. 28. *Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar; in secretum te meum admitto, & te adhibito mecum exigo.* Plin. lib. V. epist. 12. *Ex illis enim vel præcipuè sentio, quantopere me diligas, cùm sic exegeris mecum, ut solitus cum tuo filio.* Liv. XXII. cap. 49. *Hæc exigentes priùs turbâ fugientium civium, deinde hostes oppressere.* J. F. Gronovius.

15. *Expeditissimam*] A verbo Expedit. Man.

Cicero [1] Furnio S. D.

25 SI interest, id quod homines arbitrantur, reipublicæ te, ut instituisti atque fecisti, navare operam, rebúsque maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinent, interesse; nihil videris melius, neque laudabilius, neque honestius facere posse: istámque operam tuam, navitatem, animum in rempublicam celeritati præturæ anteponendum censeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, ídque ipsius Planci testimonio, præterea famâ, [2] scientiáque omnium. Quamobrem si quid operis tibi etiam nunc restat, id maximo opere censeo persequendum. Quid enim honestius? aut quid honesto anteponendum? Sin autem satisfactum reipu-

Arg. Modestè reprehendit in Furnio præproperam adipiscendæ præturæ festinationem. *Anno* U. C 710.

1. *Furnio*] Planci legato. Ad petendam præturam contendere cupiebat, cùm nondum ipsius annus esset. Manutius.

2. *Scientiáque omnium*] *Sententiáque omnium*, placeret. Idem.

reipublicæ putas, celeriter ad [3] comitia, quando maturè futura sunt, veniendum censeo: dummodo ne hæc ambitiosa festinatio aliquid imminuat ejus gloriæ, quam [4] consecuti sumus. Multi clarissimi viri, cùm reipublicæ [5] darent operam, annum petitionis suæ non obierunt. Quod eò facilius nobis est, quòd non est annus hic tibi destinatus: ut, si ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc [6] nihil prætermittere videbere usitati, & quasi legitimi temporis ad petendum. Video autem, Planco consule, etsi etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam fore, si modò ista ex sententia confecta essent. Omnino plura me scribere, cùm tuum tantum consilium judiciùmque sit, arbitrabar non ita necesse: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nolebam. Cujus est hæc summa, ut omnia te meriti dignitate malim, quàm ambitione: majorémque fructum ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate præturæ. Hæc eadem locutus sum domi meæ, adhibito Q. fratre meo, & Cæcina, & Calvisio, studiosissimis tui, cùm Dardanus, libertus tuus, interesset. Omnibus probari videbatur oratio mea. Sed tu optimè judicabis. Vale.

3. *Comitia*] Prætorum. Nam consulum sequentis anni necessaria non erant: cùm Plancus & Brutus jam antea designati essent à Cæsare Parthicum bellum cogitante. IDEM.

4. *Consecuti sumus*] Quam consecutus es. Conjunxit utriusque laudem, ut ostendat amorem suum: amicorum enim omnia communia. MANUT.

5. *Darent operam*] Foris. *Non obierunt*: Non venerunt ad petendum. IDEM.

6. *Nihil*] Si manebis in provincia, & ad Comitia prætoria non venies. IDEM.

M. CICERO FURNIO S. D.

LECTIS tuis literis, quibus declarabas, aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum; [1] illud magis timui: quod vitatum non molestè fero. Quod de Planci & Bruti concordia scribis, in eo vel maximam spem pono victoriæ. De Gallorum studio nos aliquando noscemus, ut scribis, cujus id operâ maximè excitatum sit. Sed jam (mihi crede) [2] cognovimus. Itaque jucundissimis tuis literis stomachatus sum in 26

ARG. Scripserat Furnius, se ad comitia prætoria venturum. Dissuadet Cicero, comitiáque dilata significat. *Anno* U. C. 710.

1. *Illud magis timui*] Ut omitteretis Narbonenses, quod non fecisse vos lætor. J. F. GRONOV. Corradus & Quanterius de dimicatione interpretantur.

2. *Cognovimus*] Tuâ videlicet operâ excitatum: id enim Furnius modestè significaverat. MANUTIUS.

in extremo. Scribis enim, si [3] in Sextilem comitia, citò te: sin jam confecta, citiùs, ne diutiùs cum periculo fatuus sis. O mi Furni, quàm tu causam tuam non nosti, qui alienas [4] tam facilè discas! Tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curras: aut, si jam confecta, domi tuæ sis: scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis. Non arbitror te ita sentire. Omnes enim tuos ad laudem impetus novi. Quòd si, ut scribis, ita sentis; non magis te, quàm de te judicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratûs levissimi & divulgatissimi, si ita adipiscare, ut plerique, præpropera festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cælum jure & verè ferunt? Scilicet id agitur, utrùm hac petitione, an proximâ prætor fias: non, ut ita de republica mereare, omni honore ut dignissimus judicere? Utrùm nescis, quàm altè ascenderis? an pro nihilo id putas? Si nescis, tibi ignosco; nos in culpa sumus. Sin intelligis; ulla tibi est prætura, vel [5] officio, quod pauci, vel gloriâ, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Calvisius, homo magni judicii, tuíque amantissimus, te accusamus quotidie. Comitia tamen, quando ex his pendes, quantum facere possumus, quòd multis de causis reipublicæ arbitramur conducere, in Januarium mensem protrudimus. Vince igitur, & vale.

3. *In Sextilem*] Indicta sint. *Citò te*: Venturum Romam. MANUT.

4. *Tam facilè discas*] *Docere causam* dicitur, qui pro se acturum patronum instruit: *discere*, qui defensurus est. Cicer. II. de Orat. *Nihil est negotii hujusmodi causam cognoscere. Rectè igitur de causa discenda nihil præcipitur.* Et rursùm, *Nisi fortè existimatis à Manio Curio causam didicisse L. Crassum.* J. F. GRONOVIUS.

5. *Officio*] Honestati, quam non nisi emendatissimi propositam habent. IDEM.

CICERO LEPIDO S.

27 QUòD mihi, pro summa erga te benevolentia, magnæ curæ est, ut quàm amplissimâ dignitate sis, molestè tuli, te senatui gratias non egisse, cùm esses ab eo ordine [1] ornatus summis

ARG. Lepidum leviter objurgat, quòd summis honoribus ornatus ab senatu, gratias non egerit: & ne pacem cum Antonio conciliare nitatur, admonet. *Anno* U. C. 710.

1. *Ornatus summis honoribus*] Supplicatione ei decretâ, ut Phil. III. legimus, pòst etiam triumpho, ut Phil. XIII. & statuâ equestri inauratâ: de qua, Phil. V. MAN.

Digitized by Google

mis honoribus. Pacis inter cives conciliandæ te cupidum esse lætor. Eam si à servitute sejungis, consules & reipublicæ, & dignitati tuæ. Sin ista pax perditum hominem [2] in possessionem impotentissimi dominatûs restitutura est, hoc animo scito esse omnes sanos, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientiùs, meo quidem judicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque senatui, nec populo, neque cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, videbis.

2. *In possessionem*] Unde prælio Mutinensi dejectus erat Antonius. IDEM.

CICERO [1] TREBONIO S.

QUAM vellem [2] ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis invitasses! [3] reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum his tantum negotii est, ut vestrum illud divinum in rempublicam beneficium nonnullam habeat querelam. Quòd verò à te, viro optimo, [4] seductus est, tuóque beneficio adhuc vivit hæc pestis: interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor. Mihi enim negotii plus reliquisti uni, quàm, præter me, omnibus. Ut enim primùm post Antonii [5] fœdissimum discessum senatus haberi liberè potuit, ad illum animum meum reverti pristinum, quem tu cum cive acerrimo, patre tuo, in ore & amore semper habuisti. Nam, cùm senatum a. d. XIII Kal. Januarias tribuni 28

ARG. Dolet se non fuisse participem conjurationis in Cæsarem, ut Antonium unà oppressissent, qui nunc tantas turbas cieat: deinde suum libertatis recuperandæ studium declarat. *Anno* U. C. 710.

1. *Trebonio*] Viro consulari, Asiam regenti, post obitum Cæsaris. Epist. 16. lib. XII. & Plutarchus in Bruto. Unus fuit ex iis, qui de Cæsare necando conjuraverant. Occidit eum postea Dolabella. Epist. 12. lib. XII. Dio lib. XLVII. MANUT.

2. *Ad illas pulcherrimas epulas*] Ad facinus illud egregium, cùm Cæsarem idibus Mart. occidistis. IDEM.

3. *Reliquiarum nihil haberemus*] Non modò Cæsar, sed Antonius quoque interfectus esset. Simile principium epist. 4. lib. VI. *Vellem idibus Mart. me ad cœnam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent.* IDEM.

4. *Seductus est*] Philip. XIII. *O Spartace, sceleratum Trebonium ausus es scribere? quo scelere, nisi quòd te idibus Mart. à debita tibi peste seduxit?* Idem ex Dionis lib. XLIV. cognovimus. IDEM.

5. *Fœdissimum discessum*] Ex urbe in Galliam Cisalpinam. CORRAD. Vide Philip. III. cap. 9. extremo.

Digitized by Google

buni plebis vocavissent, [6] déque alia re referrent, totam rempublicam sum complexus, egíque acerrimè, senatúmque jam languentem & defessum ad pristinam virtutem consuetudinémque revocavi, magis animi, quàm ingenii viribus. Hic dies, meáque contentio atque actio, spem primùm populo Romano attulit libertatis recuperandæ. Nec verò ipse postea tempus ullum intermisi de republica non cogitandi solùm, sed etiam agendi. Quod nisi res urbanas actáque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem; quanquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces ex aliis; à me pauca, & ea summatim. Habemus fortem senatum, consulares partim timidos, partim malè sentientes. Magnum damnum factum est [7] in Servio. L. Cæsar optimè sentit: sed, quod [8] avunculus est, non acerrimas dicit sententias. Consules egregii: præclarus D. Brutus: [9] puer egregius Cæsar, de quo spero equidem reliqua. Hoc verò certum habeto, nisi ille [10] veteranos celeriter conscripsisset, [11] legionésque duæ de exercitu Antonii ad ejus se auctoritatem [12] contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuisse. Hæc tibi etsi audita esse arbitrabar, volui tamen notiora esse. Plura scribam, si plus otii habuero. Vale.

CICE-

---

6. *Déque alia re*] De præsidio Coss. designatorum. Epist. 6. lib. XI. CORRAD.

7. *In Servio*] Sulpicio. Vide Philip. IX.

8. *Avunculus*] M. Antonii. IDEM.

9. *Puer egregius Cæsar*] Modò adolescentem, modò puerum, quò magis laudet, Cæsarem appellat. Annum enim agebat XIX. ut Velleius Tacitúsque literis mandarunt. Epist. 7. lib. I. *Ne adolescentem vel puerum potiùs Cæsarem judices temerè fecisse.* Et Epist. 25. lib. XII. *Puer egregius præsidium sibi primum & nobis, deinde summæ reip. comparavit.* Et epist. ad M. Brutum: *Cæsaris pueri mirifica indoles virtutis.* Et Phil. III. *C. Cæsar, adolescens, penè potiùs puer*, &c. Item Phil. IV. & alibi. MANUTIUS. Indignissimè tulit Octavius, se *puerum* appellari, & inter præcipuos prætextus bellorum civilium hic fuit, teste Dione lib. XLVI. Hinc senatus decrevit, ne Octavius vocaretur *puer*, ut notavit Servius ad Virgil. Eclog. I. v. 44. Vide Casaub. ad Sueton. August. cap. 12. & Cic. Philip. XIII. cap. 11. Novendecim annorum erat Octavius, cùm hoc bellum susciperet contra Antonium. GRÆV.

10. *Veteranos*] Cic. Philip. V. cap. 8. & 16. Sueton. Aug. cap. 10. Hæc legio *Evocatorum* fuit appellata, quòd missi facti à militia rursus ad eam convocarentur. Dion. lib. XLV. IDEM.

11. *Legionésque duæ*] Martia & quarta. CORRAD. Vide Vell. Paterc. II. 61. Cic. Philip. V. 11. & XI. 8.

12. *Contulissent*] Relicto M. Antonio, Brundusium revertente. CORRAD.

Digitized by Google

CICERO [1] AMPIO BALBO.

DE meo ſtudio erga ſalutem & incolumitatem tuam, credo te cognoſſe ex literis tuorum: quibus me cumulatiſſimè ſatisfeciſſe certò ſcio: nec his concedo, quanquam ſunt ſingulari in te benevolentiâ, ut te ſalvum malint, quàm ego. Illi mihi neceſſe eſt concedant, ut tibi plus, quàm ipſi, hoc tempore prodeſſe poſſim: quod quidem nec deſtiti facere, nec deſiſtam: & jam in maxima re feci, & fundamenta jeci ſalutis tuæ. Tu fac bono animo magnóque ſis, méque tibi nulla re defuturum eſſe confidas. Pridie Nonas Quintiles. 29

ARG. De ſtudio ſuo erga Appium exulantem ſcribit, eúmque bonam ſpem habere jubet. *Anno* U. C. 710.

1. *Ampio Balbo*] Sic Manutius, & Sigonius. Alii, *Appio Sal.* Quis tamen Appius ille fuerit, neſciunt interpretes.

[1] GALBA CICERONI S.

SEPTIMO-DECIMO *Kalend. Maii, quo die Panſa in caſtris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obviam proceſſeram millia paſſuum centum, quò maturiùs veniret) Antonius legiones eduxit duas, ſecundam, & quintam-tricesimam, &* [2] *cohortes prætorias duas, unam ſuam, alteram Silani,* [3] *evocatorum partem. Ita obviam venit nobis, quòd nos quatuor legio-* 30

ARG. Galba prælium exponit ad Mutinam factum, victoriámque de Antonio relatam. *Anno* U. C. 710.

1. *Galba*] Periti rerum Romanarum, Sulpiciæ gentis cognomen eſſe Galbam, non ignorant. Si quis teſtimonium quærit, Suetonium legat, qui nepotem hunc fuiſſe ait Ser. Galbæ illius, temporum ſuorum eloquentiſſimi, proavum autem Galbæ imperatoris: quem utrumque Sulpicium fuiſſe, tum Suetonius ipſe, tum alii teſtantur. Addit idem: Galbam hunc, ob repulſam conſulatûs, infenſum Julio Cæſari, cujus legatus in Gallia fuerat, conſpiraſſe in eum cum Caſſio & Bruto. Quod Appianus lib. II. & Antonii confirmat epiſtola, ad Hirtium Octavianúmque Cæſarem miſſa: cujus habes verba Phil. XIII. *cap.* 16. MANUT.

2. *Cohortes prætorias*] Erant grandes & edecumatæ, quæ circa Imperatorem erant, inſtitutæ primò à P. Scipione. Vide Feſtum *Prætoria cohors.* Olim autem tantùm unam habebat Imperator, ſed per bella civilia auctæ ſunt hæ cohortes, & unus plures habebat. Vide J. Lipſ. lib. II. de Milit. Rom. dial. 4. GRÆV.

3. *Evocatorum*] Sunt veterani, qui expletis ſtipendiis ſponte in gratiam Conſulum aut Ducum militiam ſumebant, & precibus, literis, ac nunciis evocabantur, non in delectu ſcribebantur, ideò dicti ſunt *evocati.* Vide Lipſ. I. de Milit. Rom. Dial. VIII. IDEM. Vide paulò ſuperiùs, pag. 350. col. 2. not. 10. ubi de veteranis.

Digitized by Google

legiones tironum habere solùm arbitrabatur. Sed noctu, quò tutiùs venire in castra possèmus, legionem Martiam, cui ego præesse solebam, & duas cohortes prætorias miserat Hirtius nobis. Cùm equites Antonii apparuissent, contineri neque legio Martia, neque cohortes prætoriæ potuerunt: quas sequi cœpimus coacti, quoniam eas retinere non poteramus. Antonius ad [4] Forum Gallorum suas copias continebat: neque sciri volebat, se legiones habere, tantùm equitatum, & levem armaturam ostendebat. Posteaquàm vidit se invito [5] legionem ire Pansa, sequi se duas legiones jussit tironum. Posteaquàm angustias paludis, & silvarum transivimus, acies est instructa à nobis duodecim cohortium. Nondum venerant legiones duæ. Repentè Antonius in aciem suas copias de vico produxit, & sine mora concurrit. Primò ita pugnatum est, ut acriùs non posset ex utraque parte pugnari: etsi dexterius cornu, in quo ego eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugaverat legionem tricesimam-quintam Antonii, ut amplius passus quingentos ultra aciem, quo loco steterat, processerit. Itaque, cùm equites nostrum cornu circuire vellent, recipere me cœpi, & levem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne aversos nostros aggrederentur. Interim video me esse inter Antonianos, Antoniúmque post me esse aliquanto. Repentè equum immisi ad eam legionem tironum, quæ veniebat ex castris, [6] scuto rejecto. Antoniani me insequi: nostri pila conjicere velle. Ita nescio quo fato sum servatus, quòd sum citò à nostris cognitus. In ipsa Æmilia, ubi cohors Cæsaris prætoria erat, diù pugnatum est. Cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoria, pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circuibantur, quo vel plurimùm valet Antonius. Cùm omnes se recepissent nostri ordines, recipere me novissimus cœpi ad castra. Antonius, tanquam victor, castra putavit se posse capere. Quo cùm venit, complures ibi amisit, nec egit quidquam. Auditâ re, Hirtius cum cohortibus viginti veteranis

4. *Forum Gallorum*] Id ipsum castellum, quod nunc vocatur *Castel Franco*, esse *Forum Gallorum*, vicum olim, quem celebrem reddiderint bella civilia, ostendit Cluverius lib. I. cap. 28. GRÆV.

5. *Legionem ire*] Martiam. CORRAD.

6. *Scuto rejecto*] In humerum, ut ita pectore non munito intelligerent tirones me amicum & suarum partium esse, & ab illis nihil mali metuere. J. F. GRONOV.

Digitized by Google

ranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiásque ejus omnes delevit, fugavitque eodem loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus horâ noctis quartâ se in castra sua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea castra rediit, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ. Sic partem majorem suarum copiarum Antonius amisit veteranarum. Nec id tamen sine aliqua jactura cohortium prætorianarum nostrarum, & legionis Martiæ fieri potuit. [7] *Aquilæ duæ, signa sexaginta sunt relata Antonii. Res bene gesta est. A. d.* [8] XII *Kal. Maii, ex castris.*

7. *Aquilæ*] Legionum insignia, aquilæ: signa, manipulorum & centuriarum. CELLARIUS. Vide Plinium, lib. III. cap. 3.

8. *XII. Kal. Maii*] Malim, XVI. *Kal.* ut postridie, quàm gesta res est, scripserit Galba: quod verisimile videtur. Nam, si XII. Kal. id est quatriduo post prælium scripsisset; omnino aliquid de Pansæ vulneribus, ipsóque Bononiam delato, cognovisset, & Ciceroni significasset. Nam Hirtius postea, cùm Antonii castra oppugnaret, occisus est. MANUTIUS.

[1] C. ASINIUS POLLIO CICERONI S. D.

MINIME *mirum tibi debet videri, nihil me scripsisse de republica, posteaquam itum est ad arma. Nam saltus* [2] *Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios, etsi nunc frequentioribus latrociniis infestior factus est, tamen nequaquam tanta in* 31

 mora

ARG. Excusationem affert, quòd studium erga remp. suum nondum declaraverit: séque libertatis recuperandæ percupidum ostendit. *Anno* U. C. 710.

1. C. *Asinius Pollio*] Cæsar, Parthicum bellum cogitans, & magistratus per triennium creavit, & provinciis rectores dedit, & aliis quidem alios, Hispaniis verò duabus duos, Lepidum citeriori, Asinium ulteriori. Asinius, vivo adhuc Cæsare, in provinciam ivit. Lepidus ad urbem mansit. Post Cæsaris necem, ubi Antonium, Lepidum, Octavianum conjunctos vidit, ad eorum partes cum duabus legionibus se contulit, primùm fortunam secutus, deinde amicitiâ quoque permotus Antonii. Triumphasse eum de Parthinis, ex fastis Capitolinis intelligitur. Valuit eloquentiâ, orationésque scripsit multas: de quibus non semel Quintilianus. Ait idem, dictum esse omnium horarum hominem, quòd seriis jocísque pariter accommodatus esset, *lib.* VI. In Livio deprehendisse Patavinitatem quandam, *lib.* I. & VIII. Tristem & jejunum in dicendo habitum esse, *lib.* X. Insectatum esse pluribus locis, etiam inimicè, vitia orationis Tullianæ, idémque filium ejus fecisse, *lib.* XII. Vide & Senecam, epist. 16. lib. I. Suasoriarum. Primus bibliothecam de manubiis Romæ publicavit, & in ea M. Varronis imaginem viventis posuit. Plinius VII. 30. & XXXV. 2. MANUT.

2. *Castulonensis*] *Castulo* fuit Oretanorum urbs maxima, Bæticæ finis versùs Orientem, sita ad Bætis ripas, hodie *Caslona*, de qua vide Ludovici Nonii Hispan. antiq. cap. 64. & Sam. Bocharti, Geograph. sacræ partem II. lib. I. cap. 34. GRÆV.

Digitized by Google

mora est, quanta qui locis omnibus dispositi ab utraque parte scrutantur tabellarios, & retinent. Itaque, nisi nave perlatæ literæ essent, omninò nescirem, quid istic fieret. Nunc verò nactus occasionem, posteaquàm navigari cœptum est, cupidissimè, & quàm creberrimè potero, scribam ad te. Ne movear ejus [3] sermonibus, quem tametsi nemo est qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus est, oderunt homines, periculum non est. Adeò est enim invisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit. Natura autem mea, & studia trahunt me ad pacis & libertatis cupiditatem. Itaque illud initium civilis belli sæpe deflevi. Cùm verò non liceret mihi nullius partis esse, [4] quia utrobique magnos inimicos habebam; ea castra fugi, in quibus planè tutum me ab insidiis inimici sciebam non futurum. Compulsus [5] eò, quò minimè volebam; ne in extremis essem, planè pericula non dubitanter adii. Cæsarem verò, quòd me in tanta fortuna, modò cognitum, vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate & fide. Quæ meâ sententiâ gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque maximè probarit: quod jussus sum eo tempore, id ita feci, ut appareret invito imperatum esse. Cujus facti injustissima invidia erudire me potuit, quàm jucunda libertas, & quàm misera sub dominatione vita esset. Ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint, quicunque is est, ei me profiteor inimicum. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. Sed [6] consules neque senatus-consulto, neque literis præceperant mihi, quid facerem. Unas enim post Idus Martias demum à Pansa literas accepi, in quibus hortatur me, ut Senatui scribam, me & exercitum in potestate ejus futurum. Quod, cùm Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio; maximè contrarium fuit.

---

3. *Sermonibus*] Antonii, aut Lepidi.

4. *Quia utrobique*] Non videtur hæc ratio esse commoda, sed potiùs contrarium suadere, sive præcedentia, sive subsequentia rejicias. Nam si utrobique erant inimici, consultius utrimque abesse. Lego, *qui.* Ut tantummodo exponat æstum, in quo fuerit. J. F. GRONOV.

5. *Eò*] Ad Cæsaris exercitum.

6. *Consules*] Antonius, & Dolabella. Non enim Hirtius & Pansa significari possunt, qui tantùm ante duos menses consulatum inierant, nec multò post ad eum Pansa literas misit. Loquitur autem Asinius de toto tempore post idus Martias, id est post Cæsaris necem. MANUT.

Digitized by Google

fuit. Nam quibus commeatibus, [7] *invito illo, per illius provinciam legiones ducerem? aut, si cætera transissem, num etiam Alpes poteram transvolare, quæ præsidio illius tenentur? Adde huc, quòd perferri literæ nulla conditione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur à Lepido tabellarii. Illud me Cordubæ pro concione dixisse, nemo vocabit in dubium; provinciam me nulli, nisi qui ab Senatu missus venisset, traditurum. Nam de legione tricesima tradenda quantas habuerim* [8] *contentiones, quid ego scribam? Quâ traditâ, quanto pro republica infirmior futurus fuerim, quis ignorat? Hac enim legione noli acrius aut pugnacius quidquam putare. Quare eum me existima esse, qui primùm pacis cupidissimus sim; omnes enim cives planè studeo esse salvos: deinde, qui & me, & Rempublicam vindicare in libertatem paratus sim. Quòd familiarem meum tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est. Invideo illi tamen, quòd ambulat & jocatur tecum.* [9] *Quæres, quanti æstimem? si unquam licuerit vivere in otio, experieris. Nullum enim vestigium abs te recessurus sum. Illud vehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in provincia, an ducendo exercitum in Italiam, reipublicæ magis satisfacere possim. Ego quidem, etsi mihi tutius ac minùs laboriosum est manere, tamen, quia video tali tempore multo magis legionibus opus esse, quàm provinciis, quæ præsertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci. Deinde ex literis, quas Pansæ misi, cognosces omnia. Nam earum tibi exemplar misi.* XVII *Kal. April. Cordubæ. Vale.*

C. ASI-

7. *Invito illo*] Præerat enim Lepidus Hispaniæ citeriori, & (ut scripsit Dio) Narbonensi Galliæ: quod etiam confirmatur epist. 33. IDEM.

8. *Contentiones*] Hic erit sensus: Quàm vehementer Lepidus & Antonius literis à me contenderint. Quod sequentis epistolæ testimonio comprobatur. Sin autem, quod est in omnibus meis antiquis libris, *Conciones*, placet: vehementes literas, quales conciones ad populum, vel ad milites sunt, interpretemur: quod tamen paulo durius videtur: nisi sit ferendum in Asinio: cujus orationem duram fuisse Tacitus auctor est. IDEM.

9. *Quæres, quanti æstimem?*] Ita distinguendum. Mirabere forsan & rogabis: quanti æstimem illud ambulare & jocari cum Cicerone? J. F. GRONOV.

C. ASINIUS POLLIO CICERONI.

32 BALBUS [1] *quæstor, magnâ numeratâ pecuniâ, magno pondere auri, majore argenti coacto de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se à Gadibus, & triduum tempestate retentus* [2] *ad Calpen, Kal. Juniis trajecit sese in regnum* [3] *Bogudis, planè bene peculiatus. His rumoribus, utrùm Gades referatur, an Romam, (ad singulos enim nuntios turpissimè consilia mutat) nondum scio. Sed præter furta, & rapinas, & virgis cæsos socios, hæc quoque fecit, ut ipse gloriari solet, eadem,* [4] *quæ C. Cæsar: ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum, histrionem, summo ludorum die annulo aureo donatum, in* [5] XIV *sessum deduxit; tot enim fecerat ordines equestris loci.* [6] *Quatuorviratum sibi* [7] *prorogavit: comitia* [8] *biennii biduo habuit, hoc est, renuntiavit quos ei visum est: exules reduxit, non horum temporum, sed illorum, quibus à seditiosis* [9] *senatus trucidatus, aut expulsus est, Sex. Varo proconsule. Illa verò jam ne Cæsaris quidem exemplo: quòd ludis* [10] *prætextam* [11] *de suo itinere ad L. Lentulum proconsulem sollicitandum* [12] *posuit. Et quidem, cùm ageretur, flevit, memoriâ rerum gestarum om-*

ARG. Balbi quæstoris sui flagitia exponit: deinde de suo in remp. studio addit. *Anno* U. C. 710.

1. *Balbus*] Gaditanus, filius fratris L. Cornelii Balbi, pro quo extat Ciceronis oratio. MANUTIUS.

2. *Ad Calpen*] Est mons præaltus Hispano littori freti Gaditani adjacens, cui opponitur in Africa *Abyla*, qui crediti sunt esse Herculis Columnæ. Vid. Pomp. Mel. II, 6. & Bocharti Geograph. sacræ Tom. 2, lib. I, cap. 34. GRÆVIUS.

3. *Bogudis*] Regis Mauritaniæ Tingitanæ, quæ *Bogudiana* olim est dicta, quamdiù in ea rerum potiebatur Bogud. Illo autem pulso à Boccho, Tingitanæ Provinciæ nomen accepit. Extenditur à fluvio Mulucha, qui perperam Chylemath dicitur, usque ad Oceanum. Vid. Isaac. Voss. ad Pomp. Mel. I, 5. IDEM.

4. *Quæ C. Cæsar*] Fecit Balbus Gadibus, in qua urbe natus erat, eadem, quæ C. Cæsar Romæ fecerat. MANUT. Cæsar Laberium, cùm mimum suum egisset, annulo aureo donavit & quingentis sestertiis. Vide Sueton. Jul. cap. 39. IDEM.

5. *In XIV.*] Hoc est, in equestria subsellia theatri; hoc est, equestri dignitate donavit. Ordines quatuordecim subselliorum in theatro assignati erant equestri ordini, quæ & *equestria* dicebantur. IDEM.

6. *Quartuorviratum*] Qui summus in municipiis magistratus erat, ut Romæ consulatus. Erat autem municipium Gades. MANUT.

7. *Prorogavit*] Cæsaris exemplo, qui sibi dictaturam prorogaverat. IDEM.

8. *Biennii*] Iturus contra Parthos Cæsar, magistratus in tres annos creavit. IDEM.

9. *Senatus*] Decuriones Gaditani. Is enim erat senatus in municipiis. IDEM.

Digitized by Google

commotus. Gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, quia, cùm [13] *depressus in ludum bis gratis depugnasset,* [14] *auctore sese nolebat, & ad populum confugerat: primùm Gallos equites immisit in populum: (conjecti enim lapides sunt in eum, cùm abriperetur Fadius) deinde abstractum* [15] *defodit in ludo, & vivum combussit; cùm quidem pransus,* [16] *nudis pedibus, tunicâ solutâ, manibus ad tergum rejectis, inambularet, & illi misero quiritanti,* Civis Romanus natus sum, *responderet:* Abi nunc, populi fidem implora. *Bestiis verò cives Romanos, etiam in his* [17] *circulatorem quendam auctionum, notissimum hominem* [18] *Hispali, quia deformis erat, objecit. Cum hujuscemodi portento res mihi fuit. Sed de illo plura coràm. Nunc, quod præstat, quid me velitis facere, constituite. Tres legiones firmas habeo, quarum unam vicesimam octavam cùm ad se initio belli arcessisset Antonius hac pollicitatione, quo die in castra venisset, denarios quingenos singulis militibus daturum; in victoria verò eadem præmia, quæ suis legionibus; (quorum quis ullum finem, aut modum futurum putavit!) incitatissimam retinui, ægrè mehercules: nec retinuissem, si uno loco habuissem, utpote cùm* [19] *singulæ quædam cohortes seditionem fecerint. Reliquas quoque legiones*

10. *Prætextam*] Fabulæ genus, in qua, Romano argumento, prætextati viri, id est, magistratus, inducebantur. IDEM.

11. *De suo itinere ad L. Lentulum sollicitandum*] L. Cornelius Lentulus consul primo belli civilis anno Pompeium ex urbe fugientem secutus est, & cum eo pòst in Græciam transiit. Ad eum Balbus minor, antequàm ex Italia discederet, cum literis, cum mandatis, cum promissione provinciæ, si Romam revertisset, à Cæsare missus est. Ep. 9. & 11. ad Atticum lib. VIII. & ad eundem epist. 6. lib. IX. IDEM.

12. *Posuit*] Hac de re totâ fabulam edidit, sive jussit ut ageretur. CORRAD.

13. *Depressus in ludum*] Per vim & fraudem arenæ addictus, gladiator fieri coactus. Vide notas meas ad Sen. III. de Ira 8. GRON.

14. *Auctore sese*] Id est, auctorante sese (& fortè ita scripserat Asinius) vel auctoramentum promittente. IDEM. Pro *auctore*, H. Stephanus edidit *auctorari*.

15. *Defodit in ludo*] Cujusmodi exemplum à Carthaginensibus editum, Cato senior prodidit. *Homines*, inquit, *defoderunt in terram dimidiatos, ignémque circumposuerunt, ita interfecerunt.* Gellius. IDEM.

16. *Nudis pedibus*] Contra morem Romanum. Calceis enim in publico, domi soleis utebantur. IDEM.

17. *Circulatorem quendam auctionum*] Solitum circumeundo, & ab una ad aliam se convertendo, nescio quam operam auctionibus dare. J. F. GRONOV.

18. *Hispali*] In Hispania ulteriore, Bætica dicta, cui præerat Asinius, juridici conventus quatuor fuere, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Plinius lib. III. cap. 1. MANUT.

19. *Singulæ quædam cohortes*] Non tota simul legio, sed cohortes quædam, sejunctæ ab aliis cohortibus. IDEM.

Digitized by Google

nes non destitit literis, atque infinitis pollicitationibus incitare. Nec verò minùs Lepidus ursit me & suis, & Antonii literis, ut legionem trigesimam mitterem sibi. Itaque quem exercitum neque vendere ullis præmiis volui, nec eorum periculorum metu, quæ victoribus illis portendebantur, diminuere, debetis existimare retentum & conservatum reipublicæ esse: atque ita credere, quodcunque imperassetis, facturum fuisse, [20] si, quod jussistis, feci. Nam & provinciam in otio, & exercitum in mea potestate tenui, finibus meæ provinciæ nusquam excessi. Militem non modò legionarium, sed ne auxiliarium quidem ullum quoquam misi: & si quos equites decedentes nactus sum, supplicio affeci. Quarum rerum fructum satis magnum, republicâ salvâ, tulisse me putabo. Sed respublica si me satis novisset, & major pars senatûs, majores ex me fructus tulisset. Epistolam, quam Balbo, cùm etiam nunc in provincia esset, scripsi, legendam tibi misi: etiam Prætextam, si voles legere, Gallum Cornelium, familiarem meum, poscito. VI *Idus Junias, Cordubâ.*

20. *Si quod jussistis, sed*] Conjicio: *Quodcunque imperassetis facturum fuisse, sicut, quod non jussistis, feci*, nempe eo animo erga rempublicam. J. F. GRONOV.

POLLIO CICERONI S. P.

33 *SI vales, bene est: ego quoque valeo. Quòd tardiùs certior fierem de præliis apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios, novem dies retinuit: tametsi tantam calamitatem reipublicæ quàm tardissimè audire optandum est, sed illis, qui prodesse nihil possunt, neque mederi. Atque utinam eodem senatus-consulto, quo Plancum & Lepidum in Italiam arcessistis, me quoque jussissetis venire. Profectò non accepisset respublica hoc vulnus. Quo si qui lætantur in præsentia, quia videntur & duces & veterani Cæsaris partium interiisse; tamen postmodum necesse est doleant, cùm vastitatem Italiæ respexerint. Nam & robur & soboles militum interiit, si quidem quæ nuntiantur, ulla ex parte vera sunt. Neque ego non videbam, quanto usui reipublicæ*

ARG. Deplorat acceptam prælio Mutinensi reip. calamitatem; séque communi incendio occurrere paratum ostendit. *Anno* U. C. 710.

Digitized by Google

blicæ essem futurus, si ad Lepidum venissem: omnem enim cunctationem ejus discussissem, præsertim adjutore Planco. Sed scribenti ad me ejusmodi literas, quas leges, & concionibus videlicet, quas Narbone habuisse dicitur, similes, [1] palparer planè necesse erat, si vellem commeatus, per provinciam ejus iter faciens, habere. Præterea verebar, ne si antequàm ego incœpta perficerem, prælium confectum esset, pium meum consilium raperent [2] in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio, [3] non major tamen quàm Planco, fuit. Itaque à Gadibus mense Aprili binis tabellariis in duas naves impositis, & tibi, & consulibus, & Octaviano scripsi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimùm possem prodesse reipublicæ. Sed, ut rationem ineo, quo die prælium Pansa commisit, eodem à Gadibus naves profectæ sunt. Nulla enim post hiemem fuit ante eam diem navigatio. Et hercules longè remotus ab omni suspicione futuri civilis tumultûs, penitus in Lusitania legiones in hibernis collocaram. Ita porrò festinavit uterque confligere, tanquam nihil pejus timerent, quàm ne sine maximo reipublicæ detrimento bellum componeretur. Sed, si properandum fuit, nihil non summi ducis consilio gessisse Hirtium video. Nam hæc mihi scribuntur [4] ex Gallia

1. *Palparet*] In prima Pollionis epistola; *Unas enim post Idus Martias demum à Pansa literas accepi, in quibus hortatur me ut senatui scribam*, &c. Purgat se quòd non Pansæ literis paruerit, senatuíque scripserit: consilium enim ejus non sapiens esse vult, reipublicæque inutile, & maximè contrarium rationibus ejus, qui se quæ polliceretur senatui, posse præstare, & ad exitum perducere vellet. Cùm enim respublica suo exercitu in Italia indigeret, Lepidúsque cum Antonio consentiret, si ipse Pollio tam apertè senatui scripsisset se in ejus fore potestate, auctoritatémque ejus velle defendere, non potuisset suas copias in Italiam per Lepidi provinciam trajicere: nec enim commeatus suppeditasset Lepidus ei, qui contrariis partibus palàm auxilio veniret. Cùm igitur quod Pansa suadebat, contrarium esse velit, docet se rectè texisse consilium suum, bonáque mente semper Lepido ostendisse, se Antonii salutis rationem habiturum, ut rempublicam juvare posset, & ut Lepidum falleret. VICTOR.

2. *In contrariam partem*] Dicerent, me in Italiam venisse, non ut Reip. sed ut Antonio opem ferrem. MANUT.

3. *Non major tamen, quàm Planco*] Mecum, inquit, agatur iniquissimè, si propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio fuit, durius quidquam homines de me suspicentur: cùm eundem Antonium haud minus, quàm ego, dilexerit Plancus: cui tamen vos confidere cognovi, accersito simul cum Lepido in Italiam, ut Antonium bello persequerentur. Dolet, meliùs erga remp. animatum inimicum suum existimari. Inimicitias, aut certè simultatem, ut credam jam tunc fuisse inter Asinium & Plancum, adducor iis, quæ scripsit Plinius in præfatione librorum suorum ad Vespasianum. IDEM.

4. *Ex Gallia Lepidi*] Est ea Gallia, quam tum Lepidus tenebat. GRÆVIUS.

Digitized by Google

Gallia Lepidi, & nuntiantur, Pansæ exercitum concisum esse, Pansam ex vulneribus mortuum, eodem prælio Martiam legionem interiisse, & [5] *L. Fabatum, & C. Peducæum, &* [6] *D. Carfulenum. Hirtiano autem prælio &* [7] *quartam legionem, & omnes peræquè Antonii cæsas: item Hirtii. Quartam verò, cùm castra quoque Antonii cepisset, à quinta legione concisam esse. Ibi Hirtium quoque periisse, &* [8] *Pontium Aquilam: dici etiam Octavianum cecidisse. Quæ si (quod dii prohibeant) vera sunt, non mediocriter doleo. Antonium turpiter Mutinæ obsessionem reliquisse, sed habere* [9] *equitum* * *legiones sub signis armatas* [10] *tres, & P. Bagienni unam, inermes bene multos. Ventidium quoque se cum legione* [11] *septima, octava, nona conjunxisse: si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema, & non modò nationes, sed etiam servitia concitaturum: Parmam direptam: L. Antonium Alpes occupasse. Quæ si vera sunt, nemini nostrûm cessandum est; neque expectandum, quid decernat senatus. Res enim cogit huic tanto incendio succurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique populi Romani salvum volunt esse. Brutum enim cohortes XVII, & duas non frequentes tironum legiones, quas conscripserat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito, quin omnes, qui supersint de Hirtii exercitu, confluant ad eum. Nam in delectu non multum spei puto esse: præsertim cùm nihil sit*

5. *L. Fabatum*] *Fabatus* Rosciæ gentis cognomen Lanuvio municipio oriundæ. L. autem hic FABATUS descriptus est in argenteo quodam denario. URSINUS.

6. *D. Carfulenum*] Qui cohortem prætoriam Cæsaris Octavii, & Martiam legionem ad Pansam venientem deduxerat. CORRAD.

7. *Quartam*] Cùm de cæsis Antonii legionibus mentio fiat; Quarta verò non Antonii, sed Hirtii fuerit, qui, ut in Phil. XIV. legitur, eduxit è suis castris contra Antonium & Quartam, & Septimam; & hîc statim Hirtii Quarta nominetur, suspicari de mendo facilè possum: & fortasse pro *Quarta* legendum, *Secunda*, non magna mutatione: nam IV. & II. non admodum differunt. Secundam autem cum Antonio fuisse, patet G[illegible] ep. 30. & Phil. V. MANUTIU.

8. *Pontium Aquilam*] Unum ex percussoribus Cæsaris, legatum hoc tempore D. Bruti: qui T. Munatium Plancum, Antonii ducem, paulo antè prælio vicerat: ut est in Phil. XIII. & apud Dionem lib. XLVI. Periit in eadem pugna cum Hirtio. Vide ad Brut. ep. 15. IDEM.

9. *Equitum* *] Numerus equitum desideratur in omnibus antiquis libris, præter unum minimè recentem, in quo est, *Equitum* V. id est, quinque millia. Nam veteres numerorum notæ, ductâ suprà linea, millia significant. Eam verò lineam sæpe à librariis omissam esse, ignorat nemo. MANUT.

10. *Tres*] Falsum. Vide epist. 34. & lib. XI. epist. 10. *Sub signis autem*, pro non passim, sed ordinatim. IDEM.

11. *Septima*] Fortasse aliter legendum: nam septima cum Hirtio fuit. Phil. 14. IDEM.

Digitized by Google

ſit periculoſius, quàm ſpatium confirmandi ſeſe Antonio dari. Anni autem tempus libertatem majorem mihi dat, propterea quia frumenta aut in agris, aut in villis ſunt. Itaque proximis literis conſilium meum expedietur. Nam neque deeſſe, neque ſupereſſe reipublicæ volo. Maximè tamen doleo, adeò & longo & infeſſo itinere ad me veniri, ut die quadrageſimo pòſt, aut ultrà etiam, quàm facta ſunt, omnia nuntientur.

M. LEPIDUS IMP. [1] ITER. PONT. MAX. M. T. C. S. P. D.

SI vales, bene eſt: ego valeo. Cùm audiſſem Antonium cum 34
*ſuis copiis, præmiſſo L. Antonio cum parte equitatûs, in provinciam meam venire: cum exercitu meo [2] ab confluente Rhodano caſtra movi, ac contra eos venire inſtitui. Itaque continuis itineribus ad Forum Vocontium veni, & ultrà, caſtra ad flumen [3] Argenteum contra Antonianos feci. P. Ventidius ſuas legiones tres conjunxit cum eo, & ultra me caſtra poſuit. [4] Habebat antea legionem ſecundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, ſed [5] inermorum. Equitatum habet magnum. Nam omnis ex prælio integer deceſſit, ita ut ſint [6] amplius equitum *. Itaque ad me complures milites, & equites ab eo tranſierunt, & in dies ſingulos ejus copiæ minuuntur. Silanus & Culeo ab eo diſceſſerunt. Nos etſi graviter ab his læſi eramus, quòd [7] contra noſtram voluntatem ad Antonium ierant, tamen noſtræ humanitatis & neceſſitudinis cauſâ, eorum ſalutis rationem habuimus. Nec tamen eo-*

ARG. Narrat, Antonio adveniente, quid egerit, & agit gratias Ciceroni, quòd iniquis de ſe rumoribus non crediderit. *Anno U. C.* 710.

1. *Iter.*] Pro *iterum* ſcriptum eſſe credimus: conjungitur autem cum priore dictione *Imperator*. Nam quoties felici aliquo prælio facto Imperatores ab exercitu appellati eſſent, toties in memoriis titulíſque notabant. Quod ex numiſmatibus, & lapidibus antiquis tam clarum & teſtatum eſt, ut non neceſſe ſit id magis confirmare: nam ad ſequentem dignitatem nullo modo pertinet. Non enim acceptum ſemel id ſacerdotium aliquis niſi morte amittebat. VICTOR.

2. *Ab confluente Rhodano*] Ubi Lugdunum.

3. *Argenteum*] Argenteum amnem Plinius nominat in Gallia Narbonenſi.

4. *Habebat antea*] M. Antonius. MANUT.

5. *Inermorum*] Pro, *inermium*, antiquè. Epiſt. 12. lib. II. & epiſt. 14. ad M. Brutum. Salluſtius in Jug. *Ab inermis pedibus auxilium petere.* Quadrigarius apud Gellium lib. XVII. cap. 2. IDEM.

6. *Amplius equitum* *] Numerus ex vetuſtis omnibus libris excidit.

7. *Contra noſtram voluntatem*] Immo ex ipſius voluntate: occultè enim favebat Antonio. Vide Dionem lib. XLVI. MANUT.

rum operâ utimur, neque in castris habemus, neque ulli negotio præfecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec senatui, nec reipublicæ deerimus. Quæ postea egerimus, faciam te certiorem. Etsi omni tempore summa studia officii, mutuò inter nos certatim constiterunt, pro nostra inter nos familiaritate, & [8] proinde diligenter ab utroque conservata sunt; tamen non dubito, in tanto & tam repentino reipublicæ motu, quin nonnulla de me falsis rumoribus à meis obtrectatoribus, me indigna, ad te delata sint, quæ tuum animum magnopere moverent, pro tuo amore in rempublicam. Ea te moderatè accepisse, neque temerè credendum judicasse, à meis procuratoribus certior sum factus: quæ mihi, ut debent, gratissima sunt. Memini enim [9] & illa superiora, quæ abs tua voluntate profecta sunt ad meam dignitatem augendam & ornandam: quæ perpetuò animo meo fixa manebunt. Abs te, mi Cicero, magnopere peto, si meam vitam, & studium diligentissimè superioribus temporibus in republica administranda, quæ Lepido digna sunt, perspecta habes, ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore expectes: & proinde tuâ auctoritate me tuendum existimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. D. XI. Kal. Jun. Ex castris, ex Ponte Argenteo.

8. *Proinde diligenter*] Æquè diligenter. Nam *Proinde* interdum valet *perinde*. Manut.

9. *Et illa superiora*] Cùm ei statuam equestrem inauratam in Rostris ponendam censuit. Vide Phil. V. Idem.

LEPIDUS IMP. ITER. PONT. MAX. SENAT. POP. PL. Q. R. S. D.

7 SI vos, liberíque vestri valetis, bene est: ego quidem valeo. Deos, hominésque testor, Patres conscripti, quâ mente & quo animo semper in rempublicam fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute ac libertate judicarim: quod vobis brevi probassem, nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset. Nam exercitus cunctus [1] consuetudinem suam in civibus conservandis, commu-

Arg. Recepti Antonii causam in suos milites confert, dissensionem civium iniquè ferentes. *Anno* U. C 710.

1. *Consuetudinem suam in conservandis civibus*] Egregia tantæ proditionis excusatio. Sed alludit, quod refert Suetonius, Julium acie Pharsalica victorem, proclamasse, ut civibus parceretur, & cuique suorum, quem vellet, unum partis adversæ servare concessisse, cap. 75. J. F. Gronov.

Digitized by Google

communique pace, seditione factâ, retinuit: méque tantæ multitudinis civium Romanorum salutis atque incolumitatis causam suscipere, ut verè dicam, [2] coëgit. In qua re ego vos, Patres conscripti, oro atque obsecro, ut privatis offensionibus omissis, summæ reipublicæ consulatis, neve misericordiam nostram, exercitúsque nostri, in civili dissensione, sceleris loco ponatis. Quòd si salutis omnium ac dignitatis rationem habueritis, meliùs & vobis & reipublicæ consuletis. Data III. Kal. à Ponte Argenteo. Valete.

2. *Coegit*] Hoc & Dio, & Velleius, & alii prodiderunt. Vide ad hanc sententiam Planci verba, epist. 21. Hostis tamen Lepidus est judicatus. MANUT.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES
LIBER XI.

D. BRUTUS M. BRUTO, ET C. CASSIO S.

QUO in statu simus, cognoscite. Heri vesperi I
apud me Hirtius fuit: quâ mente esset Antonius, demonstravit, pessimâ scilicet & infidelissimâ. Nam se neque mihi [1] provinciam dare posse aiebat, neque arbitrari, tutò in urbe esse quenquam nostrûm; adeò esse militum concitatos animos, & plebis. Quod utrumque esse falsum, puto vos animadvertere: atque illud esse verum, quod Hirtius demonstrabat, timere

ARG. Decimus Brutus Albinus habitum cum Hirtio, designato consule, sermonem exponit: postulatam à se legationem liberam significat: suum consilium ostendit, vel migrandum ex Italia esse, vel postulandum publicum in urbe præsidium. *Anno* U. C. 709.

1. *Provinciam*] Galliam citeriorem, à Cæsare

mere eum, ne, si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes iis in republica relinquerentur. Cum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem [2] *legationem liberam mihi, reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur. Hæc se impetraturum pollicitus est: nec tamen impetraturum confido: tanta est hominum insolentia, & nostri insectatio. Ac, si dederint quod petimus, tamen paulo pòst futurum puto, ut hostes judicemur,* [3] *aut aquâ & igni interdicamur. Quid ergo est, inquis, tui consilii? Dandus est locus fortunæ, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, revertemur Romam: si mediocris, in exilio vivemus: si pessimus, ad novissima auxilia descendemus. Succurret fortasse hoc loco alicui vestrûm, cur novissimum tempus expectemus potiùs, quàm nunc aliquid moliamur? Quia, ubi consistamus, non habemus,* [4] *præter Sex. Pompeium, & Bassum Cæcilium; qui mihi videntur, hoc nuntio* [5] *de Cæsare allato, firmiores futuri. Satis tempore ad eos accedemus, ubi, quid valeant, scierimus. Pro Cassio, & te, si quid me velitis recipere, recipiam. Postulat enim hoc Hirtius, ut faciam. Rogo vos, quàm primùm mihi rescribatis. Nam non dubito, quin his de rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me sit facturus, quem in locum convenire possimus. Quò me velitis venire, rescribite. Post novissimum Hirtii sermonem, placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romæ publico præsidio: quod illos nobis concessuros non puto. Magnam enim* [6] *invidiam iis faciemus. Nihil tamen non postulandum putavi, quod æquum esse statuerem.*

BRU-

Cæsare ipso, dum viveret, D. Bruto assignatam; mox, Cæsare mortuo, à senatu confirmatam. Suetonius in Augusto, Appianus, Dio, alii. MANUT.

2. *Legationem liberam*] Legationes liberæ privatarum rerum causâ senatoribus dabantur: tum quòd iis, non permittente senatu, abesse non licebat: tum etiam, ut essent honoratiores apud exteras nationes, addito legationis nomine. Epist. 18. ad Att. lib. II. & epist. 11. lib. XV. ad eundem, & in orationibus in Rullum: pro Flacco. IDEM.

3. *Aut aquâ & igni interdicamur*] Hæc est Gruteri lectio: sed Vict. Man. & Lamb. *aut aquâ & igni nobis interdicatur.*

4. *Præter Sex. Pompeium*] Magni F. in Iberia. *Bassum Cæcilium* in Syria. CORRAD.

5. *De Cæsare*] De Cæsaris morte. IDEM.

6. *Invidiam*] Odium. Indignarentur, inquit, boni cives, vindices libertatis egere præsidio. MANUTIUS.

Digitized by Google

BRUTUS ET CASSIUS PRÆTT. M. ANTONIO COS.

De tua fide & benevolentia in nos nisi persuasum esset nobis, non scripsissemus hæc tibi: quæ profectò, cùm istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse jam, & ad Kal. Jun. futuram multò majorem. De te si dubitemus, aut vereamur, simus nostri dissimiles. Sed certè, cùm ipsi [1] *in tua potestate fuerimus, tuóque adducti consilio dimiserimus ex municipiis* [2] *nostros necessarios, neque solùm edicto, sed etiam literis id fecerimus: digni sumus, quos habeas tui consilii participes, in ea præsertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias nos certiores tuæ voluntatis in nos: putésne nos tutos fore in tanta frequentia militum veteranorum, quos etiam de reponenda* [3] *ara cogitare audimus: quod velle te, probare vix quisquam posse videtur, qui nos salvos & honestos velit. Nos ab initio spectasse otium,* [4] *nec quidquam aliud libertate communi quæsisse, exitus declarat. Fallere nemo nos potest, nisi tu; quod certè abest à tua virtute & fide: sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. Tibi enim uni credidimus, & credituri sumus. Maximo timore de nobis afficiuntur amici nostri: quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem venit, multitudinem veteranorum faciliùs impelli ab alio quolibet, quàm à te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia, rogamus. Nam illud valde leve est ac nugatorium, eâ re* [5] *denuntiatum esse veteranis, quòd de commodis eorum mense Junio laturus esses. Quem enim impedimento futurum*

ARG. Petunt ab Antonio, utrùm putet ipsos in urbe, magnâ veteranorum militum frequentiâ, tutos fore. *Anno* U. C. 709.

1. *In tua potestate*] Percussores Cæsaris, datâ Antonio & Lepido fide, & ab eis vicissim acceptâ, de Capitolio, quò post Cæsaris necem populi metu confugerant, descenderunt, Cassiúsque se Antonio, Brutus Lepido credidit. MANUT.

2. *Nostros necessarios*] Qui, ut iis præsidio essent, in urbem convenerant. De M. Bruto vide *Phil.* X. 3.

3. *Ara*] Vide lib. IX. epist. 14.

4. *Nec quidquam aliud libertate communi quæsisse*] Genus loquendi sumptum à Græcis, pro, Nec quidquam aliud, præter libertatem. Sic & Horatius epist. XVI. lib. I. 20. *Néve putes alium sapiente bonóque beatum.* Et lib. II. epist. I. 240. *alius Lysippo.* MANUT.

5. *Denuntiatum esse*] Ut in urbem frequentes convenirent. IDEM.

rum putas, cùm de nobis certum sit nos quieturos? Non debemus cuiquam videri nimiùm cupidi vitæ, cùm accidere nobis nihil possit sine pernicie & confusione omnium rerum. Vale.

BRUTUS ET CASSIUS PRÆTT. ANTONIO COS. S. D.

3 *SI vales, bene est. Literas tuas legimus,* [1] *simillimas edicti tui, contumeliosas, minaces, minimè dignas, quæ à te nobis mitterentur. Nos, Antoni, te nullâ lacessivimus injuriâ; neque miraturum credidimus, si prætores & ea dignitate homines aliquid* [2] *edicto postulassemus à consule. Quòd si indignaris ausos esse id facere, concede nobis, ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto & Cassio tribui. Nam de delectibus habitis, & pecuniis imperatis, exercitibus sollicitatis, &* [3] *nuntiis trans mare missis, quòd te questum esse negas; nos quidem tibi credimus optimo animo te fecisse; sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum, & te miramur, cùm hæc reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæsaris objiceres. Illud verò quemadmodum ferendum sit, tute cogita, non licere prætoribus,* [4] *concordiæ ac libertatis causâ, per edictum de suo jure decedere, quin consul arma minetur. Quorum fiduciâ, nihil est quòd nos terreas. Neque enim decet, aut convenit nobis, periculo ulli submittere animum nostrum. Neque est Antonio postulandum, ut iis imperet, quorum operâ liber est. Nos si alia hortarentur, ut bellum civile suscitare vellemus, literæ tuæ nihil proficerent. Nulla enim minantis auctoritas apud liberos est. Sed pulchrè intelligis, non posse nos quoquam impelli: & fortassis eâ re minaciter agis, ut* [5] *judicium nostrum*

ARG. Contumeliosis & minacibus literis Antonii respondent. *Anno* U. C. 709.

1. *Simillimas edicti tui*] Quo idem supplicium minabatur optimis civibus, quod Cicero de sceleratissimis sumpsisset, ut in Philippica tertia legitur. CORRAD.

2. *Edicto postulassemus*] Licebat enim magistratibus de eo, quod ad officium eorum pertinet, edicere. Postulaverant autem, quia ultra decem dies essent ab urbe abfuturi, ut Consule ad Senatum referente legibus solverentur, quod nisi factum esset, ultra decem dies peregre esse non poterant. Phil. II. 13. J. F. GRONOV.

3. *Nuntiis trans mare missis*] Præsertim in Asiam ad Trebonium, & in Bithyniam ad Tullium Cimbrum. CORRAD.

4. *Concordiæ ac libertatis causâ*] Ideò enim abesse cupiebant, ne qua in urbe seditio propter Cæsaris mortem concitaretur. Timebant autem potissimùm veteranos. Epist. 2. MANUTIUS.

5. *Judicium nostrum*] Judicio enim nostro, non armorum tuorum timore, nihil novi cogitamus. IDEM.

strum metus videatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus in libera republica magnum atque honestum esse; vocemus te ad nullas inimicitias; sed tamen pluris nostram libertatem, quàm tuam amicitiam, æstimemus. Tu etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis: neque quàm diù vixerit Cæsar, sed [6] *quàm non diù regnarit, fac cogites. Deos quæsumus, consilia tua reipublicæ salutaria sint, ac tibi. Si minùs, ut salvâ atque honestâ republicâ, tibi quàm minimùm noceant, optamus. Pridie Nonas Sextiles.*

6. *Quam non diu regnarit*] Regnavit, ab solutâ potestate, nullo Pompeianarum partium metu, post victos in Hispania Pompeii liberos, quinque tantum menses. Rediit enim Octobri mense: occisus est idibus Mart. quod Velleius lib. II. Fasti Capitolini, & aliorum testimonia docent. IDEM.

D. BRUTUS IMP. COS. DESIGN. CICERONI S. D.

SI de tua in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere. Sed profectò est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curæ. Progressus sum ad [1] *Inalpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quàm cupiens militibus satisfacere, firmósque eos ad tuendas nostras res efficere; quod mihi videor consecutus. Nam & liberalitatem nostram, & animum sunt experti. Cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi. Non sine causa ad senatum literas misi. Adjuva nos tuâ sententiâ: quod cùm facies, ex magna parte communi commodo inservieris. Vale.* 4

ARG. Res à se gestas exponit, &, ut Cicero suâ se sententiâ in supplicationibus decernendis adjuvet, rogat. *Anno* U. C. 709.

1. *Inalpinos*] Qui Alpibus inhabitant.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S.

LUPUS, familiaris noster, cùm à te venisset, cúmque Romæ quosdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maximè me tutò esse arbitrabar. Eo factum est, ut ad 5

ARG. Excusat se quòd Bruti literis non responderit: hortatur ad libertatem recuperandam: & suum studium ac officia pollicetur. *Anno* U. C. 709.

ad te Lupus sine meis literis rediret, cùm tamen curasset tuas ad me perferendas. Romam autem veni a. d. v. Idus Decembris, nec habui quidquam antiquius, quàm ut Pansam statim convenirem; ex quo ea de te cognovi, [1] quæ maximè optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, si ne illa quidem in re, quæ à te gesta est post hominum memoriam maxima, hortatorem desiderasti. Illud tamen breviter significandum videtur, populum Romanum omnia à te expectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem spem ponere. Tu, si dies noctésque memineris (quod te facere certò scio) quantam rem gesseris: non oblivisçêre profectò, quantæ tibi etiam nunc gerendæ sint. Si enim [2] iste provinciam nactus erit, cui quidem ego semper amicus fui antequam illum intellexi non modò apertè, sed etiam libenter cum republica bellum gerere; spem reliquam nullam video salutis. Quamobrem te obsecro iisdem precibus, quibus senatus, populúsque Romanus, ut in perpetuum rempublicam dominatu regio liberes; [3] ut principiis consentiant exitus. Tuum est hoc munus, tuæ partes, à te hoc civitas, vel omnes potiùs gentes non expectant solùm, sed etiam postulant. Quanquam cùm hortatione non egeas, ut suprà scripsi, non utar eâ pluribus verbis: faciam illud quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita persuadeas, me cùm reipublicæ causâ, quæ mihi vitâ meâ est carior, tum quòd tibi ipse faveam, tuámque dignitatem amplificari velim, tuis optimis consiliis, amplitudini, gloriæ, nullo loco defuturum. Vale.

1. *Quæ maximè optabam*] Te scilicet Antonio provinciam nolle tradere. Manut.
2. *Si enim iste*] M. Antonius, qui Bruto provinciam conabatur eripere. Idem.
3. *Ut principiis*] Ut, quemadmodum rege, ita nos dominatu regio liberes. Man.

M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. des. S.

6 Lupus noster cùm Romam sexto die Mutinâ venisset, postridie me manè convênit, tuáque mihi mandata diligentissimè

Arg. Commendaverat Brutus suam dignitatem. Respondet Cicero sibi eam etiam atque etiam curæ fore: ídque jam in senatu declaratum. *Anno* U. C. 709.

Digitized by Google

tissimè exposuit, & literas reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo, te mihi meam dignitatem commendare, quam mehercule non habeo tuâ cariorem. Quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum. Cùm tribuni plebis edixissent, senatus adesset a. d. XIII. Kal. Jan. haberéntque in animo de præsidio consulum designatorum referre: quanquam statueram in senatum ante Kal. Jan. non venire, tamen cùm eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis sileretur (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam si quid de te honorificè diceretur, me non adesse. Itaque in senatum veni manè: quod cùm esset animadversum, frequentissimi senatores convenerunt. Quæ de te [1] in senatu egerim, quæ [2] in concione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoscere. Illud tibi persuadeas velim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ est per se amplissima, summo semper studio suscepturum & defensurum: quod quanquam intelligo me cum multis esse facturum, tamen appetam hujus rei principatum. Vale.

1. *In Senatu*] Vide Philipp. III. 2. *In concione*] Philipp. IV.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S.

CUM [1] adhibuisset domi meæ Lupus me, & Libonem, & 7
Servium, consobrinum tuum, quæ mea fuerit sententia, cognosse te ex M. Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. Reliqua, quanquam statim Seium Græcejus est subsecutus, tamen ex Græceio poteris cognoscere. Caput autem est hoc, quod te diligentissimè percipere & meminisse velim, ut ne in libertate & salute populi Romani conservanda auctoritatem senatûs expec-

ARG. Suadet, ne in salute populi R. tuendâ senatûs auctoritatem expectet, sed, quod sibi rectum videatur, faciat. *Anno* U. C. 709.

1. *Adhibuisset*] Hìc *adhibere* significat quod alibi pleniùs *in consilium adhibere*. Coegerat autem familiaris D. Bruti Lupus Ciceronis domi consilium amicorum Decimi, ut illorum sententias de re Bruti exquireret, in quod etiam Ciceronem adhibuerat, id est, admiserat & receperat. VICTORIUS.

Digitized by Google

expectes [2] nondum liberi: ne & tuum factum condemnes, (nullo enim publico consilio rempublicam liberasti; quo etiam est res illa major & clarior) & adolescentem, vel puerum potiùs, Cæsarem judices temerè fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio susceperit: denique homines rusticos, sed fortissimos viros, civésque optimos, dementes fuisse judices, primùm milites veteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quæ suum [3] Consulem hostem judicaverunt, séque ad salutem reipublicæ defendendam contulerunt. Voluntas senatûs pro auctoritate haberi debet, cùm auctoritas impeditur metu. Postremò suscepta tibi causa jam bis est, ut non sit integrum; primùm Idibus Martiis; deinde proximè, exercitu novo, & copiis comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus atque animatus debes esse, non ut nihil facias, nisi jussus; sed ut ea geras, quæ ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Vale.

2. *Nondum liberi*] Erant enim in senatu, qui Antonio faverent, in primísque Q. Fusius Calenus. MANUT.

3. *Consulem*] M. Antonium, quem reliquerunt, Octavium sequentes. CORRAD.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S.

8 EO tempore [1] Polla tua misit, ut ad te, si quid vellem, darem literarum, cùm, quid scriberem, non habebam. Omnia enim erant suspensa propter expectationem [2] legatorum: qui quid egissent, nihil dum nuntiabatur. Hæc tamen scribenda existimavi: primùm senatum, populúmque Romanum de te laborare, non solùm salutis suæ causâ, sed etiam dignitatis tuæ. Admirabilis enim est quædam tui nominis caritas, amórque in te singularis omnium civium. Ita enim sperant atque confidunt, ut antea rege, sic, hoc tempore, regno te rempublicam

ARG. De legatis ad Antonium de pace missis, quæque sit omnium de Bruto expectatio ad libertatem recuperandam, perscribit. *Anno* U. C. 710.

1. *Polla tua*] Id est, Valeria Paulla, uxor tua. *Polla* autem & Paulla dicebant veteres ἀδιαφόρως, ut Caupo, Copo: Olla, Aula: Plostrum, Plaustrum, &c. LAMB.

2. *Expectationem legatorum*] L. Pisonis, L. Philippi & Servii Sulpicii, qui ad Antonium erant profecti. CORRADUS. Vide *epist.* 4. *lib.* XII. & *Phil.* VI.

Digitized by Google

cam liberaturum. Romæ delectus habetur, totáque Italiâ, si hic delectus appellandus est, cùm ultrò se offerunt omnes: tantus ardor occupavit animos hominum desiderio libertatis, odióque diutinæ servitutis. De reliquis rebus à te jam expectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum copulatos fore. Reliquum est, ut de me id scribam, quod te ex tuorum literis & spero & malo cognoscere, me neque deesse ulla in re, neque unquam defuturum dignitati tuæ. Fac valeas.

D. BRUTUS M. CICERONI S. D.

PANSA *amisso, quantum detrimenti respublica acceperit, non* 9
te præterit. Nunc auctoritate & prudentiâ tuâ prospicias oportet, ne inimici nostri, [1] *Consulibus sublatis, sperent se convalescere posse. Ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam: sequar eum confestim. Utrumque me præstaturum spero, ne aut Ventidius* [2] *elabatur, aut Antonius in Italia moretur. In primis rogo te, ad hominem* [3] *ventosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi conjuncto. Nam de* [4] *Pollione Asinio,* [5] *puto te perspicere, quid facturus sit. Multæ, & bonæ, & firmæ sunt legiones Lepidi & Asinii. Neque hæc idcircò tibi scribo, quòd te non eadem advertere sciam, sed quòd mihi persuasissimum est, Lepidum* [6] *rectè facturum nunquam, si fortè vobis id de hoc dubium est. Plancum quoque confirmetis, oro: quem spero, pulso Antonio, reipublicæ non defuturum. Si se Alpes An-*

ARG. Prospiciat, rogat, ne, consulibus amissis, hostes reip. invalescant: & quid agendum videatur, monet. *Anno* U. C. 710.

1. *Coss. sublatis*] Hirtio & Pansa, in Mutinensi prælio. CORRADUS.

2. *Elabatur*] Elapsus tamen est, itinere facto difficillimo. Vide epist. 17. 33. 34. lib. X. & hoc lib. epist. 10. MANUTIUS.

3. *Ventosissimum*] Levissimum, atque in primis mobilem. Epist. ad M. Brutum: *Da tum Lepido tempus est, in quo levitatem ejus, sæpe perspectam, majoribus in malis experiemur.* IDEM.

4. *Pollione Asinio*] Qui longiùs aberat, quàm Lepidus; præerat enim Hispaniæ citeriori. Epist. 31. lib. X. IDEM.

5. *Puto.*] Propter amicitiam. Non dubito, quin ille tibi suum sensum patefaciat. IDEM.

6. *Rectè facturum nunquam*] Favebat Lepidus Antonii partibus: tum quòd percussores Cæsaris oderat, tum etiam, quòd ejus filio nupserat Antonii filia, ipséque Antonii consulis beneficio pontifex max. in locum Cæsaris creatus erat. Appianus, Dio, Plutarchus. IDEM.

tonius trajecerit, constitui præsidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. III. Kal. Maii, ex castris [7] *Regii.*

7. *Regii*] *Regium* cognomento *Lepidum*, antè *Forum Lepidi* appellatum, unde etiam Ciceroni *Regium Lepidi* dicitur, est oppidum Galliæ Cispadanæ in via Æmilia, etiam nunc clarum, hodie *Reggio*. Vide pluribus de hoc oppido disputantem Ph. Cluver. Ital. antiq. lib. I. cap. 27. Grævius.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

10 *Non mihi rempublicam plus debere arbitror, quàm me tibi.* [1] *Gratiorem me esse in te posse, quàm isti perversi sint in me,* [2] *exploratum habes: si tamen hoc temporis videatur dici causâ, malle me tuum judicium, quàm ex altera parte omnium istorum. Tu enim à certo sensu & vero judicas de nobis; quod isti ne faciant, summâ malevolentiâ & livore impediuntur. Interpellent me, quò minùs honoratus sim, dum ne interpellent, quò minùs respublica à me commodè administrari possit. Quæ quanto sit in periculo, quàm potero brevissimè, exponam. Primùm omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus Consulum, quantámque cupiditatem hominibus injiciat* [3] *vacivitas, non te fugit. Satis me multa scripsisse, quæ* [4] *literis commendari possint, arbitror. Scio enim, cui scribam. Revertor nunc ad Antonium: qui ex fuga cùm parvulam manum peditum haberet inermium, ergastula solvendo, omnéque genus hominum arripiendo, satis magnum numerum videtur effecisse. Huc accessit manus Ventidii,*

Arg. Queritur de quorundam malevolentia, & reip. periculum exponit. *Anno U. C. 710.*

1. *Gratiorem me esse*] Videtur excidisse particula, *Nec*, ut fuerit: *nec gratiorem*; hoc sensu: Nec arbitror, me tam gratum posse esse tibi, quàm isti malevoli sunt in me perversi. J. F. Gronov.

2. *Exploratum habes* (sint, an hæc temporis videantur dici causâ) *malle me tuum judicium*] Sic videtur legendum. Quæ isti, qui mihi obtrectant, prætexunt, hæc sive revera ita se habeant, sive ab eis fingantur temporis causâ: Tu dubitare non debes, quin ego placere tibi malim, quàm istis omnibus. Idem.

3. *Vacivitas*] Ad hanc lectionem *injicias vacivitas* ducunt nos vestigia ferè omnium librorum, qui aut *civitas* aut *novitas* præ se ferunt. Quem consensum librorum cur repudiemus non est. Plautus Curcul.

Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.

Sic *ædes vacivæ*, & *aures vacivæ*. Græv.

4. *Literis commendari*] Est literis mandari, credi. Suspicionem autem de Octaviano significat: qui consulatum petiit, non adeptus patriæ bellum intulit. Idem.

Digitized by Google

tidii quæ trans Apenninum itinere facto difficillimo [5] ad Vada pervenit, atque ibi se cum Antonio conjunxit. Est numerus veteranorum & armatorum satis frequens cum Ventidio. Consilia Antonii hæc sint, necesse est: aut ad Lepidum ut se conferat, si recipitur; aut Apennino Alpibúsque se teneat, & decursionibus per equites, quos habet multos, vastet ea loca, in quæ incurrerit; aut rursus se in Etruriam referat, quòd ea pars Italiæ sine exercitu est. Quòd si me Cæsar audisset, atque Apenninum transisset, in tantas angustias Antonium compulissem, ut inopiâ potiùs, quàm ferro, conficeretur. Sed [6] neque Cæsari imperari potest, [7] nec Cæsar exercitui suo. Quod utrumque pessimum est. Cùm hæc talia sint: quò minùs, quod ad me pertinebit, [8] homines interpellent, ut suprà scripsi, non impedio. Hæc quemadmodum explicari possint, aut, à te cùm explicabuntur, ne impediantur, timeo. Alere jam milites non possum. Cùm ad rempublicam liberandam accessi, H-S mihi fuit pecuniæ CCCC amplius. Tantum abest, [9] ut meæ rei familiaris liberum sit quidquam, ut omnes jam meos amicos ære alieno obstrinxerim. [10] Septenum numerum nunc legionum alo, quâ difficultate, tu arbitrare. Non, si [11] Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. Cùm primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis

Aaa 3 ita,

---

5. *Ad Vada*] Scilicet *Sabatia*, seu *Sabatorum*. Sabata erat oppidum maritimum in ora Genuensi præcipuum, non longè Savonâ distans, cui adjacent campi palustres, qui *Vada* dicuntur, & *Vada Sabatorum*, seu *Sabatia*, quæ describit Lucan. lib. I. *Quâque jacet littus dubium*, &c. Ibi etiam *portus* fuit *Vadorum Sabatiorum*, cujus meminit Plin. III, 5. Is hodie dicitur *Vadi*, sive contractè *Vai*, vulgò *Vè*. Vide Cluver. Ital. antiq. lib. I, cap. 8. IDEM.

6. *Neque Cæsari imperari potest*] Qui jus imperii habeat ipse, & nullum sit imperium majus, quia consules non sunt. GRONOV.

7. *Nec Cæsar exercitui suo*] Quia non justo delectu scriptus est, sed tumultuariè collectus & sine disciplina. IDEM.

8. *Homines interpellent*] Videntur prohibuisse, ne pecunia in stipendium militum ex ærario decerneretur. Epist. 26. IDEM.

9. *Ut meæ rei familiaris sit liberum quicquam*] Ut rationes explicatas habeam, in ære alieno vacem. Vide lib. II. de Pecunia Vetere, cap. 7. IDEM.

10. *Septenum numerum*] Nec *septenæ legiones*, nec *septenus numerus* hìc prisci Quirites agnoscerent. Hittorp. *Septem nunc numerum legionum alo. Sane τὸ nunc* in nullo meo, in nullo Palatino, in nullo Gulielmiano post numerum ponitur. Legendum itaque censeo, *septem nunc numeros legionum. Numeri* sunt cohortes, ut sæpe apud Tacit. Sic & legendum in epistola Cassii in lib. XII. epist. 13. *Græcorum militum numeros, speciem exercitus effecit*, ubi vulgò, *Græcorum militum numero*. GRÆVIUS.

11. *Varronis*] Corradus alludi putat ad Varronis librum περὶ πλέτε. Manutius *Varronis* sive *baronis* mavult, ut Antonius notetur, qui thesauros Cæsaris rapuerat, & aliorum. CELLAR.

Digitized by Google

ita, si hoc idem me in te facere senseris. III. *Non. Maii, ex castris,* [12] *Dertonâ.*

12. *Dertona*] Urbs Liguriæ fuit inter Genuam & Placentiam sita, Colonia Romanorum. In inscriptione antiqua dicitur *Julia Dertona*. Hodie *Tortona*. Vide Cluver. Ital. antiq. lib. I, cap. 10. qui ibi hunc locum laudans, scripsit *Ex castris Dertonæ*. Grævius.

D. Brutus Imp. Cos. des. M. Ciceroni S. D.

II Eodem *exemplo à te mihi literæ redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum persolvere difficile est. Scripsi tibi, quæ hîc gererentur. In itinere est Antonius: ad Lepidum proficiscitur; ne de Planco quidem spem adhuc abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. In quibus quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. Ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi: & biduo ab Allobrogibus, & totius* [1] *Galliæ legatos expecto, quos confirmatos domum remittam. Tu,* [2] *quæ istic opus erunt administrari, prospicies, ut ex tua voluntate, reique publicæ commodo fiant. Malevolentiæ hominum in me, si poteris, occurres. Si non poteris, hoc consolabere, quòd me de statu meo nullis contumeliis deterrere possint. Pridie Nonas Maii, ex castris,* [3] *finibus Statiellensium.*

M. Ci-

Arg. Memor meritorum in se Ciceronis, iter Antonii ad Lepidum, dubiámque Planci fidem, & suum in remp. studium significat. *Anno* U. C. 710.

1. *Galliæ*] Cisalpinæ. Nam Transalpina ad Planci pertinebat imperium, exceptâ Narbonensi, quam Cæsar, cum ei finitima Hispania, Lepido regendam attribuerat. Manut.

2. *Quæ istic opus erunt administrari*] *Hæc opus sunt* Latinè dici scio: *hæc opus sunt administrari*, quàm Latinè dicatur, videto. Idem.

3. *Finibus Statiellensium*] Hoc est, in agro, seu, ut barbari loquuntur, ditione Statiellensium. *Aquæ Statiellæ*, seu *Aquæ Statiellonum* urbs Liguriæ, inter Dertonam, & Vada Sabatia, hodie vulgari vocabulo appellatur *Acqui*, & ab incolis *Aich*. Cives hujus urbis *Statiellenses*, tota verò gens *Statiellates*, posterioribus scriptoribus *Aquenses*. Vide Cluver. lib. I. de Ital. antiq. cap. 10. Grævius.

Digitized by Google

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S.

TRES uno die à te accepi epiſtolas, unam brevem, quam Flacco Volumnio dederas, duas pleniores: quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me miſit Lupus. Ex tuis literis, & ex Græceii oratione, non modò non reſtinctum bellum, ſed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem pro tua ſingulari prudentia, quin perſpicias, ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius, omnia tua illa præclara in rempublicam merita, ad nihilum eſſe ventura. Ita enim Romam erat nuntiatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antonium. Qui ſi ita ſe habet, ut, quemadmodum audiebam de Græceio, confligi cum eo ſine periculo non poſſit, non ille mihi fugiſſe à Mutina videtur, ſed locum belli gerendi mutaſſe. Itaque homines [1] alii facti ſunt. Nonnulli etiam queruntur, quòd perſecuti non ſitis. Opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant. Omnino eſt hoc populi, maximéque noſtri, in eo potiſſimùm abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. Sed tamen providendum ſit, ne quæ juſta querela eſſe poſſit. Res ſic ſe habet: [2] Is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit. Hoc quam vim habeat, te exiſtimare malo, quàm me apertiùs ſcribere. 12

ARG. Queritur, ab Antonio bellum renovatum, quod hominum opinione impediri à Bruto potuiſſet. *An.* U. C. 710.

1. *A ii facti ſunt*] Non iidem ſunt, qui erant: mutati ſunt. Plautus in Trin. *Verbis paucis quàm citò alium feciſti me.* MANUT.

2. *Is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit*] Idem X. 13. 19. 20. IDEM.

D. BRUTUS M. T. CICERONI S. D.

JAM non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre poſſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri. Attendere te volo, quæ in manibus ſunt. Quâ enim prudentiâ es, nihil te fugiet, ſi meas literas diligenter legeris. Sequi confeſtim Antonium his de cauſis, 13

ARG. Excuſat tarditatem in perſequendo Antonio: & in quo ſtatu res ſit, exponit. *Anno* U. C. 710.

causis, Cicero, non potui. Eram sine equitibus, sine jumentis: Hirtium perisse nesciebam: Cæsari non credebam, priusquam [1] *convenissem, & collocutus essem. Hic dies hoc modo abiit. Postero die manè à Pansa sum arcessitus Bononiam. Cùm in itinere essem, nuntiatum mihi est eum mortuum esse. Recurri ad meas copiolas: sic enim verè eas appellare possum. Sunt extenuatissimæ, & inopiâ omnium rerum pessimè acceptæ. Biduo me Antonius antecessit; itinera fecit multò majora fugiens, quàm ego sequens. Ille enim iit passim, ego ordinatim. Quacunque iit, ergastula solvit; homines arripuit; constitit nusquam priùs, quàm ad Vada venit. Quem locum volo tibi esse notum. Jacet inter Apenninum & Alpes,* [2] *impeditissimus ad iter faciendum. Cùm abessem ab eo millia passuum triginta, & se jam Ventidius conjunxisset, concio ejus ad me est allata, in qua petere cœpit à militibus, ut se trans Alpes sequerentur: sibi cum M. Lepido convenire. Succlamatum est, & frequenter à militibus Ventidianis (nam suos valde quàm paucos habet) sibi aut in Italia pereundum esse, aut vincendum. Etiam orare cœperunt, ut* [3] *Pollentiam iter facerent. Cùm sustinere eos non posset, in posterum diem iter suum contulit. Hac re mihi nuntiatâ, statim quinque cohortes Pollentiam præmisi, meúmque iter eò contuli. Horâ antè præsidium meum Pollentiam venit, quàm* [4] *Trebellius cum equitibus. Sanè quàm sum gavisus. In hoc enim victoriam puto consistere. In spem venerant, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus suis copiis pares arbitrabantur, neque ex Italia tam celeriter exercitum trajici posse credebant. Quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatúsque omnis, qui eò præmissus erat à nobis, sustinebant; nostróque adventu sustineri faciliùs posse confidimus. Tamen si quo etiam casu Isaram se trajecerint, ne quod detrimentum reipublicæ injungant, summa à nobis dabitur opera. Vos magnum animum, optimúmque spem de summa republica habere volumus, cùm & nos & exercitus nostros singulari concordiâ conjunctos, ad omnia*

1. *Convenissem*] Conveniri noluit. Appianus libro tertio. MANUT.

2. *Impeditissimus*] Quia cœnosus.

3. *Pollentiam*] Plin. lib. III, cap. 5. Oppidum Liguriæ supra Albam, haud procul Tanari ac Sturæ confluentibus, nunc exiguus vicus, vulgò *Polenza*. GRÆV.

4. *Trebellius*] Quem fraudatorem creditorum Cicero in Philippicis vocat. CORRAD.

Digitized by Google

omnia pro vobis videatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, daréque operam, ut quàm paratissimi & ab exercitu reliquisque rebus pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus. Qui quidem eas copias, quas diù simulatione reipublicæ comparabant, subitò ad patriæ periculum converterunt. Vale.

M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. P. D.

MIRABILITER, mi Brute, lætor, mea consilia, meásque sententias à te probari de [1] decemviris, de ornando [2] adolescente. Sed quid refert? mihi crede, homini non glorioso, planè jam, Brute, [3] frigeo. Ὄργανον enim erat meum Senatus. Id est jam dissolutum. Tantam spem attulerat exploratæ victoriæ tua præclara Mutinâ eruptio, fuga Antonii, conciso exercitu, ut omnium animi relaxati sint, meæque illæ vehementes contentiones tanquam [4] σκιαμαχίαι esse videantur. Sed, ut ad rem redeam, legionem Martiam & quartam negant, qui illas norunt, ulla conditione ad te posse perduci. Pecuniæ, quam desideras, ratio potest haberi, eáque habebitur. [5] De Bruto arcessendo, Cæsarémque ad Italiæ præsidium tenendo, valde tibi assentior. Sed, ut scribis, habes obtrectatores: quos equidem facillimè sustineo, sed impediunt tamen. [6] Ex Africa legiones expectantur. Sed bellum istic renatum mirantur homines. Nihil tam præter spem unquam. Nam [7] die tuo natali victoriâ nuntiatâ, in multa sæcula videbamus rempublicam liberatam. Novi timores [8] retexunt superiora. Scripsisti autem ad me iis, quas Idibus 14

ARG. Bruti literis respondet de decemviris, de legionibus perducendis, de pecunia, de hominum admiratione ob renatum bellum, cujus exitus ne timeatur, Bruti partes & munus esse dicit. *Anno* U. C. 710.

1. *Decemviris*] Aut creatis, aut creandis, qui consulatûs ab Antonio gesti rationem reposcerent. Appianus lib. III. & epist. 20. 21. & ad Att. epist. 19. lib. XV. MANUT.

2. *Adolescente*] Octaviano. IDEM.

3. *Frigeo*] Languidiores factæ sunt actiones meæ. Ὄργανον instrumentum, quo utebar: quo dissoluto, quid agere possum? itaque planè jam frigeo. IDEM.

4. Σκιαμαχίαι] Umbratiles pugnæ.

5. *De Bruto arcessendo*] De M. Bruto, qui erat in Macedonia. CORRAD.

6. *Ex Africa*] Vide epist. 24. lib. X.

7. *Die tuo natali*] Vide epist. ad M. Brutum, cujus initium, *Messallam*. MANUT.

8. *Retexerunt superiora*] Irrita faciunt, & vana. Cic. II. in Verr. *Omnia erant Metelli ejusmodi, ut totam illius præturam retexere videretur.* Hoc est, illius acta rescindere. Non malè Hittorp. & Stewech. *Hi novi timores retexunt superiora.* GRÆVIUS.

Digitized by Google

bus Maiis dedisti, modò te accepisse à Planco literas, non recipi à Lepido Antonium. Id si ita est, omnia faciliora. Sin aliter, magnum negotium: cujus exitum ne extimescam, tuæ partes sunt. Ego plus, quàm feci, facere non possum. Te tamen, id quod spero, omnium maximum & clarissimum videre cupio. Vale.

M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. P. D.

15 ETSI mihi tuæ literæ jucundissimæ sunt, tamen jucundius fuit, quòd in summa occupatione tua [1] Planco collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret, quod fecit ille diligenter. Mihi autem nihil amabilius officio tuo & diligentiâ. Conjunctio tua cum collega, concordiáque vestra, quæ literis communibus declarata est, senatui populóque Romano gratissima accidit. Quod superest, perge, mi Brute, & jam non cum aliis, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te: quo [2] magistro brevitatis uti cogito. Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maximè opto.

ARG. Laudat officium & diligentiam Bruti: cujus & collegæ concordiam omnibus gratam esse significat: & hortatur, ut secum jam ipse certet. *Anno* U. C. 710.

1. *Planco collegæ mandasti*] Jam se Plancus Bruto conjunxerat. Velleius lib. II. *Plancus dubiâ, id est, suâ fide, diù quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficilè consentiens, & nunc adjutor D. Bruti, collegæ sui, mox ejusdem proditor.* MANUT.

2. *Magistro brevitatis*] Brevitatem in scribendo amabat Decimus. Ep. 24. 25. IDEM.

M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. P. D.

16 PERMAGNI interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit; utrùm, cùm sollicitudinis aliquid haberes; an, cùm ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coràm, qui ad nos intempestivè adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt non loco redditæ. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille, cui mandavi, satis scitè & commodè tempus ad te cepit adeundi; confi-

ARG. Commendat Lamiam in petitione Præturæ. *Anno* U. C. 709.

Digitized by Google

confido me, quod velim, facilè à te impetraturum. L. Lamia præturam petit. Hoc ego utor uno omnium plurimùm. Magna vetustas, magna consuetudo intercedit, quódque plurimùm valet, nihil mihi ejus est familiaritate jucundius. Magno præterea beneficio ejus, magnóque merito sum obligatus. Nam Clodianis temporibus, cùm equestris ordinis princeps esset, próque mea salute acerrimè propugnaret, à Gabinio consule [1] relegatus est: quod ante id tempus civi Romano contigit nemini. Hoc cùm populus Romanus meminit, me ipsum non meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere præturam. Quanquam enim Lamia summo splendore, summâ gratiâ est, [2] magnificentissimo munere ædilitio; tamen, quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. Nunc, si me tanti facis, quanti certè facis, cùm equitum centurias tenes, in quibus regnas, [3] mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo quod sentio: Nihil est, Brute, omnia cùm à te expectem, quod mihi gratius facere possis.

1. *Relegatus est*] Vide epist. 29. lib. XII. & orationem pro Sextio, & pro domo. MAN.

2. *Magnificentissimo*] Vocem hanc in editionibus Manutii & Lambini antecedit *usus*: quod idem valet ac *functus*, & facilè abesse potest. Victorium sequimur.

3. *Mitte ad Lupum nostrum*] Pro, *significa Lupo nostro*. Modus loquendi Tullio familiaris. Ad Att. epist. 10. lib. XIII. *Hodie Spintherem expecto: misit enim Brutus ad me.* Et ad Tironem, epist. 9. lib. XVI. *Curio misi, ut medico honos haberetur.* MANUT.

M. T. C. D. BRUTO IMP. S. D.

LAMIA uno omnium familiarissimè utor. Magna ejus in me 17
non dico officia, sed merita, eáque sunt populo Romano notissima. Is magnificentissimo munere ædilitatis perfunctus petit præturam; omnésque intelligunt, nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. Sed is ambitus extare videtur, ut ego omnia pertimescam, totámque petitionem Lamiæ mihi sustinendam putem. In ea re quantum me possis adjuvare, facilè perspicio: nec verò, quantum meâ causâ velis, dubito. Velim igitur,

ARG. Commendat iterum eundem Lamiam in petitione Præturæ, scripta epistola brevi post superiorem. *Eodem anno* U. C. 709.

Digitized by Google

tur, mi Brute, tibi persuadeas, nihil me majore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus, omni studio, Lamiam in petitione juveris: quod ut facias, vehementer te rogo.

M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. D.

18 ETSI ex mandatis, quæ [1] Galbæ Volumnióque ad Senatum dedisti, quid timendum suspicandúmque putares, suspicabamur; tamen timidiora mandata videbantur, quàm erat dignum tuâ, populíque Romani [2] victoriâ. Senatus autem, mi Brute, fortis est, & habet fortes duces. Itaque molestè ferebat se à te, quem omnium, quicunque fuissent, fortissimum judicaret, timidum atque ignavum judicari. Etenim, cùm, te incluso, spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio; quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec verò Lepidum timebamus. Quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum reipublicæ indiceret? Nec dubito, quin tu plus provideas. Sed tamen, tam recenti [3] gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam molestiam afferebat. Quare velim equidem, id quod spero, ut planè abjectus & fractus sit Antonius. Sin aliquid virium fortè collegerit, sentiet nec senatui consilium, nec populo Romano virtutem deesse, nec Reipublicæ, te vivo, imperatorem. XIIII Kal. Jun.

ARG. Reprehendit in Decimo nonnullam timoris significationem. Scripta post Hirtium & Pansam consules interfectos. *Anno* U. C. 710.

1. *Galbæ*] Vide lib. X. epist. 30.

2. *Victoriâ*] Mutinensi. MANUTIUS.

3. *Gratulatione*] Hoc est, gratiarum actione. Est proprium in hac re verbum, cùm in supplicationibus Diis gratias agunt. GRÆVIUS.

D. BRUTUS M. T. CICERONI S. P. D.

19 *AD senatum quas literas misi, velim priùs perlegas, &, si qua tibi videbuntur, commutes. Necessariò me scripsisse, ipse animad-*

ARG. Reip. vicem timet: Vicetinos commendat. *Anno* U. C. 710.

Digitized by Google

animadvertes. Nam cùm putarem, Quartam & Martiam legiones mecum futuras, ut Druso [1] *Paulóque placuerat, vobis assentientibus, minùs de reliquis rebus laborandum existimavi. Nunc verò, cùm sim cum tironibus egentissimis, valde & meam & vestram vicem timeam necesse est.* [2] *Vicetini me & M. Brutum præcipuè observant. His ne quam patiare injuriam fieri in senatu* [3] *vernarum causâ, à te peto. Causam habent optimam, officium in rempublicam summum, genus hominum adversariorum seditiosum, &* [4] *inertissimum.* XII *Kal. Jun.* [5] *Vercellis.*

1. *Paulóque*] L. Æmilio Paulo, qui consul fuerat cum C. Marcello. Ep. 12. lib. XV. Frater fuit M. Lepidi, eóque mox Triumviro proscriptus est. MANUTIUS.

2. *Vicetini*] *Vicentia* oppidum mediterraneum in Venetorum finibus, hodie *Vicenza.* Incolæ in monumentis antiquis modò *Vicetini*, modò *Vincentini* dicuntur. Vide Cluv. Ital. antiq. lib. I. cap. 18. GRÆV.

3. *Vernarum*] Vernis comparat Vicentinorum adversarios, ut homines nequam abjectósque significet. MANUT.

4. *Inertissimum*] Blanditur, quod in his duobus optimis libris, Hittorpiano & Palatino legitur, *incertissimum.* Hoc est, infidum, inconstans. GRÆVIUS.

5. *Vercellis*] Plin. lib. III. cap. 17. Oppidum Galliæ Transpadanæ. IDEM.

D. BRUTUS IMP. COS. DES. M. T. CICERONI S. P. D.

QUOD *pro me non facio, id pro te facere meus in te amor,* 20
tuáque officia cogunt, ut timeam. Sæpe enim mihi cùm esset dictum, neque à me contemptum, novissimè Labeo Segulius, homo [1] *sui simillimus, narravit mihi apud Cæsarem se fuisse, multúmque sermonem de te habitum esse: ipsum Cæsarem nihil sanè de te questum, nisi dictum, quod diceret te dixisse,* laudandum adolescentem, ornandum, [2] tollendum: *se non esse commissurum, ut tolli possit. Hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. Veteranos verò pessimè loqui*

ARG. Timere se ait Ciceronis causâ, eúmque monet, ut veteranorum animos sibi conciliet. *Anno* U. C. 710.

1. *Sui simillimus*] Idem, qui solet esse. Accipiendum in malam partem. MANUT.

2. *Tollendum*] Ambiguum verbum. Nam & ad honorem, & ad necem pertinet. Velleius lib. II. *Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum & tollendum censebat; cùm aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Suetonius in Augusto: *Ut cognovit, Antonium post fugam à M. Lepido receptum, ceterósque duces & exercitus consentire pro partibus: causam optimatium, sine cunctatione deseruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factáque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendúmque jactassent, ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur.* IDEM.

Digitized by Google

qui volebat Labeo me credere, & tibi ab iis instare periculum, maximéque indignari, quòd [3] *in decemviris neque Cæsar, neque ego habiti essemus, atque omnia ad vestrum arbitrium essent collata. Hæc cùm audissem, & jam in itinere essem, committendum nondum putavi,* [4] *priùs ut Alpes transgrederer, quàm, quid istic ageretur, scirem. Nam de tuo periculo, crede mihi, jactatione verborum, & denuntiatione periculi, sperare* [5] *eos, te pertimefacto, adolescente impulso, posse magna consequi præmia: &* [6] *totam istam cantilenam ex hoc pendêre, ut quàm plurimum lucri faciant. Neque tamen non te cautum esse volo, & insidias vitantem. Nihil enim tuâ mihi vitâ potest esse jucundius, neque carius. Illud vide, ne, timendo, magis timere cogare: &, quibus rebus potest occurri veteranis, occurras. Primùm, quod desiderant de decemviris, facias; deinde, de præmiis. Si tibi videtur, agros eorum militum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos censeas* [7] *ab utrisque nobis. De nummis, lentè, ac ratione habitâ pecuniæ: Senatum de ea re constituturum. Quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, video facultatem fore ex agris Syllanis, & agro Campano. Æqualiter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere. Hæc me tibi scribere non prudentia mea hortatur, sed amor in te, & cupiditas otii, quod sine te consistere non potest. Ego, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excedam. Legiones armo, paro: spero me non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus, & impetus hominum. De exercitu, quem Pansa habuit, legionem mihi Cæsar non remittit. Ad has literas statim mihi rescribe, tuorúmque aliquem mitte, si quid reconditum magis erit, méque scire opus esse putaris. Vale.* VIII. *Kal. Jan.* [8] *Eporediâ.* M. T.

---

3. *In decemviris*] Creatis. Quæ senatus legionibus exercitúsque pollicitus erat, persolverent, distribueréntque. Cor. Ideò creatis, ut ab Antonio gesti consulatûs rationem reposcerent: epist. 14. & 21. Appianus lib. III. Manut.

4 *Priùs ut Alpes transgrederer*] Mendosus videtur epistolarum ordo. Nam si nondum Alpes transgressus est, conjungi Planco nondum potuit. At conjunctus videtur epist. 15. Idem.

5. *Eos*] Veteranos. Corrad.

6. *Totam istam cantilenam*] Totum hoc quod isti jactant, atque in te conferunt. *Cantilena* enim, & id, quod canitur, & id, quod crebris sermonibus usurpatur. Manut.

7. *Ab utrisque nobis*] Man. *ab utrisque nostrûm.* Lamb. *ab utroque nostrûm.*

8. *Eporedia*] Plin. lib. III. cap. 17. Colonia Romanorum in Transpadana Gallia, Sibyllinis libris à populo Romano condi jussa in faucibus Salassorum vallis, inter duo altissima juga in edito vertice, munimentum contra Salassos: hodie *Ivrea.* Alii verò scribunt *Eporædia.* Vid. Cluv. Ital. antiq. lib. I, cap. 13. Grævius.

Digitized by Google

M. T. C. D. BRUTO IMP. S. P. D.

DII isti Segulio malefaciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Quid? tu illum tecum solùm, aut cum Cæsare, qui neminem prætermiserit, quicum loqui potuerit, cui non eadem ista dixerit? Te tamen, mi Brute, sic amo, ut debeo, quòd istud, quidquid esset nugarum, me scire voluisti. Signum enim magnum amoris dedisti. Nam quòd idem Segulius, veteranos queri, quòd tu & Cæsar in decemviris non essetis; utinam ne ego quidem essem. Quid enim molestius? Sed tamen cùm ego sensissem, de iis qui exercitus haberent, sententiam ferri oportere; iidem illi, qui solent, reclamarunt. Itaque excepti etiam estis, me vehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui [1] res novas quærit: non quò veterem comederit, (nullam enim habuit) sed [2] hanc ipsam [3] recentem novam devoravit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me, ut de me timeas aliquid: omni te, vir optime, mihíque carissime Brute, de me metu libero. Ego enim, quæ provideri poterunt, non fallar in iis; quæ cautionem non habebunt, de his non ita valde laboro. Sim enim impudens, si plus postulem, quàm homini à rerum natura tribui potest. Quod mihi præcipis ut caveam, ne, timendo, magis timere cogar, & sapienter & amicissimè præcipis. Sed velim tibi persuadeas, cùm te constet excellere hoc genere virtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturbere, me huic tuæ virtuti proximè accedere. Quamobrem

ARG. Respondet superiori epistolæ.

1. *Res*] Ex ambiguo dictum CORRAD.

2. *Hanc ipsam*] Vel hæreditate acceptam, vel à C. Cæsare, cùm viveret, donatam. Quod verisimilius videtur. Nam & Octaviani amicus erat: & veteranis favebat, ut ex epistola superiore intelligitur: & verbum, *Devoravit*, usurpatur Philip. XII. de veteranis. Fortasse igitur & hic Segulius ex veteranis Cæsaris militibus unus fuit. MANUT.

3. *Recentem novam*] Ita differunt *Recens* & *Novum*, ut *Vetus* & *Antiquum*. Potest enim recens aliquid esse, quod novum non sit. Ut recens hereditas, quæ alicui nuper obtigit, non tamen nova, cùm aliæ possint hereditates eidem antea contigisse. *Novum* est enim, non quod nuper, sed quod nunc primum habemus: *recens* verò, non quod nunc primum, sed quod nuper. Et *novum* ad rem, *recens* ad tempus refertur. Propterea, ut simul utrumque significetur, conjunguntur. IDEM.

Digitized by Google

obrem neque metuam quidquam, & cavebo omnia. Sed vide, ne tua jam, mi Brute, culpa futura sit, si ego quidquam timeam. Tuis enim opibus, & consulatu tuo, etiam si timidi essemus, tamen omnem timorem abjiceremus; præsertim cùm persuasum omnibus esset, mihique maximè, à te nos unicè diligi. Consiliis tuis, quæ scribis de quatuor legionibus, déque agris assignandis ab utrisque vestrûm, vehementer assentior. Itaque cùm quidam de collegis nostris agrariam curationem ligurirent, disturbavi rem, totámque vobis integram reservavi. Si quid erit occultius, & (ut scribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quo fideliùs ad te literæ perferantur. Vale. Pridie Nonas Junii.

M. T. C. D. Bruto Imp. S. P. D.

22 CUm Appio Claudio, [1] Caii filio, summa mihi necessitudo est, multis ejus officiis, & meis mutuis constituta. Peto à te majorem in modum, vel humanitatis tuæ, vel meâ causâ, ut eum auctoritate tuâ, quæ plurimùm valet, [2] conservatum velis. Volo te, cùm fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. Cujus quidem causa hoc melior debet esse, quòd pietate adductus, [3] propter patris restitutionem, se cum Antonio conjunxit. Quare etsi minùs veram causam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus potest hominem, summo loco natum, summo ingenio, summâ virtute, officiosissimum præterea & gratissimum, incolumem in civitate retinere. Quod ut facias, ita à te peto, ut majore studio, magísve ex animo petere non possim. Vale.

D. Bru-

Arg. Commendat App. Claudium, ut ex hostium numero eximatur. *An.* U.C. 710.

1. *Caii F.*] Distinguit ab aliis, qui eodem prænomine & nomine utebantur. Manut.

2. *Conservatum velis*] Ne hostis cum Antonio judicetur, quandoquidem eum secutus erat. Manutius.

3. *Propter patris restitutionem*] Videtur pater ejus, cùm exularet, ab Antonio consule in patriam restitutus. Idem.

Digitized by Google

D. BRUTUS M. T. CICERONI S. P. D.

NOs *hîc valemus rectè*, &, *quo meliùs valeamus*, *operam dabimus. Lepidus commodè de nobis sentire videtur. Omni timore deposito, debemus liberè reipublicæ consulere. Quòd si omnia* [1] *essent aliena, tamen* [2] *tribus tantis exercitibus* [3] *propriis reipublicæ valentibus, magnum animum habere debebas, quem & semper habuisti, & nunc, fortunâ adjuvante, augere potes. Quæ tibi superioribus literis meâ manu scripsi, terrendi tui causâ homines loquuntur.* [4] *Si frenum momorderis, peream, si te omnes, quot sunt, conantem loqui ferre poterint. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi à te literæ veniant, in Italia morabor.* VIII. *Kal. Jun. Eporediâ.* 23

ARG. Ut bene de rep· speret, hortatur Ciceronem, cujus literas expectat. *Anno* U. C. 710.

1. *Essent aliena*] Apud Lepidum. Si scilicet cum Antonio sentiret. CORRAD.

2. *Tribus*] Cæsaris, Planci, & meo.

3. *Propriis reip.*] Fidis & certis in defensione causæ publicæ. Sed opinio eum fefellit. Mox enim Octavianus & Plancus accesserunt Antonio. *Proprium* eleganter constans, perpetuum. Terent. Andr. IV, 3, 1. *Nihilne esse proprium cuiquam?* Plaut. Mostell. I, 3, 68. *Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.* J. F. GRONOV.

4. *Si frenum momorderis*] Id est, si nostris invidis & malevolis, qui velut freno coercere te volunt, ostenderis te resistere & coerceri nolle. Ab equis contumacibus & refractariis desumpta translatio. Libertatem experiri. Sall. Jug. XXI. IDEM.

CICERO D. BRUTO S. P. D.

NARRO tibi, antea subirascebar brevitati tuarum literarum: nunc mihi loquax esse videor. Te igitur imitabor. Quàm multa quàm paucis? Te rectè valere, operámque dare, ut quotidie meliùs: Lepidum commodè sentire: tribus exercitibus quidvis nos oportere confidere. Si timidus essem, tamen istâ epistolâ mihi omnem metum abstersisses. Sed, ut mones, frenum momordi. Etenim, qui, te incluso, omnem spem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio jam [1] vigiliam meam, Brute, tibi trade- 24

ARG. Respondet superiori epistolæ, qua timorem sibi exemptum dicit. Addit, quid agendum ei sit: & de pecunia decreta. *Anno* U. C. 710.

1. *Vigiliam meam*] Id est, curam meam. Translatio ab excubantibus militibus, qui succedunt per vigilias. MANUT.

Digitized by Google

tradere; sed ita ut ne desim constantiæ meæ. Quod scribis, in Italia te moraturum, dum tibi literæ meæ veniant; si per hostem licet, non erraris: [2] multa enim Romæ. Sin adventu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia, expeditissima quæ erat, tibi decreta est. Habes amantissimum [3] Servium. Nos non desumus. Vale, VIII. Idus Junias.

2. *Multa enim Romæ*] Multa dicuntur ejusmodi, ut in Italia diutiùs morandum tibi non esse videatur. MANUT.

3. *Servium*] De quo, epist. 7. hujus libri. Alii, *Servilium*, Isaurici filium.

M. T. C. D. BRUTO S. P. D.

25 EXSPECTANTI mihi tuas quotidie literas, Lupus noster subitò denuntiavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. Ego autem, etsi, quid scriberem, non habebam (acta enim ad te mitti sciebam; inanem autem sermonem literarum tibi injucundum esse audiebam) brevitatem secutus sum, te magistro. Scito igitur, in te, & in collega spem omnem esse. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, privatis literis ad bellum commune vocare non desino. Qui utinam adesset: [1] intestinum urbis malum, quod est non mediocre, minùs timeremus. Sed quid ago? non imitor [2] λακωνισμὸν tuum? altera jam pagella procedit. Vince & vale. XIV Kal. Quint.

ARG. Expectari à se Bruti literas ait: sibi nihil esse quod scriberet: in ipso & Planco spem omnem esse. *Anno* U. C. 710.

1. *Intestinum urbis malum*] Erant enim, qui Octavianum, interfectis Pansa & Hirtio consulibus, ad petitionem consulatûs impellerent. Epist. 24. lib. X. & epist. 14. ad M. Brutum. MANUT.

2. *Λακωνισμὸν tuum*] Laconicam, qua tu soles uti, brevitatem. IDEM.

D. BRUTUS IMP. M. T. CICERONI S. P. D.

26 MAXIMO [1] *meo dolore hoc solatio utor, quòd intelligunt homines, non sine causa me timuisse* [2] *ista, quæ acciderunt. Deli-*

ARG. Sollicitus ob Antonii cum Lepido conjunctionem, legiones quàm primùm sibi & stipendium mitti postulat. *Anno* U. C. 710.

1. *Maximo*] Man. Lamb. *in maximo*.

2. *Ista*] Conjunctionem Lepidi cum M. Antonio. CORRADUS.

Digitized by Google

[3] *Deliberent, utrùm trajiciant legiones ex Africa, nécne: & ex Sardinia:* [4] *Brutum arcessant, nécne: & mihi stipendium dent, an non decernant. Ad senatum literas misi. Crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt quemadmodum scribo,* [5] *magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. Et fide opus est, & celeritate.* III. *Non. Jun. ex castris.*

3. *Deliberent*] Ironia cum stomacho. MAN.
4. *Brutum*] M. Brutum, qui erat in Macedonia. IDEM.
5. *Magnum*] Verissimum augurium. Nam, Novembri mense initâ inter Lepidum, Antonium, Octavianum societate, & omnes, & omnia periere. *Velleius, Plutarchus, Appianus, Dio.* IDEM.

M. CICERO MATIO S.

27

NONDUM satis constitui, molestiæne plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo cùm plenus officii, tum utriusque nostrûm amantissimus. Nam cùm in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore cùm esset, manè venit. Quem cùm objurgarem, quòd parùm valetudini parceret: tum ille, nihil sibi longius fuisse, quàm ut me videret. Num quidnam, inquam, novi? Detulit ad me querelam tuam: de qua priùs quàm respondeo, pauca præponam. Quantum memoriâ repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior: sed vetustas habet aliquid commune cum multis, amor non habet. Dilexi te quo die cognovi, méque à te diligi judicavi. Tuus deinde discessus, ísque diuturnus, ambitio nostra, & vitæ dissimilitudo, non est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cùm Cæsar esset in Gallia. Quod enim vehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Cæsari, perfecisti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarissimè dicta, scripta, communicata sunt.

ARG. Questus erat Matius, accusari se à Cicerone, tum quòd in lege quadam Cæsaris suffragium tulisset, tum etiam quòd ludos, Cæsari mortuo ab Octaviano datos, curasset. Cicero se ita purgat, ut alterum negari à se dicat, alterum defendi. *Anno* U. C. 709.

Digitized by Google

ſunt. Graviora enim ſunt conſecuta. Et initio belli civilis cùm Brunduſium versùs ires ad Cæſarem, veniſti ad me in [1] Formianum. Primùm, hoc ipſum quanti, præſertim temporibus illis? Deinde, oblitum me putas conſilii, ſermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus intereſſe memini Trebatium. Nec verò ſum oblitus literarum tuarum, quas ad me miſiſti, cùm Cæſari obviam [2] veniſſes in agro, ut arbitror, [3] Trebulano. Secutum illud tempus eſt, cùm me ad Pompeium proficiſci ſive pudor meus coëgit, ſive officium, ſive fortuna. Quod officium tuum, quod ſtudium, vel in abſentem me, vel in præſentes meos defuit? quem porrò omnes mei & mihi & ſibi te amiciorem judicaverunt? [4] Veni Brunduſium: oblitúmne me putas, quâ celeritate, ut primùm audieris, ad me Tarento advolaris? quæ tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miſeriarum metu? Tandem aliquando Romæ eſſe cœpimus: quid defuit noſtræ familiaritati in maximis rebus? Quónam modo me gererem adverſus Cæſarem, uſus tuo conſilio ſum. In reliquis officiis, cui tu tribuiſti, excepto Cæſare, præter me, ut domum ventitares, horáſque multas ſæpe ſuaviſſimo ſermone conſumeres? tum, cùm etiam, ſi meminiſti, ut hæc [5] φιλοσοφέμενα ſcriberem, tu me impuliſti. Poſt Cæſaris reditum, quid tibi majori curæ fuit, quàm ut eſſem ego illi quàm familiariſſimus? quod effeceras. Quorſum igitur hæc oratio longior, quàm putaram? quia ſum admiratus, te, qui hæc noſſe deberes, quidquam à me commiſſum, quod eſſet alienum noſtrâ amicitiâ, credidiſſe. Nam præter hæc, quæ commemoravi, quæ teſtata ſunt & illuſtria, habeo multo occultiora, quæ vix verbis exequi

1. *Formianum*] Eſt villa Ciceronis, in medio oppidorum Formiæ & Caietæ in litore poſita, unde etiam *Caieta* dicta eſt, & *villa Caietana*, in qua Cic. poſtea fuit cæſus. Etiam nunc hodie viſuntur ejus reliquiæ & rudera, dicitúrque *la villa di Cicer*. Cluv.

2. *Veniſſes*] Manutius, *veniſſem*.

3. *Trebulano*] Trebulæ in agro Sabino fuerunt, ubi nunc eſt oppidum *Mons Leo* vocatum, cujus ad radices antiqui lapides, inſcriptâ Trebularum mentione, aliquot extant: quibus etiam lapidibus intelligitur id, quod ait Servius in illo Virgilii verſu, *Hereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ*. Plinius lib. III. cap. 12. *Trebulani, qui cognominantur Mutuſcei*. Manut.

4. *Veni Brunduſium*] Poſt pugnam Pharſalicam Cicero, armorum odio & victoriæ deſperatione, in Italiam rediit. Ad Attic. epiſt. 5. 6. lib. II. Idem.

5. φιλοσοφέμενα] Libros de Finibus; Tuſculanas quæſtiones, & alia, quæ ſcripſit afflictâ repub. Manut.

Digitized by Google

qui possum. Omnia me tua delectant: sed maximè maxima cùm fides in amicitia, consilium, gravitas, constantia, tum lepos, humanitas, literæ. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego, te [6] suffragium tulisse in illa lege, primùm non credidi: deinde si credidissem, nunquam id sine aliqua justa causa existimarem te fecisse. Dignitas tua facit, ut animadvertatur quidquid facias: malevolentia autem hominum, ut nonnulla duriùs, quàm à te facta sint, proferantur. Ea tu si non audis, quid dicam, nescio. Equidem, si quando audio, tam defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex. Alia sunt, quæ liquidò negare soleam, ut de isto ipso suffragio: alia, quæ defendam à te piè fieri, & humanè, ut de curatione [7] ludorum. Sed te, hominem doctissimum, non fugit, si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem videtur, in utramque partem de tuo officio disputari posse: vel in eam, quâ ego uti soleo, Laudandam esse fidem & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, quâ nonnulli utuntur, Libertatem patriæ, vitæ amici anteponendam. Ex his sermonibus utinam essent delatæ ad te disputationes meæ. Illa verò duo, quæ maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentiùs, quàm ego, commemorat, aut sæpius: te & non suscipiendi belli civilis gravissimum auctorem fuisse, & moderandæ victoriæ; in quo qui mihi non assentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari nostro, qui mihi dedit causam harum literarum: quibus nisi credideris, me omnis officii & humanitatis expertem judicaris: quo nec mihi gravius quidquam potest esse, nec te alienius.

6. *Suffragium tulisse in illa lege*] Opinor legem significari, quam Cæsar, ut scripsit ipse lib. III. de Bell. Civ. pro debitoribus tulit, ut arbitri darentur, per quos fierent æstimationes possessionum & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. Hoc eo magis existimo, quòd ad hanc partem respondens Matius, *Res*, inquit, *mea familiaris lege Cæsaris diminuta est*. IDEM.

7. *Ludorum*] Epistolâ sequenti. CORRAD.

Digitized by Google

MATIUS CICERONI S.

28 *MAGNAM voluptatem ex tuis literis cepi, quòd, quam speraram, atque optaram, habere te de me opinionem cognovi. De qua etsi non dubitabam, tamen, quia maximi æstimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conscius autem mihi eram nihil à me commissum esse, quod boni cujusquam offenderet animum. Eo minùs credebam, plurimis atque optimis artibus ornato tibi temerè quidquam persuaderi potuisse, præsertim in quem mea propensa & perpetua fuisset atque esset benevolentia. Quod cùm, ut volui, scio esse; respondebo criminibus, quibus tu pro me, [1] ut par erat, tuâ singulari bonitate & amicitiâ nostrâ, sæpe restitisti. Nota enim mihi sunt, quæ in me post Cæsaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quòd mortem hominis necessarii graviter fero, atque eum, quem dilexi, periisse indignor. Aiunt enim, Patriam amicitiæ præponendam esse: perinde ac si jam vicerint, obitum ejus reipublicæ fuisse utilem. Sed non agam astutè. Fateor me ad istum gradum sapientiæ non pervenisse. Neque enim Cæsarem in dissensione civili sum secutus: sed amicum, re quanquam offendebar, tamen non deserui: neque bellum unquam civile, aut etiam causam dissensionis probavi: quam etiam nascentem extingui summè studui. Itaque in victoria hominis necessarii, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine sum captus: quibus præmiis reliqui, minùs apud eum quàm ego cùm possent, immoderatè sunt abusi. Atque etiam res familiaris mea, [2] lege Cæsaris diminuta est: cujus beneficio plerique, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, æquè ac pro mea salute laboravi. Possum igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum, à quo id impetratum est, perisse non indignari, cùm præsertim iidem homines illi, & invidiæ & exitio fuerint? Plecteris ergo, inquiunt, cùm factum nostrum improbare audes.*

ARG. Respondet superiori Ciceronis, purgátque se adversùs vituperatores. *Anno* U. C. 709.

1. *Ut par erat, tuæ singulari bonitati & amicitiæ nostræ*] Ita leg. & distinguendum est. Sic II. de Divin. *Casum autem prælii nemo nostrûm erat, quin timeret, sed ita ut constantibus hominibus par erat, non apertè.* J. F. GRONOV.

2. *Lege*] Vide superiorem epist.

Digitized by Google

audes. O ſuperbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunitè licere! At hæc etiam ſervis ſemper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent, ſuo potiùs quàm alterius arbitrio: quæ nunc, ut quidem iſti dictitant, libertatis auctores, metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius unquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate deſciſcam. Nunquam enim honeſtam mortem fugiendam, ſæpe etiam oppetendam putavi. Sed quid mihi ſuccenſent, ſi id opto, ut pœniteat eos ſui facti? Cupio enim Cæſaris mortem omnibus eſſe acerbam. At debeo pro civili parte rempublicam velle ſalvam. Id quidem me cupere, niſi & antè acta vita & reliqua mea ſpes, tacente me, probat, dicendo vincere non poſtulo. Quare majorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihíque, ſi ſentis expedire rectè fieri, credas nullam communionem cum improbis eſſe poſſe. An quod adoleſcens præſtiti, cùm etiam errare cum excuſatione poſſem, id nunc, ætate præcipitatâ, commutem, ac me ipſe retexam? Non faciam, neque, quod diſpliceat, committam, præterquam quod hominis mihi conjunctiſſimi, ac viri ampliſſimi doleo gravem caſum. Quòd ſi aliter eſſem animatus, nunquam, quod facerem, negarem: ne & in peccando improbus, & in diſſimulando timidus ac vanus exiſtimarer. At [3] ludos, quos [4] Cæſaris victoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad ſtatum reipublicæ pertinet. Quod tamen munus & hominis amiciſſimi memoriæ, ac honoribus præſtare etiam mortui debui, & optimæ ſpei adoleſcenti, ac digniſſimo [5] Cæſare, petenti negare non potui. Veni etiam conſulis Antonii domum ſæpe, ſalutandi causâ: ad quem, qui me parùm patriæ amantem eſſe exiſtimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causâ, frequentes ventitare reperies. Sed quæ hæc eſt arrogantia, quòd Cæſar nunquam interpellavit, quin, quibus vellem, atque etiam quos ipſe non diligebat, tamen iis uterer, eos, qui mihi amicum eripue-

3. *Ludos*] Eos, ut opinor, de quibus Plinius lib. II. cap. 45. *Cometes apparuit ludis, quos faciebat Auguſtus Veneri genitrici, non multò poſt obitum patris Cæſaris.* Et Suetonius: *Ludis, quos primos conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit.* Et Dio lib. XLV. *Ludos fecit ſuis ſumptibus, ob perfectam Veneris ædem.* MANUTIUS.

4. *Cæſaris Victoria*] Voverat enim Cæſar ædem Veneri genitrici, ſi Pompeium prælio Pharſalico deviciſſet. Appian. IDEM.

5. *Cæſare*] Sic emendavimus ex Mſ. cùm antea legeretur *Cæſari.* IDEM.

eripuerunt, carpendo me efficere conari, ne quos velim diligam? Sed non vereor, ne aut meæ vitæ modestia parùm valitura sit in posterum contra falsos rumores: aut ne etiam ii qui me non amant, propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere. Mihi quidem si optata contingent, quod reliquum est vitæ, in otio Rhodi degam: sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas ago gratias, quòd tuum erga me animum simplicem atque amicum aperuit: & quòd eum, quem semper lubenter dilexi, quo magis jure colere atque observare deberem, fecit. Bene vale, & me dilige.

CICERO [1] OPPIO S.

29 DUBITANTI mihi (quod scit Atticus noster) de hoc toto consilio profectionis, quòd in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem judicium & consilium tuum. Nam & scripsisti apertè, quid tibi videretur, & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper judicavi in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem: maximéque sum expertus, cùm initio civilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundúmne ad Pompeium, an manendum in Italia. Suasisti, ut consulerem dignitati meæ. Ex quo, quid sentires, intellexi; & sum admiratus fidem tuam, & in consilio dando religionem: quòd, cùm aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi, & semper me à te diligi sensi: & cùm abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem & meos præsentes à te cultos & defensos esse memini. Et post meum reditum, quàm familiariter mecum vixeris, quæque ego de te & senserim, & prædicarim, omnes, qui solent hæc animadvertere, testes habemus. Gravissimum

---

ARG. Profecturus in Græciam, res suas Oppio commendat, commemoratis antè beneficiis ab ipso acceptis. *Anno* U. C. 709.

1. *Oppio*] C. Oppio, Cæsaris amicissimo, quem secutus est in bello civili, fuitque legatus ejus in Africa. MANUT. & SIGON.

Digitized by Google

ſimum verò judicium de mea fide & de conſtantia feciſti, cùm poſt mortem Cæſaris totum te ad amicitiam meam contuliſti. Quod tuum judicium, niſi meâ ſummâ benevolentiâ erga te, omnibúſque meritis comprobaro, ipſe me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conſervabis amorem tuum (etſi more magis hoc quidem ſcribo, quàm quo te admonendum putem) meáque omnia tuebere: quæ tibi ne ignota eſſent, Attico mandavi: à me autem, cùm paulum otii nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER XII.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

FINEM nullum facio, mihi crede, Caſſi, 1
de te & de Bruto noſtro, id eſt, de tota republica cogitandi, cujus omnis ſpes in vobis eſt, & in D. Bruto. Quam quidem jam habeo ipſe meliorem, republicâ à Dolabella meo præclariſſimè geſtâ. Manabat enim [1] illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano. Sed ita [2] compreſſa eſt, ut mi-

ARGUMENTUM. Factum Dolabellæ, quo aram Cæſaris evertit, laudat: ſublato rege, regnum ſupereſſe queſtus, C. Caſſium hortatur, ut remp. cum Bruto omni perturbatione liberet. *Anno* U. C. 709.

1. *Illud malum*] Tumultus, à ſceleratis & ſervis de Cæſaris ſepultura & columna excitatus. CORRAD. Vide Suet. Jul. cap. 85. & Philipp. I.

2. *Compreſſa*] Primus hanc lectionem im-

hi videamur omne jam ad tempus ab illo duntaxat [3] sordidissimo periculo tuti futuri. Reliqua magna sunt, ac multa: sed posita omnia in vobis. Quanquam primùm quidque explicemus. Nam, ut adhuc quidem actum est, non regno, sed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. Neque verò id solùm, sed etiam, quæ ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec ejus quidem rei finem video. [4] Tabulæ figuntur, [5] immunitates dantur, pecuniæ maximæ [6] describuntur, exules reducuntur, senatus-consulta falsa referuntur; ut tantummodo odium illud hominis impuri, & servitutis dolor depulsus esse videatur; respublica jaceat in his perturbationibus, in quas eam ille conjecit. Hæc omnia vobis sunt expedienda. Nec hoc cogitandum, satis jam habere rempublicam à vobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare; sed contenta non est, &, pro magnitudine & animi & beneficii vestri, à vobis magna desiderat. Adhuc ulta suas injurias est per vos interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta verò sua quæ recuperavit? an quòd ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cujus [7] æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? At enim ita decrevimus. Fecimus id quidem, temporibus cedentes, quæ valent in republica plurimùm: sed immoderatè quidam & ingratè nostra facilitate

---

mutavit Manutius, & supposuit *compressum*. Sed *compressa* sensum respicit, non præcedentem vocem. Compressa est turba, & seditio hominum perditorum, qui tectis & templis & bonis viris minabantur. Hoc enim erat illud malum, quod serpebat in dies & gliscebat. Sic in I. ad Fam. epist. 9. *Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quàm tres sorores.* Ut bene restituit Victorius. GRÆVIUS. Et ipse tamen Grævius *compressum* legi vult in emendandis, Tomo suo II. pag. 416. Posteriores cogitationes, an sapientiores? OLIVETUS.

3. *Sordidissimo*] Quod ab infima plebe, atque à servis etiam impendebat. MANUT.

4. *Tabulæ figuntur*] Æreas tabulas in publico figebat Antonius, decretum aliquod Cæsaris, aut beneficium continentes: quasi scriptum id reperisset in Cæsaris commentariis. Phil. V. 4, & Att. XIV. 12. IDEM.

5. *Immunitates dantur*] Homines & populi stipendiarii & vectigales tributis liberantur. Phil. V. 4. J. F. GRONOV.

6. *Describuntur*] Vel indicuntur & colliguntur, Justin. XVI. 3. vel assignantur & ex ærario tribuuntur, ut ferè & Manutius; sed exemplis utitur non convenientibus. Terent. Phorm. V. 8. 30. *Illud mihi argentum jube raptim rescribi Phormio.* Ph. *Quodque ego descripsi porrò illis, quibus debui.* IDEM.

7. *Æra refigere*] Leges antiquare, abrogare. *Æra* sunt leges æneis tabulis incisæ, propriè ipsæ tabulæ, quibus leges inscriptæ. GRÆVIUS.

Digitized by Google

tate abutuntur. Verùm hæc propediem, & multa alia coràm. Interim velim sic tibi persuadeas, mihi cùm reipublicæ, quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causâ, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut valeas.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

VEHEMENTER lætor, tibi probari sententiam & [1] orationem meam; quâ si sæpius uti liceret, nihil esset negotii, libertatem & rempublicam recuperare. Sed [2] homo amens & perditus, multóque nequior, quàm ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, cædis initium quærit: nullámque aliam ob causam me auctorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me veterani incitentur. Quod ego periculum non extimesco, modò vestri facti gloriam cum mea laude communicet. Ita nec [3] Pisoni, qui in eum primus invectus est, nullo assentiente, nec mihi, qui idem tricesimo pòst die feci, nec [4] P. Servilio, qui me est consecutus, tutò in senatum venire licet. Cædem enim gladiator quærit, ejusque initium [5] a. d. XIII Kal. Oct. à me se facturum putavit: [6] ad quam paratus venerat, cùm in villa Metelli complures dies commentatus esset. Quæ autem in lustris & in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, vomere suo more,

Ddd 2

ARG. Invehitur in Antonii immoderatam potentiam, reique publicæ statum describit. *Anno* U. C. 709.

1. *Orationem meam*] Secundam in Antonium, quæ extat. MANUT.

2. *Homo amens*] M. Antonius. IDEM.

3. *Pisoni*] L. Calpurnio Pisoni, C. Cæsaris socero. Vide Philipp. I. IDEM.

4. *P. Servilio*] Isaurici filio, qui consul fuerat cum C. Cæsare. IDEM.

5. *A. d. XIII. Kalend. Oct.*] Tota res ita se habet. Cùm Cicero, post interitum Cæsaris, primùm desperatâ repub. in Græciam abire cogitasset; deinde, allatâ spe quadam libertatis & otii, mutato consilio ad urbem revertisset; M. Antonius Consul Kalend. Sept. de supplicationibus relaturus, eum de more in senatum vocavit. Cicero misit, qui se excusarent, quòd de via langueret. Ille iratus, fabros se missurum, & domum illius disturbaturum esse, audiente senatu, dixit. Venit Cicero postridie in senatum, id est, IV. Non. Sept. & locutus est, absente Antonio, de rep. liberiùs, quàm pericula minæque postulabant: eáque nunc extat oratio, Philippicarum prima. Tum Antonius, furore percitus, adesse eum jussit in senatu ad XIII. Kal. Oct. ipse interea totum illud spatium, quod est à quarto Non. Sep. ad XIII. Kal. Oct. commentatus est in Tiburtino Metelli, quæ contra Ciceronem diceret. Eo die in senatum, dissuadentibus amicis, Cicero non venit; sed mox accuratè scriptâ oratione respondit, quæ inter Philippicas secunda legitur. IDEM.

6. *Ad quam*] Vict. Græv. *At quàm.*

Digitized by Google

re, non dicere. Quare quod scribis, te confidere auctoritate & eloquentiâ nostrâ aliquid profici posse, nonnihil, ut in tantis malis, est profectum. Intelligit enim populus Romanus, [7] tres esse Consulares, qui, quia, quæ de republica bene senserint, liberè locuti sunt, tutò in senatum venire non possint. [8] Nec est præterea, quòd quidquam expectes. [9] Tuus enim necessarius [10] affinitate novâ delectatur. Itaque jam non est studiosus [11] ludorum, infinitóque fratris tui plausu dirumpitur. [12] Alter item affinis novis commentariis Cæsaris delinitus est. Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quòd est, qui [13] vestro anno filium suum consulem futurum putet, ob eámque causam se huic latroni deservire præ se ferat. Nam [14] L. Cotta familiaris meus, fatali quadam desperatione, ut ait, minùs in senatum venit. [15] L. Cæsar, optimus & fortissimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpicius & summâ auctoritate, & optimè sentiens, non adest. Reliquos, exceptis [16] designatis, ignosce mihi, si non numero consulares. Habes auctores consilii publici. Qui numerus, etiam bonis rebus, exiguus esset: quid censes perditis? Quare spes est omnis in vobis. Qui si idcircò abestis, ut sitis in tuto; ne in vobis quidem. Sin aliquid dignum vestrâ gloriâ cogitatis, velim salvis nobis. Sin id minùs, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum recuperabit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui [17] si ne ad me referent, mea tibi tamen benevolentia fidésque præstabitur.

M. T.

7. *Tres esse consulares*] L. Pisonem, qui primus; Ciceronem, qui secundus; P. Servilium, qui tertius in Antonium est invectus. MANUTIUS.

8. *Nec est præterea*] Hoc tamen effecimus, multi ut doleant tam malo exemplo, sed nihil ultrà, quia nemo aliquid audet, & qui maximè potentes fovere vestram causam deberent, silent. J. F. GRONOV.

9. *Tuus enim necessarius*] Lepidus. Nam Lepidus & Cassius duas M. Bruti sorores habebant uxores. CORRAD.

10. *Affinitate nova*] Antonii filiâ suo filio uxore datâ. IDEM.

11. *Ludorum*] Quia ludis Apollinaribus, quos prætor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi à populo viderat L. Cassio tribuno pl. fratri C. Cassii, propterea ludos non amplius amabat. Vide epist. 2. ad Att. lib. XIV. MANUT.

12. *Alter*] Hujus nomen ignoratur. ID.

13. *Vestro anno*] Anno vobis destinato: post biennium: nam hoc anno præturam gerebant Brutus & Cassius: & præturam consulatus, interposito biennio, sequebatur. IDEM.

14. *L. Cotta*] Aureliæ gentis, qui consul biennio ante Ciceronem fuerat. IDEM.

15. *L. Cæsar*] Avunculus M. Antonii. Epist. 5. epist. 14. lib. IX. IDEM.

16. *Designatis*] Consulibus, Hirtio & Pansa. IDEM.

17. *Si ne*] Manutius ex uno MS. *Qui sive ad me referent, sive non.*

Digitized by Google

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

AUGET tuus [1] amicus furorem in dies. Primùm in statua, 3
quam posuit in Rostris, inscripsit PARENTI OPTIME MERITO; ut non modò sicarii, sed jam etiam parricidæ judicemini. Quid dico, judicemini? judicemur potiùs. Vestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse. Utinam quidem fuissem! molestus nobis non esset. Sed hoc vestrum fuit: quod cùm præteriit, utinam haberem quid vobis darem consilii. Sed ne mihi quidem ipsi, reperio, quid faciendum sit. Quid enim est, quod contra vim sine vi fieri possit? Consilium omne autem hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur. Itaque a. d. sext. [2] Non. Octob. productus in concionem à [3] Canutio, turpissimè ille quidem discessit: sed tamen ea dixit de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus. De me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio & vos fecissetis, & Canutius faceret. Cætera cujusmodi sint, ex hoc judica, quòd [4] legato tuo viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, cùm hoc faciunt? Ad hostem scilicet portari. O rem miseram! dominum ferre non potuimus, conservo servimus. Et tamen, me quidem favente magis, quàm sperante, etiam nunc resides spes in virtute tua. Sed ubi sunt copiæ? De reliquo, malo te ipsum loqui tecum, quàm nostra dicta cognoscere. Vale.

ARG. Itidem in Antonium ejúsque socios invehitur. *Anno* U. C. 709.

1. *Amicus*] M. Antonius. MANUT.

2. *Nonas Octob.*] Pighius in Fastis ad annum U. C. DCCIX. conjicit, *Nonas Octavius productus*, &c. GEBHARDUS.

3. *Canutio*] T. Canutio Trib. pleb.

4. *Legato tuo*] Erat enim Cassius Syriæ proconsul. *Viaticum* : De publico dari solitum. MANUT.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

VELLEM Idibus Martiis [1] me ad cœnam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent, & 4
qui-

ARG. De Antonio, de senatu, de populo, de legatis ad Antonium, de Dolabella, & ipso Cassio scribit, quæ sentiebat. *Anno* U. C. 710.

1. *Me ad cœnam invitasses*] Ad cædem Cæsaris. Lib. X. epist. 28. CORRAD.

quidem præter cæteros me. Quanquam egregios consules habemus, sed turpissimos consulares; senatum fortem, sed infimo quemque honore fortissimum. Populo verò nihil fortius, nihil melius, Italiáque universâ. Nihil autem fœdius [2] Philippo & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cùm essent missi, ut Antonio ex senatûs sententia [3] certas res nuntiarent: cùm ille earum rerum nulli paruisset, ultrò ab illo ad nos [4] intolerabilia postulata retulerunt. Itaque ad nos concurritur: factíque jam [5] in re salutari populares sumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses, nesciebam. Fama nuntiabat te isse in Syriam: auctor erat nemo. [6] De Bruto, quò propius est, eò firmiora videntur esse quæ nuntiantur. Dolabella valde [7] vituperabatur ab hominibus non insulsis, quòd tibi tam citò succederet, cùm tu vix dum triginta dies in Syria fuisses. Itaque [8] constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua, & Bruti est, quòd exercitum præter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem causámque nossem. Nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum atque famâ. Tuas literas avidè expecto. Vale.

2. *Philippo & Pisone*] L. Marcio Philippo, vitrico Octaviani, & L. Calpurnio Pisone, qui socer C. Cæsaris fuerat. MANUT.

3. *Certas res* denuntiarent] Ita legendum. Juberent eum abstinere Mutinâ, dimittere exercitum, &c. Ep. 24. J. F. GRON.

4. *Intolerabilia postulata*] Phil. VIII.

5. *In re salutari populares*] Multi enim in re perniciosa populares, ut duo Gracchi, P. Clodius, C. Cæsar. MANUT.

6. *De Bruto*] M. Bruto. CORRAD.

7. *Vituperabatur*] Jocus est elegans in his verbis. Nam senatus ademptam Dolabellæ Syriam Cassio dederat, Dolabella verò in Syriam iverat, quasi Cassio legitimè successurus. Qua de re non insulsi, nec infaceti homines, nimiùm citò Dolabellam Cassio succedere, cavillabantur: itaque recipiendum omnino non esse, quoniam legitimum tempus, quo Cassius decedere deberet, expectare noluisset. MANUT.

8. *Constabat*] Ideò constabat, eum recipi non oportere, quia tam citò succederet. Jocus: non enim succedere Dolabellam Cassio senatus voluerat, sed potiùs ereptam Dolabellæ Syriam Cassio tradiderat. IDEM.

M. T. C C. CASSIO S. P. D.

5 HYEMEM credo adhuc prohibuisse, quo minùs de te certum haberemus, quid ageres, maximéque ubi esses. Loquebantur omnes tamen, credo, quòd volebant, in Syria te esse,

ARG. M. Brutum laudat, ut accendat ejus exemplo Cassium ad imitationem: de Mutinensi bello addit, & de statu Reipublicæ. *Anno* U. C. 710.

Digitized by Google

esse, habere copias. Id autem eò facilius credebatur, quia simile vero videbatur. [1] Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. Res enim tantas gessit, támque inopinatas, ut eæ cùm per se gratæ essent, tum ornatiores propter celeritatem. Quòd si tu ea tenes, quæ putamus, magnis subsidiis fulta respublica est. [2] A prima enim ora Græciæ usque ad Ægyptum, optimorum civium imperiis muniti erimus & copiis. Quanquam, nisi me fallebat, res se sic habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutinâ, nihil belli reliqui fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obsidebatur, quòd magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem [3] Claternæ noster Hirtius, ad [4] Forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnásque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ comparat. Hyems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris literis significat, acturus videbatur. Præter Bononiam, [5] Regium Lepidi, Parmam, totam [6] Galliam tenebamus studiosissimam reipublicæ. Tuos etiam clientes Transpadanos mirificè conjunctos cum causa habebamus. Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est, & rectus. Ser. [7] Sulpicii morte magnum præsidium amisimus. Reliqui partim inertes, partim improbi: nonnulli invident eorum laudi, quos in republica probari vident. Populi verò Romani, totiúsque Italiæ mira consensio est. Hæc erant ferè, quæ tibi nota esse vellem. Nunc autem opto, ut ab istis Orientis partibus virtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

M. T.

---

1. *Brutus*] M. Brutus. CORRAD.

2. *A prima enim ora Græciæ*] Quam tenebat Brutus. *Usque ad Ægyptum* : Quam partem Cassius in potestate reip. continebat. MANUTIUS.

3. *Claternæ*] Oppidum Lingonum in Gallia Cispadana, nunc *Quaderna*, juxta amnem ejusdem nominis. Corruptè scribitur *Citerna*. Tenuia supersunt nunc vestigia. Quia Ambrosius lib. II. epist. 8. jam suo tempore in ruinis jacuisse testatur. GRÆV.

4. *Forum Cornelium*] Et hoc oppidum Lingonum est ad viam Flaminiam; sic dictum à L. Cornelio Sylla. Hodie *Imola*. IDEM.

5. *Regium Lepidi*] Oppidum Boiorum in Gallia Cispadana, quod & *Forum Regii* dicitur. Nunc *Reggio*. IDEM.

6. *Galliam*] Cisalpinam. CORRAD.

7. *Sulpicii*] In legatione ad Antonium vi morbi oppressi. Philipp. IX. IDEM.

Digitized by Google

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

6 QUI statûs rerum fuerit tum cùm has literas dedi, scire poteris ex C. Tidio Strabone, viro bono & optimè de republica sentiente. Nam quid dicam, cupidissimo tui, qui, domo & fortunis relictis, ad te potissimùm profectus sit? Itaque eum tibi ne commendo quidem. Adventus ipsius ad te satis eum commendabit. Tu velim sic existimes, tibíque persuadeas, omne perfugium bonorum [1] in te & Bruto esse positum, si, quod nolim, adversi quid evenerit. Res, cùm hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen. [2] Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat. Qui si conservatus erit, vicimus: sin (quod dii omen avertant) omnis omnium cursus ad vos. Proinde fac animum tantum habeas, tantúmque apparatum, quanto opus est ad universam rempublicam recuperandam. Vale.

ARG. Strabonem obliquè commendat: in Cassio & M. Bruto, si res ad Mutinam malè geratur, spem omnem reip. sitam esse dicit. *Anno* U. C. 710.

1. *In te & Bruto*] M. Bruto. CORRAD.

2. *Brutus Mutinæ*] D. Brutus. IDEM.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

7 QUANTO studio dignitatem tuam, & in senatu & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quàm ex me, cognoscere. Quæ mea sententia in senatu facilè valuisset, [1] nisi Pansa vehementer obstitisset. Eâ [2] sententiâ dictâ, productus sum in concionem à tribuno plebis M. Servilio. Dixi de te quæ potui, tantâ contentione, quantum forum est: tanto clamore, consensúque populi, ut nihil unquam simile viderim. Id velim mihi ignoscas, quòd [3] invitâ socru tuâ fecerim. Mulier timida verebatur, ne Pansæ animus [4] offenderetur. In concione quidem

ARG. Sententiam à se in Senatu ex dignitate Cassii dictam, eandémque in concione defensam significat. *Anno* U. C. 710.

1. *Nisi Pansa*] Illâ sententiâ captus, quæ dicta fuerat, & postea etiam in Senatu valuit, ut Coss. Dolabellæ persequendi causâ Asiam & Syriam sortirentur. CORRAD.

2. *Sententiâ*] Meâ, ut tu Syriam obtineres, & Dolabellam persequereris: Philipp. XI. IDEM.

3. *Invitâ socru tuâ*] Serviliâ, M. Bruti & tuæ uxoris matre. IDEM.

4. *Offenderetur*] Meâ sententiâ, quæ provinciam illi eriperet, & tibi daret. IDEM.

Digitized by Google

dem Pansa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem, illam à me sententiam noluisse dici. Sed me hæc non movebant: alia malebam. Favebam & reipublicæ, cui semper favi, & dignitati ac gloriæ tuæ. Quod autem & in senatu pluribus verbis disserui, & dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes. Promisi enim, & propè confirmavi, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more rempublicam defensurum. Et quanquam nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes quæ in istis partibus essent opes copiæque, tuas esse: per téque Asiam provinciam confidebam jam reipublicæ recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum vincas. Vale.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

SCELUS affinis tui, Lepidi, summámque levitatem & inconstantiam ex actis, quæ ad te mitti certò scio, cognosse te arbitror. Itaque nos, [1] confecto bello, ut arbitrabamur, renovatum bellum gerimus, spémque omnem in D. Bruto & Planco habemus: si verum quæris, in te, & in meo Bruto, non solùm ad præsens perfugium, si (quod nolim) adversi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hîc de Dolabella audiebamus, quæ vellemus: sed certos auctores non habebamus. Te quidem magnum hominem, & præsenti judicio, & reliqui temporis expectatione, scito esse. Hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. Nihil est tantum, quod non populus Romanus à te perfici atque obtineri posse judicet. Vale. 8

ARG. Renovatum à Lepido bellum esse conqueritur, & Cassium ad liberandam remp. hortatur. *Anno* U. C. 710.

1. *Confecto bello*] Victoriâ Mutinensi.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

BREVITAS tuarum literarum me quoque breviorem in scribendo facit: &, verè ut dicam, non satis occurrit quid scri- 9

ARG. Eadem scribit, quæ epistolâ superiore: addit multum interesse Cassium venire in Italiam. *Anno* U. C. 710.

ſcribam. Noſtras enim res in actis perferri ad te certò ſcio; tuas autem ignoramus. Tanquam enim clauſa ſit Aſia, nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore. Nos, confectum bellum cùm putaremus, repentè à Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. Itaque perſuade tibi, maximam reipublicæ ſpem in te, & in copiis eſſe tuis. Firmos omninò exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia (ut ſpero) proſperè procedant, multum intereſt te venire. Exigua enim ſpes eſt reipublicæ, nam nullam non libet dicere: ſed quæcunque eſt, ea deſpondetur anno [1] conſulatûs tui. Vale.

1. *Conſulatûs tui*] Et M. Bruti: eodem enim anno conſules futuri erant. Man.

M. T. C. C. Cassio S. P. D.

10 Lepidus, tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quintiles ſententiis omnibus hoſtis à ſenatu judicatus eſt, cæteríque, qui unà cum illo à republica defecerunt: quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante Kal. Septemb. poteſtas facta eſt. Fortis ſanè ſenatus, [1] ſed maximè ſpe ſubſidii tui. Bellum quidem, cùm hæc ſcribebam, ſanè magnum erat, ſcelere & levitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quæ volumus, audimus; ſed adhuc ſine capite, ſine auctore, rumore nuntio. Quod cùm ita eſſet, tamen literis tuis, quas Nonis Maii ex caſtris datas acceperamus, ita perſuaſum erat civitati, ut illum jam oppreſſum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu; ut, ſi hæc ex ſententia confecta eſſent, [2] conſilio atque auctoritate tuâ, ſin quid fortè titubatum, ut fit in bello, exerci-

Arg. Et Lepidum hoſtem judicatum ſcribit, & omnino rem poſcere, ut Caſſius cum exercitu in Italiam veniat. *Anno* U. C. 710.

1. *Sed maximè ſpe*] Mſ. Codex, *ſed maxima ſpes*: quæ ſcriptura mihi præ aliis probatur. Poteſt & vulgata defendi commodè. Grævius.

2. *Conſilio atque auctoritate tuâ* roboraremur] In nullis paulo antiquioribus libris *roboraremur* legi: & ſanè vacat, omnis enim periodi ſenſus ab extremo ejus verbo bis repetito pendet & regitur. Ut ſi hæc, inquit, ex ſententia confecta eſſent, conſilio atque auctoritate tua niteremur: ſin quid fortè titubatum (ut fit in bello.) exercitu tuo niteremur. Ipſe ſententiam, ſtructurámque verborum ſine ea voce pulcherrimè poſſe ſtare exiſtimo. Quod autem inculcaverant verbum, etſi non malum eſt, non fortaſſe hîc valde aptum, certè non neceſſarium. Victor.

exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum, quibuscunque potuero rebus, ornabo: cujus rei tum tempus erit, cùm, quid opis reipublicæ laturus is exercitus sit, aut quid jam tulerit, notum esse cœperit. Nam adhuc tantùm conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclarissimi, sed gesta res expectatur: quam quidem aut jam esse aliquam, aut appropinquare confido. Tuâ virtute & magnitudine animi nihil est nobilius. Itaque optamus, ut quàm primùm te in Italia videamus. Rempublicam nos habere arbitrabimur, si vos habebimus. Præclarè viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulenta republica; hic ex pace & victoriâ bellum excitavit. Huic oppositos consules designatos habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura propter incertos exitus præliorum. Persuade tibi igitur, in te & in Bruto tuo esse omnia, vos expectari, Brutum quidem jam jámque. Quòd si, ut spero, victis hostibus nostris veneritis; tamen auctoritate vestrâ respublica exsurget, & in aliquo statu tolerabili consistet. Sunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam si respublica satis esse videbitur sceleribus hostium liberata. Vale.

C. CASSIUS [1] PROCOS. M. T. C. S. P. D.

SI vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam me profectum XI
esse scito ad [2] *L. Murcum, &* [3] *Q. Crispum, imperatores. Viri fortes, optimíque cives, postea quàm audierunt,* [4] *quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradiderunt: ipsíque mecum unà fortissi-*

ARG. A quibus copias acceperit significat, séque & remp. commendat. *Anno* U. C. 710.

1. *Procos.*] Non quia consul fuisset, verùm quia proconsulari imperio Syriæ præesset. Nondum tamen ei Syria à senatu decreta fuerat. Decreta est enim post mortem Trebonii, ut Philippica XI. ostendit. Trebonius autem, cùm hanc epistolam scripsit Cassius, nondum perierat. MANUT.

2. L. *Murcum*] L. Statium Murcum, qui tres legiones habebat. Phil. II. Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. Hunc postea Sex. Pompeius, Magni filius, cùm ad eum, devictis Bruto & Cassio, se contulisset, virtutem ejus timens occidit. Dio lib. 48. IDEM.

3. *Q. Crispum*] Q. Marcium Crispum, ipsum quoque trium legionum ducem. Phil. II. Appianus, & Dio: quanquam Dio mendosè *M. Crispum* vocat. IDEM.

4. *Quæ Romæ gererentur*] Contra Antonium & Dolabellam, & pro ipso Cassio, traditâ illi Syriâ S. C. IDEM.

fortissimo animo rempublicam administrant. Item legionem, quam [5] Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito: quatuórque legiones, quas A. [6] Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, rémque publicam, quantum est in te, defendas. Scire te volo, firma præsidia vobis senatuíque non deesse, ut optimâ spe & maximo animo rempublicam defendas. Reliqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex castris [7] Taricheis.

5. *Q. Cæcilius Bassus*] Qui præerat ei legioni, à Cæsare traditæ, cùm de Parthico bello cogitaret. Phil. XI. Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. Appianus lib. IV. Manut.

6. *Allienus*] Legatus Dolabellæ. Phil. XI.

7. *Taricheis*] Tarichea, oppidum munitum Palestinæ in Galilæa juxta lacum Tiberiadis. Plin. V. 15.

Cassius Procos. M. Ciceroni suo S. D.

12 SI vales, bene est; ego quidem valeo. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. Videbaris enim non solùm favere nobis; id quod & nostri & reipublicæ causâ semper fecisti: sed etiam gravem curam suscepisse, vehementérque esse de nobis sollicitus. Itaque, quod te primùm existimare putabam, nos oppressâ republicâ quiescere non posse: deinde, cùm suspicarere nos [1] moliri; quòd te sollicitum esse & de salute nostra, & de rerum eventu putabam, simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, scripsi ad te, tabellariósque complures Romam misi. Scripsi etiam ad senatum literas, quas reddi vetui priùs, quàm tibi recitatæ essent: si fortè mei obtemperare mihi voluerint. Quòd si literæ perlatæ non sunt, non dubito quin Dolabella, qui, nefariè Trebonio [2] occiso, Asiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit, literásque interceperit. Exercitus

Arg. Laudatâ Ciceronis benevolentiâ, commendat suam dignitatem suósque duces & milites: in Ciliciam contra Dolabellam proficisci in animo esse significat. *Anno* U. C. 710.

1. *Moliri*] Apparare. *Moliri* enim absolutè ponitur interdum. Terentius in Heaut. *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Manutius.

2. *Occiso*] Smyrnæ: quæstione primùm tormentis habitâ pecuniæ publicæ, deinde cervicibus fractis, abscisso capite: quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici Dolabella jussit. Phil. XI. Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. Idem.

Digitized by Google

citus omnes, qui in Syria fuere, teneo. Habeo paululùm moræ, dum promissa militibus persolvo. Nunc jam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, si me intelligis, nullum neque periculum neque laborem patriæ denegasse: si contra importunissimos latrones arma cepi te hortante & auctore: si non solùm exercitus ad rempublicam libertatémque defendendam comparavi, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui. Quos si occupasset Dolabella, non solùm adventu, sed etiam opinione, & expectatione exercitûs sui Antonium confirmasset. Quas ob res milites tuère, si eos mirificè de republica meritos esse animadvertis; & effice, ne quem pœniteat, rempublicam, quàm spem prædæ & rapinarum, sequi maluisse. Item Murci & Crispi imperatorum dignitatem, quantum est in te, tuère. Nam Bassus [3] miserè noluit mihi [4] legionem tradere. Quòd nisi milites invito eo legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata. Hæc à te peto, non solùm reipublicæ, quæ tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitiæ nostræ nomine, quam confido apud te plurimum posse. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, senatûs atque optimi cujusque esse, maximéque tuum. De cujus voluntate assiduè audiendo, mirificè te diligit, carúmque habet. Qui si intellexerit, commoda sua curæ tibi esse, debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptis, audii Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copiis. Proficiscar in Ciliciam. Quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam. Ac velim, ut meremur de republica, sic felices simus. Fac valeas, méque ames. Nonis Maii, ex castris.

3. *Miserè*] Turpiter & infeliciter. Miser, quia noluit id, quod debuit. MANUT.

4. *Legionem*] Al. *mihi legiones*. Nam etsi in superiore etiam epistola *legionem* scribit, historia tamen habet, legioni, quæ Bassum mortuo Sexto Julio secuta est, alteram provincialem fuisse additam: ut suprà primam, hìc ambas intelligat. CORRAD.

[1] CASSIUS [2] Q. M. CICERONI S. D.

SI vales, bene est: ego quoque valeo. Cùm reipublicæ vel salute, vel victoriâ gaudemus; [3] tum instauratione tuarum lau- 13

 dum,

ARG. Gratulatur de Mutinensi victoria, & res à se gestas exponit. *Anno* U. C. 710.

1. *Cassius*] Non is, qui scripsit duas superiores epistolas: ut infrà. MANUT.

2. *Q.*] Quæstor, alterius Cassii, ut opinor; ejus qui Cæsarem percussit. ID. 3. Tum

dum, quòd maximus consularis maximum consulem te ipse vicisti, & lætamur, & mirari satis non possumus. Fatale nescio quid tuæ virtuti datum, idque sæpe jam experti sumus. Est enim tua toga omnium armis felicior; quæ nunc quoque nobis penè victam rempublicam ex manibus hostium eripuit, ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maximè civis & mihi carissime, id quod maximè [4] reipublicæ tenebris comperisti, nunc te habebimus testem nostri & in te, & in conjunctissimam tibi rempublicam amoris: & quæ sæpe pollicitus es, te & taciturum, dum serviremus, & dicturum de me tum, cùm mihi profutura essent, nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quàm sentiri à te ipso. Neque enim omnium judicio malim me à te commendari, quàm ipse tuo judicio dignè, ac mereor, commendatus esse: ut hæc novissima nostra facta, non subita, [5] nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse judices, méque ad optimam spem patriæ [6] non minimùm tibi ipsi [7] producendum putes. Sunt tibi, M. Tulli, liberi, propinquíque, digni quidem te, & meritò tibi carissimi: esse etiam debent in republica proximè hos cari, qui studiorum tuorum sunt æmuli, quorum esse cupio tibi copiam. Sed tamen non maximâ me turbâ puto

---

3. *Tum instauratione*] XII. Kal. Maii, quo die à toto penè populo in Capitolium est deductus, maximóque clamore & plausu in rostris collocatus. CORRAD.

4. *Reip. tenebris*] Cæsare dominante, luce libertatis extinctâ. MANUT.

5. *Nec inconvenientia*) Ita legitur in quinque libris antiquis, quos nunc habeo, & in aliis præterea, quibus olim sum usus: nec verò aliter postulat sententia. Duo veteres libri habent, *Disconvenientia*: nec improbo. Nam & Horatius epist. 1. lib. I. dixit: *Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto.* Et epist. 14. *Non eadem miramur: eo disconvenit inter Méque & te.* Alii legunt, *Nec convenientia*, pro inconvenientia. Sua cuique sponsa, ut in proverbio est. IDEM.

6. *Non minimùm*] Adverbii loco. IDEM.

7. *Producendum*] *Produci* dicuntur, qui evehuntur ad dignitates, commendantur. Senec. præf. Controv. lib. IV. *Nisi illum magnitudo patris non produceret, sed abjiceret.* Augustus apud Sueton. Claud. cap. 4. *Quid est quòd dubitemus, quin per eosdem articulos & gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit?* Vide ibi Casaub. GRÆVIUS.

8. *Me excipere*] Suscipere in curam tuam, & mihi suffragari ad honores, quibus me dignum putabis. J. F. GRONOV.

9. *Spem transitionis præbendo*] Qui simulabat identidem sese jam dediturum & ad nos accessurum, & tamen, cùm audiret me venire, ulterius semper recedebat. Lege, *recedendo*. GRONOV. Nihil quidem ausim contra tot veterum librorum consensum, qui hanc lectionem tuetur, nisi quòd in Menteliano, omnia hæc verba omissa sint: tamen non abest, quin in animum inducam scripsisse Cassium, quod nonnullæ editiones præ se ferunt *deducendo*, scilicet ex portu & statione: aut *recedendo*, quod solebant facere pugnam detrectantes, aut ex prælio fugam molientes, ut Iones apud Justi-

Digitized by Google

puto excludi, quo minùs tibi vacet [8] *me excipere, & ad omnia, quæ velis & probes, producere. Animum tibi nostrum fortasse probavimus: ingenium diutina servitus certè, qualecunque est, minus tamen, quàm erat, passa est videri. Nos ex ora maritima Asiæ provinciæ, & ex insulis, quas potuimus naves deduximus. Delectum remigum, magnâ contumaciâ civitatum, tamen satis celeriter habuimus. Secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucilius præerat: qui* [9] *spem sæpe transitionis præbendo, neque unquam non decedendo, novissimè* [10] *Corycum se contulit; & clauso portu se tenere cœpit. Nos, illâ relictâ, quòd & in castra pervenire satius esse putabamus, & sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber comparârat, cui* [11] *Turulius quæstor præerat, Cyprum petivimus. Ibi, quæ cognovimus, scribere ad vos quàm celerrimè voluimus. Dolabellam ut Tarsenses, pessimi socii, ita Laodiceni, multò amentiores, ultrò arcessierunt: ex quibus utrisque civitatibus,* [12] *Græcorum militum numero, speciem exercitûs effecit. Castra habet ante oppidum Laodiceam posita: & partem muri demolitus est, & castra oppido conjunxit. Cassius noster cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliariis, & quatuor millium equitatu, à millibus passuum viginti, castra habet posita* [13] Πάλτῳ, *& existimat se sine prælio posse vincere. Nam jam* [14] *ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est. Nisi*

Justinum lib. II. cap. 12. quod propriè vocabant *inhibere remis.* Veteres enim ex prælio marino fugientes, non vertebant navem, ut puppibus quasi tergis inhærere victores possint; sed proram semper obversam habebant hosti, ac sic cessim remigabant ac retro, donec paulatim ex hostium conspectu se subducere possent, ut pridem Viri Doctissimi præceperunt. Dicit itaque Cassius Lucilium reductâ classe sæpe spem transitionis fecisse, ejúsque rei dedisse signa, sed semper (hoc enim est *neque unquam non*, pro quo vulgariùs dicitur *& nunquam non*) simul ac propiùs illius classem venisset Cassius, recessisse, nec voluisse naves tradere. *Decedere* autem hoc sensu non accipitur. Novi *decedere* præfectos provinciis, præsidia de locis, quæ tenebant, homines *de via*, *sententia*, *jure*, *moribus*, sed classem decedere ponto in adventu hostium, Latinis, si rectè memini, non dicitur. GRÆVIUS.

10. *Corycum*] Non hîc mons intelligitur, ut docti interpretes existimant, sed oppidum Ciliciæ Coryceus, *quod portu salóque incingitur, angusto tergore continenti annexum*, ut Mela ait lib. I. 15. IDEM.

11. *Turulius*] Qui postea secutus Antonium contra Octavium, tandem contemptæ religionis, Valerio auctore, Æsculapio pœnas dedit. CORRAD.

12. *Græcorum militum numero*] Sc. coacto, tantam multitudinem paravit, ut sit instar justi exercitûs. J. F. GRONOV.

13. Πάλτῳ] Paltus, oppidum Syriæ. Plin.

14. *Ternis tetradrachmis*] Hoc est, duodecim drachmis, seu denariis, qui schellingis Batavorum respondent, venditur medimnus tritici. Nam apud Livium pro *trium ferè denariorum in singulis tetradrachmis argenti est pondus*, legendum *quatuor ferè denariorum*, ut rectè animadvertit Budæus de Asse, & Gronovius de Sestertiis. GRÆV.

Digitized by Google

Nisi quid navibus Laodicenorum supportarit, citò fame pereat, necesse est. Ne supportare possit, & Cassii classis bene magna, cui praeest Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, Patiscus, facilè praestabunt. Volo igitur vos bene sperare, & rempublicam ut vos istic expediistis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse confidere. Vale. Data Idibus Jun. Cypro, à [15] *Crommyacride.*

15. *Crommyacride*] Verba Graeca Latinè prolata. Nam Κρομμύων ἄκρα Cypri promontorium est, auctoribus Strabone & Ptolemaeo: ἀκρὶς autem diminutivâ formâ dictum. Cassius, cùm Latinè loqui vellet, ex duobus nominibus unum fecit, omissâ unâ literâ *u*. Manut. Integrum edidit Graevius *Crommyu-acride*.

[1] Lentulus Ciceroni suo S. P. D.

14 *Cum Brutum nostrum convenissem, eúmque tardiùs in Asiam venturum animadverterem, in Asiam redii, ut reliquias* [2] *mei laboris colligerem, & pecuniam quàm primùm Romam mitterem. Interim cognovi in Lycia esse classem Dolabellae, ampliúsque centum naves onerarias, in quas exercitus ejus imponi posset: ídque Dolabellam eâ mente comparasse, ut, si Syriae spes eum frustrata esset, conscenderet in naves, & Italiam peteret, séque cum Antoniis, & reliquis latronibus conjungeret. Cujus rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus & minoribus navibus ad illas ire conatus sim. Quae res, si à Rhodiis non essem interpellatus, fortasse tota sublata esset, tamen magna ex parte profligata est: cùm quidem classis dissipata est; adventûs nostri timore milites ducésque effugerunt; onerariae omnes ad*

Arg. Exponit res à se gestas: Rhodios accusat: procurationem Asiae petit: merita sua in remp. commemorat. *Anno* U. C. 710.

1. *Lentulus*] Filius Lentuli Spintheris, ad quem sunt libri primi epistolae. Augur erat, ut lib. XXXIX. scripsit Dio. Quaestor in] Asiam profectus erat cum Trebonio proconsule. Quo mortuo, propraetoris nomen assumpserat, quo majore auctoritate sociis imperare posset: nec tamen quaestoris officium intermiserat: itaque proquaestor vocabatur, ut inscriptio docet epistolae sequentis. Manutius.

2. *Mei laboris*] Quaesturae. Corrad.

3. *Nos & remp. quàm valde desperaverint*] Quàm insolentes erga nos fuerint, quòd de rep. & bonis partibus actum putarent. Vide me ad Plin. XXII. 25. J. F. Gronov.

4. *Et quidem multò parcius scripsi. Mirari noli*] Nonnulli hic plura verba inculcant, quae tradunt in manuscripto codice se invenisse. De quorum fide non dubito: videndum tamen est, an novae sint, & ab aliquo

Digitized by Google

ad unam à nobis sunt exceptæ. Certè (quod maximè timui) videor etiam consecutus, ut non possit Dolabella in Italiam pervenire, nec, sociis suis firmatis, durius vobis efficere negotium. Rhodii[3] *nos & rempublicam quàm valde desperaverint, ex literis, quas publicè misi, cognosces.*[4] *Et quidem multò parciùs scripsi. Mirari noli. Mira est eorum amentia: nec me meæ ullæ privatim injuriæ*[5] *moverunt unquam: malus animus eorum in nostram salutem, cupiditas partium aliarum, perseverantia in contemptione optimi cujusque, ferenda mihi non fuit. Nec tamen omnes perditos esse puto. Sed iidem illi, qui tum*[6] *fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui cæteros viros clarissimos non receperunt, iidem, tanquam aliquo fato, & nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habent potestate. Itaque eâdem superbiâ in pravitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non solùm utile est reipublicæ nostræ, sed etiam necessarium. De nostra dignitate velim tibi ut semper curæ sit: & quocunque tempore occasionem habueris, & in senatu, & in cæteris rebus laudi nostræ suffragere. Quoniam consulibus decreta est Asia, & permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant; rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potissimùm nobis tribuant, & mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter venit. Nam, quòd huc properent in magistratu venire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syria est, &, ut tu divinâ tuâ mente prospexisti, &*[7] *prædicasti, dum isti venient, Cassius eum opprimet. Exclusus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando malè acceptus,*

aliquo adpositæ, quod quidem ego facilè credo, nam duriusculus in illis sermo est, neque satis concinnus. Existimarunt fortasse imperiti aliqui homines elegantem locutionem *mirari noli* sine illis mancam esse, ideóque quod deesse crediderunt, restituere. *Mirari* autem *noli* arbitror hîc dictum, ut in epistola ad Sulpitium, *noli quærere.* Nihil tamen de hac re statuimus. Quid suspicaremur, solùm enuntiare voluimus: multæ hujusmodi maculæ sunt in impressis libris, quorum major pars ab aliquo manuscripto fluxit. Accepi postea à doctis viris, qui summo studio has epistolas cum manuscriptis sex septémve exemplaribus contulerunt, in nullo eorum aliter atque in Mediceo legi. VICTOR. Suppositia illa servavit Lambinus. Sic enim edidit: *Et quidem multò parciùs scripsi, quam revera fuere eos inveni. Quòd verò aliquid de his scripsi, mirari,* &c.

5. *Moverunt*] Vocem hanc omittunt Vict. & Grut. Agnoscunt Lamb. & Car. Steph. Sed Manutius, *nec* in me *ullæ*, & subaudit, *fuerunt.*

6. *Fugientem*] Ex acie Pharsalica.

7. *Prædicasti*] Philippicâ XI.

ceptus, nullâ aliâ confisus urbe, Laodiceam, quæ est in Syria ad mare, se contulit. Ibi spero celeriter eum pœnas daturum. Nam neque quò refugiat, habet: neque diutiùs ibi poterit tantum exercitum Cassii sustinere. Spero etiam confectum esse jam, & oppressum Dolabellam. Quare non puto Pansam & Hirtium in consulatu properaturos in provincias exire, sed Romæ acturos consulatum. Itaque si ab his petieris, ut interea nobis procurationem Asiæ dent, spero te posse impetrare. Præterea mihi promiserunt Pansa & Hirtius coràm, & absenti mihi scripserunt: Verrióque nostro Pansa affirmavit, se daturum operam, ne in suo consulatu mihi succedatur. Ego porrò non, medius fidius, cupiditate provinciæ produci longius spatium mihi volo: nam mihi fuit ista provincia plena laboris, periculi, detrimenti. Quæ ego ne frustrà subierim, néve priùs, quàm reliquias meæ diligentiæ consequar, decedere cogar, valde laboro. Nam si potuissem, quam exegeram pecuniam, universam mittere, postularem ut mihi succederetur. Nunc, quod Cassio dedi, quod Trebonii morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidiâ eorum, qui mihi fidem reique publicæ non præstiterunt, id consequi & reficere volo. Quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero. Id ut per te consequar, velim, ut solet, tibi curæ sit. Ego me de republica puto esse meritum, ut non provinciæ istius beneficium expectare debeam, sed tantum, quantum Cassius & Bruti, non solùm [8] illius facti, periculíque societate, sed etiam hujus temporis studio, & virtute. Primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabellæ ad rempublicam traduxi, Cassióque tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra conjurationem sceleratissimam: solus Cassio & reipublicæ Syriam, exercitúsque, qui ibi erant, conjunxi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantáque præsidia, & tam celeriter Cassio dedissem, ne ausus quidem esset ire in Syriam: & nunc non minora pericula reipublicæ à Dolabella instarent, quàm ab Antonio. Atque hæc omnia is feci, qui sodalis & familiarissimus Dolabellæ eram, conjunctissimus sanguine Antoniis; provinciam quoque illorum beneficio habebam: sed prætei-

8. *Illius facti*] Cæsaris cædis, in qua hîc Lentulus falsò se Bruti & Cassii socium fuisse gloriabatur. Corrad.

Digitized by Google

[9] πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, *omnibus meis bellum primus indixi. Hæc etsi adhuc non magnopere mihi tulisse fructum animadverto, tamen non despero: nec defatigabor permanere non solùm in studio libertatis, sed etiam in labore & periculis. Attamen, si etiam aliquâ gloriâ justâ & meritâ provocabimur, senatûs & optimi cujusque officiis, majore cum auctoritate apud cæteros erimus, & eò plus prodesse reipublicæ poterimus. Filium tuum, ad Brutum cùm veni, videre non potui, ideò quòd jam in hiberna cum equitibus erat profectus. Sed, medius fidius, eâ esse eum opinione, & tuâ, & ipsius, & in primis meâ causâ gaudeo. Fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, téque dignus est. Vale. D.* IV. *Kal. Juri.* [10] *Pergæ.*

9. Πατρίδα] *Patriam meam magis amans.* Integrum senarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμάτων:

Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ.

Quem dimidiatum, & parvâ quadam mutatione, Lentulus attulit. MANUT.

10. *Pergæ*] *Perga* oppidum Pamphyliæ. Vide Plin. V. 27. & Mel. I. 14.

P. LENTULUS P. F. [1] PROQUÆST. PROPR. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SEN. P. Q. R. S. P. D.

SI valetis, liberíque vestri valent, bene est: ego valeo. Scelere Dolabellæ oppressâ Asiâ, in proximam provinciam Macedoniam, præsidiáque reipublicæ, quæ M. Brutus, vir clarissimus, tenebat, me contuli: & id egi, ut, per quos celerrimè possent, Asia provincia, vectigaliáque in vestram potestatem redigerentur. Quod cùm pertimuisset Dolabella, & vastatâ provinciâ, correptis vectigalibus, præcipuè civibus Romanis [2] *omnibus crudelissimè denudatis ac* [3] *divenditis, celeriùs Asiâ excessisset, quàm eò præsidium adduci potuisset; diutiùs morari, aut expectare præsidium non necesse habui: & quàm primùm ad meum officium revertendum mihi esse existimavi, ut & reliqua vectigalia exigerem, & , quam depo-* 15

ARG. Res à se gestas publicè memorat: in Rhodios invehitur: de Dolabella grata narrat. *Anno* U. C. 710.

1. *Proquæst Propræt.*] Quæstor fuit, vivo proconsule Trebonio: eo mortuo, proquæstoris, & proprætoris nomen assumpsit, præsidio comparato, ut provinciam ab injuria defendere posset. Infrà. MANUT.

2. *Omnibus*] Redundat, judice Grævio.

3. *Divenditis*] Manutius, *divexatis*.

deposui pecuniam, colligerem: quidquid ex ea correptum esset; aut quorum id culpâ accidisset, cognoscerem quàm primùm, & vos de omni re facerem certiores. Interim, cùm per insulas in Asiam naviganti mihi nuntiatum esset, classem Dolabellæ in Lycia esse, Rhodiósque naves complures instructas & paratas in aqua habere: cum his navibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparaverat Patiscus proquæstor, homo mihi cùm familiaritate, tum etiam sensibus in republica conjunctissimus, Rhodum reverti, confisus auctoritate vestrâ, senatúsque consulto, quo hostem Dolabellam judicaratis: fœdere quoque, quod cum his, M. Marcello, Ser. Sulpicio consulibus, renovatum erat: quo juraverant Rhodii, eosdem hostes se habituros, quos Senatus, populúsque Romanus. Quæ res nos vehementer fefellit. Tantum enim abfuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam à Rhodiis urbe, portu, statione, quæ extra urbem est, commeatu, aquâ denique prohiberentur nostri milites; nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemur. Quam indignitatem, diminutionémque majestatis, non solùm juris nostri, sed etiam imperii populíque Romani, idcircò tulimus, quòd interceptis literis cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syria Ægyptóque, quod necesse erat fieri, in naves cum omnibus suis latronibus atque omni pecuniâ conscendere esse paratum, Italiámque petere: idcirco etiam naves onerarias, quarum minor nulla erat [4] duûm millium amphorûm, contractas in Lycia à classe ejus obsideri. Hujus rei timore, Patres conscripti, percitus, injurias perpeti, & cum contumeliâ etiam nostrâ omnia priùs experiri malui. Itaque ad illorum voluntatem introductus in urbem & in senatum eorum, quàm diligentissimè potui, causam reipublicæ egi: periculúmque omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naves

---

4. *Duûm millium amphorûm*] Antiquissimus Grammaticus Julius Romanus admonuit, *Amphorûm* dici, cùm additur numerus; *Amphorarum*, per se: ut est apud Carisium. Manutius.

5. *Hæc*] Non est, à quo verbo regatur: & subaudiri videtur, *faciunt*. Idem.

6. *Viros clarissimos*] Lentulum, & Pompeium. Epist. 14. Idem.

7. *Maximos magistratus gerentes*] Qui antea pari contumelia viros clarissimos affecerant, iidem nunc maximos magistratus cùm gerant. Manut.

8. *Neque vestra ex parte*] Neque studio vestrarum partium. Idem. Quidam legi volunt, *neque ulla ex parte*: & interpretantur, ne ulla quidem ex parte. Ego ex antiquæ scripturæ vestigiis repono, *neque nostræ partis*: subintellige, periculo, seu repete ἀπὸ κοινοῦ. Lambin. Sed præstat lectio Hittorpiani, Stewechiani, Gruter. Amstelod. & mei secundi, *neque nostra ex parte*. Hoc est, quod

ves conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta in pravitate animadverti, ut omnes firmiores putarent, quàm bonos: ut hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem, propensè non crederent esse factam: ut patientiam senatûs & optimi cujusque manere etiam nunc considerent, nec potuisse audere quemquam Dolabellam hostem judicare: ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis vera existimarent, quàm quae verè facta erant, & à nobis docebantur. Quâ mente etiam ante nostrum adventum, post Trebonii indignissimam caedem, caeteráque tot támque nefaria facinora, binae profectae erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem novo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis, qui tum magistratus gerebant. [5] *Haec, sive timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, sive furore, sive potentiâ paucorum, qui & antea pari contumeliâ* [6] *viros clarissimos affecerant, & nunc* [7] *maximos magistratus gerentes, nullo exemplo,* [8] *neque vestra ex parte,* [9] *neque nostro praesentium, neque imminenti Italiae urbique nostrae periculo, si ille parricida cum suis latronibus, navibus, ex Asia Syriáque expulsus, Italiam petiisset, mederi cùm facilè possent,* [10] *voluerunt. Nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem, detinuisse nos, &* [11] *demorati esse, dum classis Dolabellae certior fieret de adventu nostro. Quam suspicionem consecutae res aliquot auxerunt: maximè quòd subitò ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius, legati Dolabellae, à classe discesserunt, navíque longâ profugerunt, onerariis relictis, in quibus colligendis non minimum temporis laborísque consumpserunt. Itaque, cùm ab Rhodo cum iis, quas habueramus, navibus in Lyciam venissemus, naves onerarias recepimus, dominísque restituimus:*

---

quod nostris partibus non erat proficuum. Alii dicerent *neque è re nostra*. GRÆV. Legendum *vestro*. Ut referatur ad *τὸ periculo*. Quod quodammodo ad vos quoque pertinebat. J. F. GRON.

9. *Neque nostro praesentium*] Cic. pro Planc. X. *Cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas praesentes preces non putas profuisse.* Lib. XI. ad Att. 15. *Solius enim mei peccatum corrigi non potest.* IDEM.

10. *Voluerunt*] Sic duo veteres libri: reliqui, *Noluerunt*. Sed Latini sermonis consuetudo postulat, *Voluerunt*. Non enim dicitur: *Neque nostro praesentium, neque imminenti Italiae periculo mederi noluerunt.* Nam id esset, *Mederi voluerunt*: cùm ex geminata negatione fiat affirmatio. MANUT. Ex omnibus tamen, quos consului multos, nemo, praeter Carolum Stephan. & Quarter. Manutio morem gessit. OLIVET.

11. *Demorati esse*] Amstelodam. *Demorari esse*. Mallem, *detinuisse nos, & demorari, dum classis*. Non modò nos detinuisse, sed etiamnunc demorari. GRÆV.

tuimus: idémque, quod maximè verebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam venire, timere desiimus. Classem fugientem persecuti sumus [12] *usque Sidam, quæ extrema regio est provinciæ meæ. Ibi cognovi, partem navium Dolabellæ diffugisse; reliquas Syriam, Cyprúmque petiisse. Quibus disjectis, cùm scirem, C. Cassii, singularis civis, & ducis, classem maximam fore præstò in Syria, ad meum officium reverti: dabóque operam, ut meum studium, diligentiam vobis, Patres conscripti, reíque publicæ præstem: pecuniámque, quàm maximam potero, & quàm celerrimè cogam, omnibúsque cum rationibus ad vos mittam. Si percurrero provinciam, & cognovero, qui nobis & reipublicæ fidem præstiterunt in conservanda pecunia à me deposita, quique scelere ultrò deferentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam vos certiores. De quibus, si vobis videbitur, si, ut meriti sunt, graviter constitueritis, nósque vestrâ auctoritate firmaveritis, faciliùs & reliqua exigere vectigalia, & exacta servare poterimus. Interea, quò commodiùs vectigalia tueri, provinciámque ab injuria defendere possim, præsidium necessarium, voluntariúmque comparavi. His literis scriptis, milites circiter* XXX, *quos Dolabella ex Asia conscripserat, è Syria fugientes in Pamphyliam venerunt. Hi nuntiaverunt, Dolabellam Antiochiam, quæ in Syria est, venisse; non receptum: conatum esse aliquoties vi introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento. Itaque centum circiter amissis, ægris relictis, noctu Antiochiâ profugisse Laodiceam versùs: eâ nocte omnes ferè Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam rediisse, & se iis tradidisse, qui à Cassio relicti, urbi illi præerant: cæteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero, se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copiis, nuntiatum esse, quatridui iter Laodiceâ abfuisse, tum, cùm Dolabella eò tenderet. Quamobrem opinione celeriùs confido sceleratissimum latronem pœnas daturum. Quarto Nonas Junias, Pergæ.*

TREBO-

12. *Usque Sidam*] Ultrà non licuit. Nam provinciæ fines præterire leges vetabant. Sida verò in Pamphylia fuit: & Pamphylia ad imperium Asiæ pertinuit. MANUT.

TREBONIUS CICERONI S.

SI vales, bene est. Athenas veni a. d. XI *Kal. Jun. atque ibi,* 16
quod maximè optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summâque modestiæ famâ. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciam, & quàm, pro nostro veterrimo verissimóque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, atque adeò nostro, (nihil enim mihi à te potest esse sejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est: aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est, optimarum. Itaque tibi, quod verè facere possum, libenter quoque gratulor, nec minùs etiam nobis: quòd eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. Qui cùm mihi in sermone injecisset, se velle Asiam visere, non modò invitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id potissimùm nobis obtinentibus provinciam faceret. Cui nos & caritate, & amore, tuum officium præstaturos, non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curæ, ut [1] *Cratippus unà cum eo sit, ne putes, in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quæ tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum, ut video, & ingressum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quò in dies longiùs, discendo, exercendóque se, procedat. Vos quid ageretis in republica, cùm has literas dabam, non sciebam. Audiebam quædam turbulenta, quæ scilicet cupio esse falsa, ut aliquando otiosâ libertate fruamur: quod vel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in navigatione nostra pusillum laxamenti, concinnavi tibi munusculum ex instituto meo : & dictum,* [2] *cum magno*

ARG. Ciceroni patri gratulatur de filio, quem optimis studiis deditum Athenis offenderat. Versus mittit, in civem improbum à se conscriptos : & in libro de Cæsaris interitu sui petit rationem habeat. *Anno* U. C. 709.

1. *Cratippus*] Qui Philosophiam peripateticam eximia cum laude Athenis docebat. Epist. 21. lib. XVI. & lib. I. & III. de Officiis. MANUT.

2. *Cum magno nostro honore*] Ergo non omnia Ciceronis dicta, sed ea tantùm, quæ Trebonii cum honore dixerat, in eo libro continebantur. *Dicere dicta*, usitatum apud Ciceronem. IDEM.

Digitized by Google

magno nostro honore à te dictum,[3] *conclusi, & tibi infrà subscripsi. In quibus*[4] *versiculis, si tibi quibusdam verbis*[5] εὐθυῤῥημονέστερος *videbor: turpido personæ ejus, in quam liberiùs invehimur, nos vindicabit. Ignosces etiam iracundiæ nostræ: quæ justa est in ejusmodi & homines, & cives. Deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quàm nobis? cùm, etiam si odio par fuerit in eos, quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tantâ libertate verborum incurreret. Tu, sicut mihi pollicitus es, adjunges me quàm primùm*[6] *ad tuos sermones. Namque illud non dubito, quin, si quid de interitu Cæsaris scribas, non patiaris*[7] *me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meósque tibi commendatos habe. D.* VIII. *Kalendas Junias, Athenis.*

3. *Conclusi*] Non simpliciter ipsa Ciceronis dicta posuerat; sed præfatus nonnulla in extremo dicta subjunxerat. Quod epist. 21. lib. XV. Cicero declarat his verbis: *Ante quàm ad me veniatur, risus omnis penè consumitur.* Manut.

4. *Versiculis*] Non poëticis, verùm oratione solutâ. Nam utrique versus dicuntur. Id.

5. Εὐθυῤῥημονέστερος] Rectiloquentior, hoc est, liberior in loquendo.

6. *Ad tuos sermones*] Dialogos: in quos includi volebat. Manut.

7. *Me minimam partem & rei, & amoris tui ferre*] Non patieris extremo loco me collocari inter eos, qui Cæsarem occiderunt, & qui à te diliguntur. Laudabis me neque minimum, neque vulgari cum indicio benevolentiæ tuæ. Manut.

Cicero Cornificio[1] Collegæ S.D.

17 Grata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti literis: quam ut conserves, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis[2] tumultuosiora quædam nuntiata sunt: quæ, quia[3] tibi sunt propiora quàm nobis, tuâ me causâ magis movent, quàm meâ. Romæ summum otium est: sed ita, ut malis salubre aliquod & honestum negotium: quod spero fore. Video id curæ esse Cæsari. Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quan-

Arg. Cornificio Africæ præfecto de Syriaco tumultu, & urbano otio, seu negotiorum cessatione scribit. Librum de optimo genere dicendi commendat, & suum ipsi studium confirmat. *Anno* U.C. 708.

1. *Collegæ*] In auguratu. Manut.

2. *Tumultuosiora*] De Q. Cæcilio Basso, & Sext. Julio inter se dissidentibus, & bello ex ea re excitato. Nisi famam de bello Parthico intelligere malimus. Corrad.

3. *Tibi*] Prætori Africæ.

Digitized by Google

quandam, & licentiam nactum, scribere audaciùs, & cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proximè scripsi [4] de optimo genere dicendi: in quo sæpe suspicatus sum, te à judicio nostro, sic scilicet, [5] ut doctum hominem à non indocto, paululùm diffidere. Huic tu libro, maximè velim ex animo, si minùs, gratiæ causâ suffragere. Dicam tuis, ut eum, si velint, describant, ad téque mittant. Puto enim, etiam si rem minùs probabis, tamen in ista solitudine, quidquid à me profectum sit, jucundum tibi fore. Quòd mihi existimationem tuam, dignitatémque commendas, facis tu quidem omnium more: sed velim sic existimes, me, cùm amori, quem inter nos mutuum esse intelligam, plurimum [6] tribuam, tum de summo ingenio, & de studiis tuis optimis, & de spe amplissimæ dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

4. *De optimo genere dicendi*] Quem librum, *Orator* inscripsit. Epist. 18. lib. VI. & epist. 20. lib. XV. Manut.

5. *Ut doctum hominem*] Scripsit & Cornificius de arte Rhetorica, ut auctor est Quintilianus lib. III. Idem.

6. *Tribuam*] Manut. & Lamb. *tribuere*.

CICERO CORNIFICIO COLLEGÆ S. D.

QUOD extremum fuit in ea epistola, quam à te proximè accepi, ad id primùm respondebo. Animum adverti enim, hoc vos magnos oratores [1] facere nonnunquam. Epistolas requiris meas: ego autem nunquam, cùm mihi denuntiatum esset à tuis, ire aliquem, non dedi. Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temerè, nec antè, quàm scisses, quò iste nescio qui [2] Cæcilius Bassus erumperet, quidquam certi constituturum: id ego & speraram prudentiâ tuâ fretus; & ut confiderem, fecerunt tuæ gratissimæ mihi literæ. Idque ut facias quàm sæpissime, ut & quid tu agas, & quid agatur, scire possim, & etiam quid acturus sis, valde te rogo. 18

 Etsi

Arg. Infrequentiam literarum excusat, Cornificii prudentiam laudat, gravitatémque: præsentem reip. casum accusat cum Cæsaris excusatione. *Anno* U. C. 708.

1. *Facere*] In agendis causis: cùm ad extrema primùm respondeatis. Manut.

2. *Cæcilius Bassus*] Totam historiam vide apud Dionem lib. XLVII. Idem.

Etsi periniquo patiebar animo te à me digredi; tamen eo tempore me consolabar, quòd & in summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis discedere. Utrumque contrà accidit. Istic enim bellum est exortum, hîc pax consecuta: sed tamen ejusmodi pax, in qua, si adesses, multa te non delectarent: ea tamen, quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectent. Bellorum enim civilium hi semper exitus sunt, ut non ea solùm fiant, quæ velit victor, sed etiam, ut iis mos gerendus sit, quibus adjutoribus sit parta victoria. Equidem sic jam obdurui, ut [3] ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem [4] T. Plancum, audirem [5] Laberii & Publii poëmata. Nihil mihi tam deesse scito, quàm qui-cum hæc familiariter, doctéque rideam. Is tu eris, si quàm primùm veneris. Quod ut facias, non mea solùm, sed etiam tua interesse arbitror. Vale.

3. *Ludis*] Quos Cæsar dedit victor ex Hispania reversus. Suetonius. MANUT.

4. *T. Plancum*] Bursam, Ciceronis inimicum, lege de vi stante rep. damnatum, à Cæsare restitutum. Epist. 2. lib. VII. ID.

5. *Laberii & Publii poëmata*] Mimos. Vide Macrobium lib. II. Sat. IDEM. Vide & Vossium de Poët. Lat. cap. 1. & 2.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D.

19 LIBENTISSIME legi tuas literas, in quibus jucundissimum mihi fuit, quod cognovi meas tibi redditas esse. Non enim dubitabam, quin eas lubenter lecturus esses: verebar ut redderentur. [1] Bellum, quod est in Syria, Syriámque provinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognovi. Eandem rem tibi volo bene & feliciter evenire. Quod ita fore confido, fretus & industriâ, & prudentiâ tuâ. Sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sanè me commovit. Quantum copiarum haberes, cùm ipse conjecturâ consequi poteram, tum ex tuis literis cognovi. Itaque opto, ne se illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. Quòd si pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli: qui se oppido munitissimo & copio-

ARG. Gratulatur de provincia Syria, Cornificio à Cæsare tributa. Si bellum fit Parthicum, ut Bibuli exemplo se mœnibus includat, per jocum monet. A. U. C. 709.

1. *Bellum, quod est in Syria*] A Cæcilio Basso commotum. CORRAD.

Digitized by Google

copiosissimo tam diu [2] tenuit, quàm diu in provincia Parthi fuerunt. Sed hæc meliùs ex re, & ex tempore constitues. Mihi quidem usque curæ erit quid agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. A te, ut idem facias, peto: in primísque, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sciant esse. Vale.

2. *Tenuit*] Antiochiæ. Vide ad Atticum lib. VI. epist. 8. extremâ.

CICERO CORNIFICIO.

GRATÆ mihi tuæ literæ, nisi quòd Sinuessanum diverso- 20
riolum contempsisti. Quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano & Pompeiano reddideris [1] πάντα περὶ πάντων. Sic igitur facies, méque amabis, & scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere faciliùs possum, quàm provocare. Quod si, [2] ut es, cessabis, lacessam; [3] nec tua ignavia etiam inertiam afferet. Plura otiosus. Hæc, cùm essem in senatu, exaravi. Vale.

ARG. Jocatur, quòd Sinuessanæ villæ hospitio uti noluerat. Hæc epistola scripta videtur, quo tempore Cornificius per hæc loca in Africam proficisceretur, ut superioribus præponenda sit. CORRAD.

1. Πάντα] Omnia de omnibus.

2. *Ut es*] Quæ tua consuetudo est. MAN.

3. *Nec tua ignavia etiam inertiam afferet*] Scientiam auget exercitatio, negligentia minuit. Non agendo enim efficitur, ut malè agere discamus. Quapropter ignavia parit inertiam, id est agendi inscientiam. ID.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D.

CAIUS Anicius, familiaris meus, vir omnibus rebus orna- 21
tus, negotiorum suorum causâ legatus est in Africam [1] legatione libera. Eum velim rebus omnibus adjuves, operámque des, ut quàm commodissimè sua negotia conficiat. In primísque, quod ei carissimum est, dignitatem ejus tibi commendo: idque à te peto, quod ipse in provincia facere sum solitus, non roga-

ARG. Anicium senatorem, ejúsque negotia & dignitatem commendat. A. U. C. 709.

1. *Legatione libera*] Senatoribus ad sua negotia proficiscentibus concedi solita. Ep. 1. lib. XI. & ad Att. 18. lib. II. MANUT.

Digitized by Google

rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: [2] quòd idem acceperam, & cognoveram, à summis viris factitatum. Hoc igitur, mi Cornifici, facies: cæterísque rebus omnibus ejus dignitati, reíque, si me amas, consules. Id erit mihi gratissimum. Da operam, ut valeas.

2. *Quòd idem acceperam*] Duas rationes affert, quibus impulsus senatoribus qui in suam provinciam venerant, etiam non rogantibus dederit lictores: & quòd ipse cùm senator esset, & in aliorum provincias se contulisset, acceperit lictores cum fascibus à præfectis; & quòd hoc summi viri facere sint soliti. Mentelianus liber legit, *quòd id acceperam & cognoveram à summis viris factitatum.* Quod & ipsum pervulgatæ lectioni præferendum. Grævius.

M. T. Cicero Cornificio S. P. D.

22 NOs hîc cum homine gladiatore, omnium nequissimo, [1] collega nostro, Antonio, bellum gerimus: sed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concionatur: nec impunè: nam sentiet, quos lacessierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis: à me futura debes cognoscere; quorum quidem non est difficilis conjectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni, nostríque [2] τυραννοκτόνοι longè gentium absunt. Pansa & sentit bene, & loquitur fortiter: Hirtius noster tardiùs convalescit. Quid futurum sit, planè nescio. Spes tamen una est, aliquando populum Romanum majorum [3] similem fore. Ego certè reipublicæ non deero, &, quidquid acciderit, à quo mea culpa absit, animo forti feram. Illud profectò, quoad potero, tuam famam & dignitatem tuebor. A. d. XIII Kal. Jan. senatus frequens mihi est assensus, cùm de cæteris rebus magnis & necessariis, tum de provinciis, ab iis qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex senatus-consulto successisset. Hoc ego cùm reipublicæ causâ [4] censui, tum, mehercule, in primis [5] retinendæ dignitatis tuæ. Quamobrem te amoris nostri causâ rogo, reipublicæ causâ

Arg. Narrat de statu reip. post Cæsaris interitum; & ne provinciam sine senatus-consulto tradat, hortatur. *Anno* U. C. 709.

1. *Collega*] In auguratu.

2. *Τυραννοκτόνοι*] Tyrannicidæ.

3. *Similem*] In tuenda libertate. Man.

4. *Censui*] Vide Philipp. III.

5. *Retinendæ*] Ne C. Calvisius in Africam iret, ei traditam ab Antonio, sine Senatus-consulto.

Digitized by Google

causâ hortor, ut ne cui quidquam juris in tua provincia esse patiare: atque ut omnia referas ad dignitatem, quâ nihil potest esse præstantius. Verè tecum agam, ut necessitudo nostra postulat. [6] In Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. Sed illud & præteriit, & levius est. Hæc magna res est. Fac, ut provinciam retineas in potestate reipublicæ. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Itaque [7] Cherrippo nostro me velim [8] excuses.

6. *In Sempronio*] Infra epist. 25. MANUT.
7. *Cherippo*] Epist. 30. hujus libri. Hic olim cum Q. Cicerone in Asia fuerat. COR.
8. *Excuses*] Quòd ei non rescripsi. MAN.

M. T. CICERO P. CORNIFICIO S. D.

OMNEM conditionem imperii tui, statúmque provinciæ 23
mihi demonstravit Stratorius. O multa intolerabilia locis omnibus! Sed, quò tua major dignitas, eò, quæ tibi [1] acciderunt, minùs ferenda. Neque enim, quæ tu propter magnitudinem & animi & ingenii moderatè fers, à te non ulciscenda sunt, etiam si non sunt dolenda. Sed hæc posteriùs. Rerum urbanarum acta tibi mitti certò scio. Quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in primísque Cæsaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio [2] crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret: prudentes autem & boni viri & credunt [3] factum, & probant. Quid quæris? magna spes est in eo. Nihil est, quod non existimetur laudis & gloriæ causâ facturus. Antonius autem, noster familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, cùm interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. A. d. VII Idus Octobr. Brundusium venerat, profectus obviam legionibus [4] Macedonicis quatuor; quas

ARG. Respondet ad ea, quæ Stratorius nuntiaverat de provincia: deinde reip. formam describit. *Anno* U. C. 709.

1. *Acciderunt*] Dio, lib. XLVIII. prodidit, T. Sextium, Numidiæ rectorem, impetu in Africam facto, Adrumetum cepisse, & aliquanto pòst Cornificium prælio victum occidisse. MANUT.

2. *Crimen*] Dicebat Antonius comprehendisse se domi suæ quos ad se occidendum Octavianus misisset. MANUTIUS.

3. *Factum*] Verè missos ab Octaviano credunt, qui Antonium domi suæ interficerent. Quod Suetonius quoque confirmat in Augusto. IDEM.

4. *Macedonicis*] Ex Macedonia profectis. Ibi enim Cæsar eas collocarat, ducturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat. IDEM.

sibi conciliare pecuniâ cogitabat, eásque ad urbem adducere, & in cervicibus nostris collocare. Habes formam reipublicæ, si in castris potest esse respublica: in qua tuam vicem sæpe doleo, quòd nullam partem per ætatem sanæ & salvæ reipublicæ gustare potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam id ereptum est. Quæ enim est spes, cùm in concione dicere ausus sit Antonius, [5] Canutium apud eos sibi locum quærere, quibus, se salvo, locus in civitate esse non posset? Equidem & hæc, & omnia quæ homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiæ magnam habeam gratiam, quæ me non modò ab sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunæ impetus armat: tibíque idem censeo faciendum, nec, à quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed hæc tu meliùs. Stratorium nostrum cùm semper probassem, tum maximè in tuis rebus summam ejus fidem, diligentiam, prudentiámque cognovi. Da operam ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

5. *Canutium*] Tribunum plebis. *Apud eos*, id est, Ciceronem & similes patriæ defensores. CELLAR.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

24 EGO nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, sed ne ornandi quidem. Sed mea studia erga te & officia malo tibi ex tuorum literis, quàm ex meis, esse nota. Te tamen hortor, ut omni curâ in rempublicam incumbas. Hoc est animi, hoc est ingenii tui, hoc ejus spei, quam habere debes, amplificandæ dignitatis tuæ. Sed hac de re aliàs ad te pluribus. Cùm enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia. Nondum [1] legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denuntiandum bellum miserat, nisi legatorum nuntio paruisset. Ego tamen, ut primùm occasio data est, meo pristino more rempublicam defendi: me principem

ARG. Ut omni curâ in remp. incumbat, hortatur. De legatis scribit ad Antonium missis. Pinarium commendat. *A.* U. C. 710.

1. *Legati*] Missi ad Antonium à senatu, ut Mutinæ obsidionem omitteret. Epist. 8. lib. XI. epist. 4. hujus lib. MANUT.

Digitized by Google

cipem senatui populóque Romano professus sum: nec, postea quàm suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis, libertatísque communis. Sed hæc quoque te ex aliis malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut majore non possim: cui cùm propter omnes virtutes, tum etiam propter studia communia, sum amicissimus. Is procurat rationes negotiáque [1] Dionysii nostri, quem & tu multùm amas, & ego omnium plurimùm. Ea tibi ego non debeo commendare; sed commendo tamen. Facies igitur, ut ex Pinarii, gratissimi hominis, literis tuum & erga illum, & erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

1. *Dionysii nostri*] Opinor esse, qui nominatur epist. 15. lib. IV. ad Att. MANUT.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

LIBERALIBUS [1] literas accepi tuas, quas mihi Cornificius 25
[2] altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit senatus, neque postero. [3] Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi [4] non invitâ Minervâ. Etenim eo ipso die senatus decrevit, ut [5] Minerva nostra, custos urbis, quam turbo dejecerat, restitueretur. Pansa tuas literas recitavit. Magna senatûs approbatio consecuta est cum summo gaudio, & [6] offensione Minotauri, id est, Calvisii & Tauri. Factum de te senatusconsul-

ARG. Ex literis Cornificii S. C. factum esse significat: ut in remp. incumbat, hortatur: Lucceio se nullâ in re defuturum pollicetur. *Anno* U. C. 710.

1. *Liberalibus*] XVI. Kal. Apr. qui dies Baccho dicatus erat. MANUT.

2. *Altero vicesimo die*] Die vicesimo secundo. Nam, *alter*, secundum obtinet locum.

3. *Quinquatribus*] XIV. Kal. Aprilis Minervæ festus dies. Ovid. Fast. III. 809.

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nomináque à junctis quinque diebus habent.

4. *Non invitâ Minervâ*] Feliciter. Jocatur autem in nomine *Minervæ*. MANUT.

5. *Minerva nostra*] Nullus est (ut existimo) qui nesciat Ciceronem antequam Româ exiret expulsus à Clodio, simulacrum Minervæ, quod domi suæ longo tempore religiosissimè coluerat, in Capitolium detulisse, ibique dedicasse, cùm in basi inscripsisset *Minervæ custodi urbis*. Vide Dion. lib. XLV. VICTORIUS.

6. *Cum offensione summa Minotauri*] Quod valde doluit Calvisio, qui tuam provinciam sibi desponderat, & ejus individuo sodali Statilio Tauro. Sed priusquam eos nominet, junctim ambos vocat Minotaurum, id est portentum, quod Pasiphaë Minois uxor edidisse ferebatur, & confecisse in Labyrintho Theseus, significans, hos duos non minus malum & portentum esse in rep. quàm Minotaurus in Creta insula. J. F. GRONOV.

Digitized by Google

consultum honorificum. Postulabatur ut etiam illi notarentur: sed Pansa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primùm in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus cæteris, a. d. XIII Kal. Januarii, fundamenta jeci reipublicæ, eo ipso die providi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ. Mihi enim est assensus senatus de [7] obtinendis provinciis. Nec verò postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua injuria, contumeliáque reipublicæ, provinciam [8] absens obtinebat. Itaque crebras, vel potiùs quotidianas compellationes meas non tulit, séque in urbem recepit invitus: neque solùm spe, sed certâ re jam, & possessione deturbatus est. Meo justissimo, [9] honestissimóque convicio te tuam dignitatem summâ tuâ virtute tenuisse, provinciæque honoribus amplissimis affectum, vehementer gaudeo. Quòd te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem: fuit enim illud quoddam cæcum tempus servitutis. Ego tuorum consiliorum auctor, dignitatísque fautor, iratus temporibus in Græciam desperatâ libertate [10] rapiebar: cùm me [11] Etesiæ, quasi boni cives, relinquentem rempublicam prosequi noluerunt: Austérque adversus maximo flatu me ad [12] tribules tuos Regium retulit: atque inde ventis, remis in patriam omni festinatione properavi, postridiéque in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnémque suum vinolentum furorem in me unum effunderet: méque cùm [13] elicere vellet ad cædis causam, tum tentaret insidiis: quem ego ructantem & nauseantem conjeci in Cæsaris Octa-

7. *Obtinendis*] Ab iisdem, qui obtinerent. Suprà epist. 22. Manut.

8. *Absens obtinebat*] Per legatos: cùm ipse (Calvisius) ad urbem esset cum imperio. Revertit autem in urbem, deposito imperio. Vide epist. 30. Idem.

9. *Honestissimóque convicio*] Ad Att. I. 14. *Cato advolat, convicium Pisoni Consuli mirificum facit, si id est convicium, vox plena gravitatis.* J. F. Gronov.

10. *Rapiebar*] Post Cæsaris necem, vexatâ ab Antonio consule rep. Epist. 1. lib. X. Phil. 1. Off. libro primo. *Rapiebar*, summam voluntatem discedendi ex Italia demonstrat. Discessit autem eâ mente, ut adesset Kal. Jan. quo die novi consules, Hirtius & Pansa senatum habituri erant. Manut.

11. *Etesiæ*] Venti euntibus in Græciam secundi, in Italiam adversi. Vide epist. 15. lib. II. Idem.

12. *Tribules tuos*] Municipia, quæ civitate donata fuerant, suffragiorum causâ, certæ tribui singula adscribebantur. De Regio, suprà, VII. 19. Cellar.

13. *Elicere vellet ad cædis causam*] Nam, a. d. XIII. Kal. Oct. ideò Ciceronem Antonius adesse jussit in senatu, ut ab eo cædis initium faceret. Quod Cicero suspicatus, in senatum non ivit. Hoc dilucidè narratur Phil. V. & epist. 2. h. l. Manut.

Digitized by Google

Octaviani plagas. Puer enim egregius præsidium sibi primùm, & nobis, deinde summæ reipublicæ comparavit: qui nisi fuisset, Antonii reditus à Brundusio, pestis patriæ fuisset. Quæ deinceps acta sint, scire te arbitror. Sed redeamus ad illud, unde divertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio: neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. *Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat*, ut ait [14] Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim. Una navis est jam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. Utinam prospero cursu. Sed quicunque venti erunt, ars nostra certè non aberit. Quid enim præstare aliud virtus potest? Tu fac magno animo sis & excelso: cogitésque, omnem dignitatem tuam cum republica conjunctam esse debere. [15] P. Lucceium mihi meum commendas: quem, quibuscunque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem & Pansam, collegas nostros, homines in consulatu reipublicæ salutares, alieno sanè tempore amisimus, republicâ Antoniano quidem latrocinio liberatâ, sed nondum omninò explicatâ: quam nos, si licebit, more nostro tuebimur: quanquam admodum sumus jam defatigati. Sed nulla lassitudo impedire officium & fidem debet. Verùm hæc hactenus. Ab aliis te de me, quàm à me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quæ maximè vellemus. De Cn. Minucio, quem tu quibusdam literis ad cælum laudibus extulisti, rumores duriores erant. Id quale sit, omninóque quid istic agatur, facias me velim certiorem.

14. *Terentius*] Andr. I. sec. II. 18.

15. *P. Lucceium*] Quis non videt initium esse alterius epistolæ? cùm infrà de Pansa mortuo, suprà de vivo fiat mentio. De eodem Luceio ep. 39. MAN. Illud quidem affirmare possumus in pervetere libro hanc epistolam, & sequentes ita conjunctas, atque adeò confusas fuisse, ut nullius principium appareret. Unde liberum unicuique fuit, ad suum arbitrium eas describere & dividere. CORRAD.

CICERO CORNIFICIO S. D.

QUINTUS Turius, qui in Africa negotiatus est, vir bonus 26
& honestus, heredes fecit similes sui, Cn. Saturninum,

 Sex.

ARG. Heredes Q. Turii de bonis in Africa relictis, commendat. *Anno* U. C. 709.

Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Confidium Gallum, L. Servilium Postumum, C. Rubellium. Ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione. Tantâ enim liberalitate se tuâ usos prædicabant, ut iis plus à te tributum intelligerem, quàm ego te auderem rogare. Audebo tamen: scio enim quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, quâ sine meis literis usus es, quàm maximus his literis cumulus accedat. Caput autem est meæ commendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam avertere, cæterísque omnibus rebus habeas eos commendatissimos. Magnam ex eorum splendore & observantiâ capies voluptatem. Quod ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO S. P. D.

27 SEXTUS Aufidius & observantiâ, quâ me colit, accedit ad proximos: & splendore, equiti Romano nemini cedit. Est autem ita temperatis moderatísque moribus, ut summa severitas, summa cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut majore studio, magísve ex animo commendare non possim. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.

ARG. Aufidii, Equitis Romani, Africana negotia commendat. *Anno* U. C. 709.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO S. P. D.

28 ASSENTIOR tibi, eos, quos scribis [1] Lilybæo minari, istic pœnas dare debuisse: sed metuisti, ut ais, [2] ne nimis liber

ARG. Quòd Cornificius in eos, qui Lilybæo minati fuerant, non animadverterat, leviter reprehendit: contrà laudat ejus in remp. studium; addit de pecunia & republica. *Anno* U. C. 710.

1. *Lilybæo*] Tria Siciliæ promontoria, Pelorus in Italiam spectans, Pachynum in Græciam, Lilybæum in Africam. MANUT.

2. *Ne nimis liber in ulciscendo*] Amstelodam. meus secund. Stewech. Pal. pr. *ne nimis*

ber in ulciſcendo viderere. Metuiſti igitur, ne gravis civis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere. Quòd ſocietatem reipublicæ conſervandæ, tibi mecum [3] à patre acceptam, renovas, gratum eſt: quæ ſocietas inter nos ſemper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quòd mihi tuo nomine gratias agendas non putas: nec enim id inter nos facere debemus. Senatus ſæpius pro dignitate tua [4] appellaretur, ſi [5] abſentibus conſulibus, unquam, niſi ad rem novam, cogeretur. Itaque nec de H-S XX. nec de H-S IↃCC, quidquam agi nunc per ſenatum poteſt. [6] Tibi autem ex ſenatus-conſulto imperandum, mutuúmque ſumendum cenſeo. In republica quid agatur, credo te ex eorum literis cognoſcere, qui ad te acta debent perſcribere. Ego ſum ſpe bonâ: conſilio, curâ, labore non deſum: omnibus inimicis reipublicæ eſſe me acerrimum hoſtem, præ me fero. Res neque nunc difficili loco mihi videtur eſſe: & fuiſſet facillimo, ſi culpa à [7] quibuſdam abfuiſſet. Vale.

nimis liber in ulciſcendo viderere. Et ſic in ſequentibus Amſtelodam. Hittorp. Stewech. Pal. ſex. Mentel. meus ſecundus, *Metuiſti igitur ne gravis civis, ne minùs fortis, ne minùs te dignus viderere.* Quæ lectio omnino melior eſt vulgatâ. Sententia eſt, ſe metuiſſe, ne ſi pœnas ſumpſiſſet de iis qui Lilybæo inſidiati ſint, feciſſet hoc magis alterius, cui obnoxius erat, causâ, quàm reipublicæ, néve aliter feciſſet quàm gravem civem, & virum fortem deceret, quódque ſe eſſet indignum. Quid eſt *nimis ſe dignus*? GRÆVIUS. Mihi verò Græviana emendatio præ vulgata ſordet. OLIVETUS.

3. *A patre*] Q. Cornificius, pater, Ciceronis in Conſulatu competitor fuit. ASCONIUS, *in Tog. cand.*

4. *Appellaretur*] Sic unus omnino vetus liber, & rectè. Quanquam &, *Appellaret*, ſententiam habet, ſed, ut arbitror, minùs aptam. Potiùs enim pro alicujus dignitate ſenatus appellatur, quàm appellat. MAN.

5. *Abſentibus*] Mutinam profectis ad D. Brutum obſidione liberandum. IDEM.

6. *Tibi ex S. C. imperandum*] Quoniam tibi S. C. imperium eſt datum, potes mutuam ſumere pecuniam, nempe ut milites alere poſſis. IDEM.

7. *Quibuſdam*] Si hæc epiſtola ſcripta eſt ante prælium Mutinenſe, notat eos, qui Antonii cauſam in ſenatu defendebant, ut Calenum, & alios: ſi pòſt, Lepidum, & eos qui Octavianum, cæſis Hirtio & Panſa, in ſpem conſulatûs impulerant. MANUT.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO S. P. D.

NON modò tibi, cui omnia noſtra notiſſima ſunt, ſed neminem in populo Romano arbitror eſſe, cui ſit ignota 29
ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia eſt. Etenim magno thea-

ARG. Lamiæ negotia commendat: eum ſuſpectum Cornificio excuſat. *A. U. C.* 710.

tro spectata est tum, cùm est ab A. Gabinio consule relegatus, quòd liberè & fortiter salutem meam defendisset. Nec ex eo amor inter nos natus est: sed quòd erat vetus & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. Ad hæc officia, vel merita potiùs, jucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te jam expectare, quibus eum tibi verbis commendem. Causas enim tanti amoris intelligis: quæ verba desideret, iis me omnibus usum putato. Tantùm velim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, libertos, [1] familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quàm si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. Nec dubito quin sine mea commendatione, quod tuum est judicium de hominibus, ipsius Lamiæ causâ studiosè omnia facturus sis: quanquam erat nobis dictum, te existimare, alicui senatus-consulto, quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse: qui omninò consulibus illis nunquam affuit scribendo: deinde omnia tum falsa senatus-consulta deferebantur. Nisi fortè etiam illi [2] Semproniano senatus-consulto me censes affuisse: qui ne Romæ quidem tum fui; ut de eo ad te scripsi, re recenti. Sed hæc hactenus. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia, mea putes esse: curésque, ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut valeas.

1. *Familiam*] Servos. Manut.

2. *Semproniano*] Suprà, epist. 19. & 25.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

30 ITA-NE præter litigatores, nemo ad te meas literas? Multæ istæ quidem: tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. Sed quis unquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi jucundius, quàm, cùm coràm tecum loqui non possim, aut scribere ad te,

Arg. Silentium literarum, præter litigantium commendationes, excusat: de renovato bello scribit: & de angustiis pecuniæ publicæ. *Anno* U. C. 710.

te, aut tuas legere literas? Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed voluminibus lacesserem: quibus quidem me à te provocari oportebat. Quamvis enim occupatus sis, otii tamen plus habes. Aut, si ne tu quidem vacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & à me literas crebriores, cùm tu mihi raro mittas, flagitare. Nam cùm antea distinebar maximis occupationibus, propterea quòd omnibus curis rempublicam mihi tuendam putabam: tum hoc tempore, multo distineor vehementiùs. Ut enim graviùs ægrotant ii, qui cùm levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt: sic vehementiùs nos laboramus, qui, profligato bello, ac penè sublato, [1] renovatum bellum gerere conamur. Sed hæc hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut à te vinci possim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: veruntamen multò mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc verò etiam suavem! Vultus mehercule tuos mihi expressit omnes, non solùm animum ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, quòd eodem exemplo ad me, quo ad cæteros. Requisivi equidem proprias ad me unum literas, sed neque vehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere & fecisse dicis, nihil sanè possum tibi opitulari, propterea quòd & orbus senatus, consulibus amissis, & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undique, ut optimè meritis militibus promissa solvantur: quod quidem fieri sine [2] tributo posse non arbitror. De [3] Attio Dionysio nihil puto esse: quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Lucceio nihil tibi concedo, quo studiosior ejus sis, quàm ego sum: est enim nobis necessarius. Sed à [4] magistris cùm con-

 tenderem

1. *Renovatum bellum*] Lepidi scelere, qui Antonium recepit. MANUT.

2. *Tributo*] Quod impositum populo non erat post devictam ab Æmilio Paulo Macedoniam. Libro secundo Off. MANUT.

3. *Attio*] Si est idem, de quo in epist. 24. *Attico* legi malim, quàm *Attio*: ut ab Attico & cognomen, & nomen acceperit. Quod etiam Corrado placuit. IDEM.

4. *Magistris*] Cùm bona alicujus in auctione venirent, ut inde aut hæredes aut creditores caperent partes, de eorum sententia legebatur, qui præesset illi auctioni. Is dicebatur *magister*. GRÆV.

tenderem de proferendo die, probaverunt mihi, ſeſe, quo minùs id facerent, & compromiſſo, & jurejurando impediri. Quare veniendum arbitror Lucceio. Quanquam, ſi meis literis obtemperavit, cùm tu hæc leges, illum Romæ eſſe oportebit. Cæteris de rebus, maximéque de pecunia, cùm Panſæ mortem ignorares, ſcripſiſti, quæ per nos ab eo conſequi te poſſe arbitrarere. Quæ te non fefelliſſent, ſi viveret: nam te diligebat. Poſt mortem autem ejus quid fieri poſſet, non videbamus. De [5] Venuleio, Latino, Horatio, valde [6] laudo. Illud non nimiùm probo, quod ſcribis, quò illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe. Honore enim digni cum ignominia dignis non erant comparandi: eóſque ex ſenatus-conſulto, ſi non decedunt, cogendos, ut decedant, exiſtimo. Hæc ferè ad eas literas, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo velim tibi perſuadeas, non eſſe mihi meam dignitatem tuâ cariorem. Vale.

5. *Venuleio*, *Latino*, *Horatio*] Legatis C. Calviſii, per quos Africam provinciam abſens obtinebat. Epiſt. 25. MANUT.

6. *Laudo*] Quòd lictores illis ademeris. IDEM.

Digitized by Google

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER XIII.

M. T. CICERO C. MEMMIO S. P. D. 1

ETSI non satis mihi constiterat, cum aliquâne animi mei molestia, an potiùs libenter te Athenis visurus essem, quòd injuria, quam accepisti, dolore me afficeret; sapientia tua, quâ fers injuriam, lætitiâ: tamen vidisse te mallem. Nam quod est molestiæ, non sanè multo levius est, cùm te non video. Quod esse potuit voluptatis, certè, si vidissem te, plus fuisset. Itaque non dubitabo dare operam ut te videam, cùm id satis commodè facere potero. Interea, quod per literas & agi tecum, &, ut arbitror, confici potest, agam nunc. Ac te illud primùm rogabo, ne quid invitus meâ causâ facias: sed id, quod mea intelliges multùm, tua nullam in partem interesse, ita mihi des, si tibi, ut id libenter facias, antè persuaseris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt: nisi quòd in philosophia vehementer ab eo dissentio. Sed & initio Romæ, cùm te quoque & tuos omnes observabat, me coluit in primis: & nuper, cùm ea, quæ

ARGUMENTUM. C. Memmius, qui tribunus pl. Lucullos triumphaturos vexaverat, (*Plutarch. in Luc.*) & prætor ab Cæsare rationem gesti consulatûs repetierat, (*Sueton. cap.* 23.) damnatus lege de ambitu, (*ad Att. IV. epist. ult.*) exulabat Athenis, sed antequam Cicero in provinciam iturus adveniret, discesserat Mitylenas. Ab hoc ergo per literas petit, ut in gratiam cum Patrone Epicureo redeat, eique locum concedat, ubi Epicurus habitaverat. *Anno* U. C. 702.

Digitized by Google

quæ voluit, [1] de suis commodis & præmiis consecutus est, me habuit suorum defensorum & amicorum ferè principem. Etiam à [2] Phædro (qui nobis, cùm pueri essemus, ante quàm [3] Philonem cognovimus, valde, ut philosophus; postea tamen, ut vir bonus, & suavis, & officiosus probabatur) traditus mihi, commendatúsque est. Is igitur Patro, cùm ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarem, peterémque, ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quòd [4] ædificationis tuæ consilium meâ commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, cùm, idem ut ad te scriberem, rogasset; ob eam causam impetravit, quòd te abjecisse illam ædificationem constabat inter omnes amicos tuos. Quod si ita est, & si jam planè tua nihil interest, velim, si qua offensiuncula facta est animi tui, perversitate aliquorum; (novi enim [5] gentem illam) des te ad lenitatem, vel propter tuam summam humanitatem, vel etiam honoris mei causâ. Equidem si, quid ipse sentiam, quæris: nec, cur ille tantopere contendat, video; nec, cur tu repugnes: nisi tamen multo minùs tibi concedi potest, quàm illi, laborare sine causa. Quanquam Patronis & orationem, & causam tibi cognitam esse certò scio. Honorem, officium, [6] testamentorum jus, Epicuri auctoritatem, [7] Phædri obtestationem, sedem, domicilium, vestigia summorum hominum, sibi tuenda esse dicit. Totam *hominis* vitam, rationémque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc ejus contentionem volumus reprehendere. Sed, mehercules,

---

1. *De suis commodis & præmiis*] Quænam hæc sint commoda & præmia, divinare non licet: nisi si, quòd inter Epicureos excelleret, commoda sibi aliqua & præmia postulavit: qua de re lite ortâ, Romam venit, & patrono in primis Cicerone, quæ voluit, à senatu consecutus est. Manut.

2. *Phædro*] Epicureo, quem cum Attico frequenter audivi. Corrad.

3. *Philonem*] Academicum. Idem.

4. *Ædificationis tuæ consilium*] Areopagitæ, decreto facto, Memmio concesserant, ut ædes Epicuri veteres, quas Cicero ut in contemptionem adduceret, *parietinas* vocavit, commodi sui gratiâ exædificare posset. Manut.

5. *Gentem illam*] Græcam. Corrad.

6. *Testamentorum jus*] Tuenda enim testamentorum jura sunt. Hoc dicit, quia suos hortos Epicurus, in quibus habitare ac docere solitus erat, amico suo Metrodoro moriens testamento reliquerat, eo jure, ut post ejus obitum ad alios Epicureæ sectæ principes possessio perveniret. Laertius. Manut.

7. *Phædri obtestationem*] Obtestatus erat Phædrus, cùm viveret, ne hortos Epicuri negligerent, néve occupari à quoquam sinerent. Idem.

Digitized by Google

cules, quando illi, cæterísque, quos illa delectant, non valde inimici sumus, nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat: in quo etiam si peccat, magis ineptiis, quàm improbitate, peccat. Sed ne plura, (dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem: nihil est illo mihi nec carius, nec jucundius. Is ([8] non quò sit ex istis: est enim omni liberali doctrinâ politissimus: sed valde diligit Patronem, valde Phædrum amavit) sic à me hoc contendit homo minimè ambitiosus, minimè in rogando molestus, ut nihil unquam magis: nec dubitat, quin ego à te nutu hoc consequi possem, etiam si ædificaturus esses. Nunc verò si audierit te ædificationem deposuisse, neque tamen me à te impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. Quamobrem peto à te, ut scribas ad tuos, posse tuâ voluntate decretum illud Areopagitarum, quem [9] ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima. Prius velim tibi persuadeas, ut hoc meâ causâ libenter facias, quàm ut facias. Sic tamen habeto, si feceris quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

8. *Non quò sit ex istis*] Hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem augeat; non quod is revera Epicureus non esset. Epist. 19. lib. V. ad eum, & lib. I. de Leg. IDEM.

9. *Ὑπομνηματισμὸν*] Ad rei memoriam literis mandatum. IDEM.

CICERO MEMMIO S.

CAIO Aviano Evandro, qui habitat in tuo [1] sacrario, & 2
ipso multum utor, & patrono ejus M. Æmilio familiarissimè. Peto igitur à te majorem in modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes. Nam propter opera instituta multa multorum, [2] subitum est ei remigrare [3] Kal. Quint. Impedior verecundiâ, ne te pluribus verbis rogem. Ne-

ARG. Petit, ut Evandro statuario de sacrarii habitatione accommodet. *Anno* U. C. 702.

1. *Sacrario*] Parte ædium urbanarum exulis C. Memmii. Nam *sacraria* non modò in sacris ædibus, verùm in profanis etiam esse poterant, loca quædam consecrata, vel ubi sacræ res custodirentur, vel ubi sacra gentilitia fierent. MANUT.

2. *Subitum est*] Nimis angusta præfinita dies facit, ut subitum sit incommodum ob temporis brevitatem. IDEM.

3. *Kal. Quint.*] Præfinita Evandro die, qua è sacrario migraret. Kalendæ Quintiles in Urbe primus erat locationum dies. Ad Q. Fr. epist. 3. lib. II. *Post Kal. Quint. in tuam domum commigrabis*, hoc est, finito locationis tempore demigrantibus iis, quibus eas locaveras. IDEM.

Digitized by Google

que tamen dubito, quin, si tua nihil aut non multùm intersit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares. Mihi certè gratissimum feceris. Vale.

M. T. CICERO C. MEMMIO S. P. D.

3 AULUM Fusium, unum ex meis intimis, observantissimum studiosissimúmque nostri, eruditum hominem, & summâ humanitate, tuâque amicitiâ dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coràm recepisti. Tam gratum mihi id erit, quàm quod gratissimum. Ipsum præterea summo officio & summâ observantiâ tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. D.

4 CUM municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est. Magno enim meo [1] beneficio affecti, cumulatissimè mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. Cum quibus si mihi nulla causa intercederet, tamen, quòd te vehementissimè diligo, quódque me à te plurimi fieri sentio, & monerem te & hortarer, ut eorum fortunis consuleres, præsertim cùm propè præcipuam causam haberent ad jus obtinendum. Primùm, quod Syllani temporis acerbitatem, deorum immortalium benignitate subterfugerunt: deinde, quòd summo studio populi Romani à me in consulatu meo defensi sunt. Cùm tribuni plebis legem iniquissimam de eorum agris promulgavissent: facilè Senatui populóque Romano persuasi, ut eos cives, quibus fortuna pepercisset, salvos esse vellent. Hanc actionem meam C. Cæsar [2] primo suo consulatu [3] in lege Agraria comprobavit, agrúmque Volaterranum,

&

ARG. Cùm Cæsar, victor civilium bellorum, agrum militibus divisurus esset, eíque negotio præfecisset Q. Valerium, huic Volaterranos commendat, ne illorum ager divisioni subjiciatur. *Anno* U. C. 708.

1. *Beneficio*] Quòd legem à tribunis pl. promulgatam, de agris eorum dividendis, perferri consul non sum passus. Infrà. MANUT.

2. *Primo*] Quibusdam libris deest. Grævio videtur glossema. CELLARIUS.

3. *In lege Agraria*] Quam de agro Campano & Stellate dividundo tulit. MANUT.

Digitized by Google

& oppidum omni periculo in perpetuum liberavit: ut mihi dubium non ſit, quin is, qui novas neceſſitudines adjungat, vetera ſua beneficia conſervari velit. Quamobrem eſt tuæ prudentiæ, aut ſequi ejus auctoritatem, cujus ſectam atque imperium ſumma cum tua dignitate ſecutus es: aut certè illi integram omnem cauſam reſervare. Illud verò dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligari velis. Sed hæc, quæ ſuprà ſcripta ſunt, eò ſpectant, ut te horter & ſuadeam. Reliqua ſunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non ſolùm tuâ cauſa tibi conſilium me dare putes, ſed etiam, quod mihi opus ſit, me à te petere, & rogare. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros incolumeſque eſſe volueris. Eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, quæ & à diis immortalibus, & præſtantiſſimis in noſtra republica civibus, ſummo Senatûs populíque Romani ſtudio, conſervatæ ſunt, tuæ fidei, juſtitiæ, bonitatíque commendo. Si pro meis priſtinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere poſſem Volaterranos, quemadmodum conſuevi tueri meos; nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodeſſe poſſem, prætermitterem. Sed quando apud te nihilo minùs hoc tempore valere me confido, quàm valuerim ſemper apud omnes: pro noſtra ſumma neceſſitudine, paríque inter nos & mutuâ benevolentiâ abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut exiſtiment, eum quaſi divino conſilio iſti negotio præpoſitum eſſe, apud quem unum nos, eorum perpetui defenſores, plurimùm valere poſſumus. Vale.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. P. D.

NON moleſtè fero, eam neceſſitudinem, quæ mihi tecum eſt, notam eſſe quàm plurimis: neque tamen ob eam cauſam (quod tu optimè exiſtimare potes) te impedio, quo minùs ſuſceptum negotium, pro tua fide & diligentia, ex voluntate Cæſaris, qui tibi rem magnam difficilémque commiſit, 5

 gerere

ARG. Ne ager C. Curtii dividatur, rationibus & argumentis rogat. *Anno* U. C. 708.

Digitized by Google

gerere possis. Nam, cùm multi à me petant multa, quòd de tua erga me voluntate non dubitent; non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte ætate familiarissimè sum usus. Ejus & Syllani temporis injustissima calamitate dolui: & cùm iis, qui similem injuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, cùm in eam tanquam è naufragio reliquias contulisset. Hoc autem tempore eum [1] Cæsar in senatum legit: quem ordinem ille, istâ possessione omissâ, [2] tueri vix potest. Gravissimum autem est, cùm superior factus sit ordine, inferiorem esse fortunâ: miniméque convenit, ex eo agro, qui Cæsaris jussu dividatur, eum moveri, qui Cæsaris beneficio senator sit. Sed mihi minùs libet multa de æquitate rei scribere, ne causâ potiùs apud te valuisse videar, quàm gratiâ. Quamobrem te in majorem modum rogo, ut C. Curtii rem meam putes esse: quidquid meâ causâ faceres, ut id C. Curtii causâ cùm feceris, existimes, quod ille per me habuerit, id me habere abs te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

1. *Cæsar*] Senatores bellum civile abstulerat, in quorum locum legit ex sua secta, etiam peregrinis adscitis. *Suet.* CELLAR.

2. *Tueri vix potest*] Nemo enim senator esse poterat, nisi DCCC. millia possideret. Suetonius in Augusto. MANUT.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, [1] PROCOS. S. P. D.

6 SI vales, bene est: ego quidem valeo. Credo te memoriâ tenere, me & coram P. Cuspio tecum locutum esse, cùm te prosequerer paludatum: & item posteà pluribus verbis tecum egisse, ut, quoscunque tibi ejus necessarios commendarem, haberes eos in numero meorum necessariorum. Id tu pro tua summa erga me benevolentia, perpetuáque observantiâ, mihi liberalissimè atque humanissimè recepisti. Cuspius, homo in omnes suos officiosissimus, mirificè quosdam homines ex ista provincia

ARG. Cuspii amicos generatim omnes commendat, nominatim L. Julium & P. Cornelium. *Anno* U. C. 708.

1. *Procos.*] Suprà proprætor est dictus: sed tunc præpositus erat à Cæsare agris dividundis: nunc Africam administrat, & proconsul vocatur, licet consulatum non gesserit. MANUT.

Digitized by Google

cia tuetur, & diligit, propterea quòd fuit in Africa bis, cùm maximis [2] ſocietatis negotiis præeſſet. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet erga illos, ego meâ facultate & gratiâ ſoleo, quantùm poſſum, adjuvare. Quare Cuſpianorum omnium commendationis cauſam hac tibi epiſtolâ exponendam putavi. Reliquis epiſtolis, tantùm faciam, ut [3] notam apponam eam, quæ mihi tecum convênit, & ſimul ſignificem de numero eſſe Cuſpii amicorum. Sed hanc commendationem, quam his literis conſignare volui, ſcito eſſe omnium graviſſimam. Nam P. Cuſpius ſingulari ſtudio contendit à me, ut tibi quàm diligentiſſimè L. Julium commendarem. Ejus ego ſtudio vix videor mihi ſatisfacere poſſe, ſi utar verbis iis, quibus, cùm diligentiſſimè quid agimus, uti ſolemus. Nova quædam poſtulat, & putat me ejus generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra arte deprompturum mirificum genus commendationis. Id quando aſſequi non poſſum, tu re velim efficias, ut ille genere mearum literarum incredibili quiddam perfectum arbitretur. Id facies, ſi omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & poteſtate tua proficiſci poterit, non modò re, ſed etiam verbis, vultu denique [4] exprompſeris: quæ quantum in provincia valeant, vellem expertus eſſes. Sed tamen ſuſpicor, ipſum hominem, quem tibi commendo, perdignum eſſe tuâ amicitiâ: non ſolùm, quia mihi Cuſpius dicit, credo, (tametſi id ſatis eſſe debebat) ſed quia novi ejus judicium in hominibus, & amicis deligendis. Harum literarum vis quanta fuerit, propediem judicabo: tibíque, ut confido, gratias agam. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſè diligentérque curabo. Cura ut valeas.

P. Cornelius, qui tibi has literas dedit, eſt mihi à P. Cuſpio commendatus: cujus causâ quanto opere cuperem, deberémque, profectò ex me facilè cognoſti. Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuſpius quàm maximas, quàm primùm, quàm ſæpiſſimè gratias agat. Vale.

 M. T.

2. *Societatis*] Publicanorum, qui Africæ vectigalia exigebant. MANUT.

3. *Notam*] Inter Ciceronem & Valerium in Africam proficiſcentem convenerat, ut, quibus literis ei Cicero aliquem verè atque ex intimo animi ſui ſenſu, non ex aliorum voluntate, commendaret, ſignum quoddam apponeret, ut graves commendationes à levibus diſtinguerentur. IDEM.

4. *Exprompſeris*] Man. *expreſſeris*.

Digitized by Google

M. T. CICERO CLUVIO S. P. D.

7 CUM in [1] Galliam proficiscens, pro nostra necessitudine, tuáque summa in me observantia, ad me domum venisses, locutus sum tecum de agro [2] vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia: quantóque opere ejus municipii causâ laborarem, tibi ostendi. Post tuam autem profectionem, cùm & maxima res municipii honestissimi, mihíque conjunctissimi, & summum meum officium ageretur; pro tuo animo in me singulari, existimavi, me oportere ad te accuratiùs scribere: etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio, & quæ tua potestas sit: tibíque negotium datum esse à C. Cæsare, [3] non judicium, præclarè intelligo. Quare à te tantum peto, quantum & te facere posse, & libenter meâ causâ facturum esse arbitror. Et primùm velim existimes, quòd res est, municipii fortunas omnes in isto vectigali consistere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune videtur esse cum multis, tamen, mihi crede, singulares huic municipio calamitates accidisse: quas idcircò non commemoro, ne de miseriis meorum necessariorum conquerens, homines, quos nolo, videar offendere. Itaque, nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipii probaturos; non erat causa, cur à te hoc tempore aliquid contenderem. Sed quia confido, mihíque persuasi, illum & dignitatis municipii, & æquitatis, etiam voluntatis erga se habiturum esse rationem: ideò à te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conservares. Quod etsi nihilominus à te peterem, si nihil audivissem te tale fecisse, tamen majorem spem impetrandi nactus sum, postea quàm mihi dictum est, hoc idem à te Regienses impetravisse. Qui etsi te aliquâ necessitudine attingunt: tamen tuus amor in me, sperare me cogit,

ARG. Petit à Cluvio, ne municipii Atellani vectigalis ager dividatur, sed causam integram Cæsari reservet. *Anno* U. C. 708.

1. *Galliam*] Cisalpinam. MANUT.

2. *Vectigali*] Qui vectigal Atellanis pendit. Quamvis enim in Campania est Atella, tamen agrum etiam alibi potuit possidere: sicut de Arpinatibus ex hujus libri epist. 11. confirmatur. CELLAR.

3. *Non judicium*] Non arbitrium. IDEM.

git, te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis: præsertim cùm ego pro his unis petam: habeam autem, qui simili causâ laborent, complures necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliquâ levi ambitione commotum à te contendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimùm: nullum unquam fuisse tempus, neque honorum, neque laborum meorum, in quo non hujus municipii studium in me extiterit singulare. Quapropter à te etiam atque etiam, pro nostra summa conjunctione, próque tua benevolentia, majorem in modum peto atque contendo, ut, cùm fortunas agi ejus municipii intelligas, quod sit mihi necessitudine, officiis, benevolentiâ conjunctissimum, id mihi des. Quod erit hujusmodi, ut, si à Cæsare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse judicemus. Sin minùs: pro eo tamen id habeamus, cùm à te data sit opera, ut impetraremus. Hoc cùm mihi gratissimum feceris: tum viros optimos, homines honestissimos, eosdémque gratissimos, & tuâ necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi, tuísque devinxeris. Vale.

M. T. CICERO M. RUTILIO S. P. D.

CUM & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam 8.
erga me benevolentiam expertus essem, non dubitavi à te petere, quod mihi petendum esset. [1] P. Sextium quanti faciam, ipse optimè scio: quanti autem facere debeam, & tu, & omnes homines sciunt. Is cùm ex aliis te mei studiosissimum esse cognosset, petivit à me, ut ad te quàm accuratissimè scriberem de re C. Albini senatoris: cujus ex filia natus est L. Sextius, optimus adolescens, filius P. Sextii. Hoc idcircò scripsi, ut intelligeres, non solùm me pro P. Sextio laborare debere, sed Sextium etiam pro Albino. Res autem est hæc. A M. Laberio C. Albinus [2] prædia in æstimationem accepit, quæ prædia Laberius

emerat

ARG. Rutilium rogat, ut in agrorum divisione Albini prædia ne attingat. *Anno* U. C. 708.

1. *P. Sextium*] Qui tribunus pl. Ciceronem ab exilio reduxit. MANUT.

2. *Prædia in æstimationem accepit*] Hoc

est,

Digitized by Google

emerat à Cæſare de bonis Plotianis. Ea ſi dicam non eſſe è republica dividi, docere te videar, non rogare. Sed tamen, cùm Cæſar Syllanas venditiones & aſſignationes ratas eſſe velit, quo firmiores exiſtimentur ſuæ: ſi ea prædia dividentur, quæ ipſe Cæſar vendidit, quæ tandem in ejus venditionibus eſſe poterit auctoritas? Sed hoc quale ſit, tu pro tua prudentia conſiderabis. Ego te planè rogo, atque ita, ut majore ſtudio, juſtiore de cauſa, magis ex animo rogare nihil poſſim, ut Albino parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magnâ me affeceris non modò lætitiâ, ſed etiam quodammodo gloriâ, ſi P. Sextius homini maximè neceſſario ſatisfecerit per me, cùm ego illi uni plurimùm debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Majus mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges eſſe gratiſſimum.

eſt, Laberii prædia pro debito accepit æſtimata tanti, quanti erant ante bellum civile. Vide ſuperius lib. IX. epiſt. 16. & 18. & lib. V. epiſt. 20. Sic enim Cæſar ſatisfieri volebat creditoribus ab iis, qui non erant ſolvendo. Vide Suet. Jul. cap. 44. Græv.

M. T. Cicero Crassipedi S. P. D.

9 QUANQUAM tibi præſens commendavi, ut potui, diligentiſſimè, [1] ſocios Bithyniæ: téque cùm meâ commendatione, tum etiam tuâ ſponte intellexi cupere ei ſocietati, *quibuſcunque* rebus poſſes, commodare: tamen, cùm ii, quorum res agitur, magni ſua intereſſe arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, quâ eſſem erga ipſos voluntate, non dubitavi hæc ad te ſcribere. Volo enim te exiſtimare, me, cùm univerſo ordini publicanorum ſemper libentiſſimè tribuerim, ídque magnis ejus ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum eſſe huic Bithynicæ ſocietati: quæ ſocietas ordine ipſo, & hominum genere, pars eſt maxima civitatis. Conſtat enim [2] ex cæteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate valde mihi familiares: in primíſque is, cujus præcipuum

Arg. Craſſipedi, Bithyniæ quæſtori, Bithynicam publicanorum ſocietatem, in primíſque Cn. Pupium commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Socios*] Publicanos. Corrad.

2. *Ex cæteris ſocietatibus*] Cùm eſſent multæ publicanorum ſocietates, ex omnibus Bithynica conſtabat. Manut.

puum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius, P. filius, [3] Men. qui est magister in ea societate. Quæ cùm ita sint, in majorem modum à te peto, Cn. Pupium, qui est [4] in operis ejus societatis, omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tueare: curésque ut ejus operæ, quod tibi facile factu est, quàm gratissimæ sint sociis: rémque & utilitatem sociorum (cujus rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus) per te quàm maximè defensam & auctam velis. Id cùm mihi gratissimum feceris, tum illud tibi expertus promitto & spondeo, te socios Bithyniæ, si iis commodaris, memores esse & gratos, cogniturum. Vale.

3. *Men.*] Cives Romani à tribu ostendi soliti, quæ quidem tribus plerumque in antiquis & lapidibus & libris primâ tantùm syllabâ scriptâ legitur. Hinc *Men.* est Menenia tribu. Vide lib. VIII. epist. 8. Græv.

4. *In operis*] Hoc est, inter ministros societatis, qui ejus res gerebant. *Operæ*, ministri, mercenarii. Cellarius.

Cicero Bruto S.

Cum ad te tuus quæstor, [1] M. Varro, proficisceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more majorum: qui, ut te non fugit, hanc quæsturæ conjunctionem, [2] liberorum necessitudini proximam voluit esse. Sed cùm sibi ita persuasisset ipse, meas de se accuratè scriptas literas maximum apud te pondus habituras, à méque contenderet, ut quàm diligentissimè scriberem; malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Ut igitur debere me facere hoc intelligas, cùm pri- 10

Arg. M. Bruto, quem Cæsar, in Africanum bellum profecturus, Cisalpinæ Galliæ præfecerat, *lib. VI. epist. 6.* M. Terentium Varronem, quæstorem sorte datum, diligentissimè commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *M. Varro*] Manutio ille doctissimus Romanorum est, qui de re rustica, & pluribus aliis scripsit. At ille piratico bello Pompeii classibus præfuerat (*Plin.* III. 11. VII. 30.) & ejusdem legatus in Hispania ulteriore, exercitum & provinciam rexerat (*suprà*, *lib.* IX. epist. 13.) ut dubites, nunc demum Bruti junioris quæstorem fieri voluisse. Præterea eo ingenio & doctrinâ fuit, ut doctissimo Bruto ignotus esse non potuerit, aut cui amicitiæ fores primùm Tullius aperiret. Alium ergo vel hujus, vel mutati prænominis commendari crediderim. Cellar.

2. *Liberorum necessitudini*] Epist. 26. & in Divinatione, & in Orat. pro Plancio. Manutius.

Digitized by Google

mìum M. Terentius [3] in forum venit, ad amicitiam ſe meam contulit. Deinde, [4] ut ſe corroboravit, duæ cauſæ acceſſerunt, quæ meam in illum benevolentiam augerent. Una, quòd verſabatur [5] in hoc ſtudio noſtro, quo etiam nunc maximè delectamur, & cum ingenio, ut noſti, nec ſine induſtria. Deinde, quòd maturè ſe contulit in ſocietates publicanorum; quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus eſt. Sed tamen cauſa communis ordinis mihi commendatiſſimi, fecit amicitiam noſtram firmiorem. Deinde verſatus [6] in utriſque ſubſelliis optimâ & fide, & famâ, jam ante hanc commutationem reipublicæ, [7] petitioni ſeſe dedit, honoréinque honeſtiſſimum exiſtimavit fructum laboris ſui. [8] His autem temporibus à me Brunduſio cum literis & mandatis profectus ad Cæſarem eſt: qua in re & amorem ejus in ſuſcipiendo negotio perſpexi, & in conficiendo, ac renuntiando fidem. Videor mihi, cùm ſeparatim de probitate ejus & moribus dicturus fuiſſem, ſi priùs cauſam, cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem, in ipſa cauſa exponenda ſatis etiam de probitate dixiſſe. Sed tamen ſeparatim promitto, inqueque recipio, fore eum tibi & voluptati, & uſui. Nam & modeſtum hominem cognoſces, & prudentem, & à cupiditate omni remotiſſimum: præterea magni laboris, ſummæque induſtriæ. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipſi, cùm benè cognôris, judicanda ſunt: ſed tamen in omnibus novis *conjunctionibus* intereſt, qualis primus aditus ſit, & quâ commendatione

3. *In forum venit*] Cùm prætextâ depoſitâ, virilem induit, & in virorum numerum eſt tranſcriptus, pro quo in lib. XV. epiſt 16. dicitur *forum attingere*. Vide & ſuperius lib. V. epiſt. 8.

4. *Ut ſe corroboravit*] Ut ad virilem ætatem acceſſit. Sic in Orat. pro Cælio: *Cùm is jam ſe corroboraviſſet, ac vi inter viros eſſet*. In eadem, *Non modò hæc ætas, ſed etiam corroborata*, id eſt, non modò adoleſcentes, ſed etiam viri. Et ſuprà ejuſdem orationis initio, eos, qui non, ut Cælii accuſator, adoleſcentes eſſent, ſed viri, *robuſtiores* appellavit. Alibi etiam in hanc ſententiam eodem verbo uſus eſt. Inde *Robuſta ætas*. MANUT.

5. *In hoc ſtudio noſtro*] Philoſophiæ. CORRAD. Eloquentiæ. MANUT.

6. *In utriſque ſubſelliis*] In publicis, privatiſque cauſis, id eſt, in majoribus, & minoribus. Sunt enim ſubſelliorum, ſi habetur hominum ratio, tria genera: ſi cauſarum, duo. Nam & judices, & patroni, & accuſatores in ſubſelliis conſidebant: cauſæ verò vel de publicis rebus erant, vel de privatis. MANUT. Imò *in utriſque ſubſelliis* eſt, & patronus fuit, & judex. GRÆV.

7. *Petitioni*] Honorum. An etiam geſſerit, incertum, quia nunc tandem quæſturam gerit, qui primus gradus honorum erat. CELLARIUS.

8. *His temporibus*] Poſt cladem Pharſalicam. Brunduſii autem Cicero Cæſarem, ſaltem reconciliationem ejus, expectabat. Suprà, lib. XI. ep. 27. IDEM.

Digitized by Google

datione quasi amicitiæ fores aperiantur. Quod ego his literis efficere volui: etsi id ipsa per se necessitudo quæsturæ effecisse debet: sed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, si me tanti facis, quanti Varro existimat, & ipse sentio, ut quàm primùm intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum & ipse sperarit, nec ego dubitarim. Vale.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D.

QUIA semper animadverti, studiosè te operam dare, ut ne quid meorum tibi esset ignotum; propterea non dubito, quin scias, non solùm cujus municipii sim, sed etiam quàm diligenter soleam meos municipes Arpinates tueri. Quorum quidem omnia commoda, omnésque facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta ædium sacrarum locorúmque communium tueri possint, consistunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. Ad ea visenda, pecuniásque, quæ à colonis debentur, exigendas, totámque rem & cognoscendam, & administrandam, legatos equites Romanos misimus Q. Fufidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercum Q. F. Peto à te majorem in modum, pro nostra necessitudine, ut tibi ea res curæ sit, operámque des, ut per te quàm commodissimè negotium municipii administretur, quàm primúmque conficiatur: ipsósque, quorum nomina scripsi, ut quàm honorificentissimè pro tua natura, & quàm liberalissimè tractes. Bonos viros ad tuam necessitudinem adjunxeris: municipiúmque gratissimum beneficio tuo devinxeris: mihi verò etiam eo gratius feceris, quòd cùm semper tueri municipes meos consuevi, tum hic annus præcipuè ad meam curam officiúmque pertinet. Nam constituendi municipii causâ, hoc anno ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæsium, hominem mihi maximè necessarium, (is enim magistratus in nostro municipio, [1] nec alius ullus II

 lus

ARG. Commendat Bruto vectigalia, quæ Arpinates in Gallia habebant; & legatos, qui ad ea exigenda proficiscebantur. *Anno U. C. 707.*

1. *Nec alius ullus*] In aliis enim municipiis vel dictator creari solebat, ut Lanuvii; (orat. pro Milone) vel consul, ut Tusculi, &c. MANUT.

Digitized by Google

lus creari ſolet) quos cohoneſtâris, in primiſque me, ſi reſpublica municipii, tuo ſtudio, & diligentiâ bene adminiſtrata erit. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D.

12 ALIA epiſtolâ communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentiſſimè: hac ſeparatim Q. Fufidium, quo-cum mihi omnes neceſſitudines ſunt, diligentiùs commendo: non ut aliquid de illa commendatione [1] comminuam, ſed ut hanc addam. Nam & privignus eſt M. Cæſii, mei maximè & familiaris, & neceſſarii; & fuit in Cilicia mecum tribunus militum: quo in munere ita ſe tractavit, ut accepiſſe ab eo beneficium viderer, non dediſſe. Eſt præterea (quod apud te valet plurimùm) à noſtris ſtudiis non abhorrens. Quare velim eum quàm liberaliſſimè complectare: operámque des, ut in ea legatione, quam ſuſcepit contra ſuum commodum, ſecutus auctoritatem meam, quàm maximè ejus excellat induſtria. Vult enim, id quod optimo cuique naturâ tributum eſt, quàm maximam laudem, cùm à nobis, qui eum impulimus, tum à municipio conſequi: quod ei continget, ſi hac mea commendatione tuum erga ſe ſtudium erit conſecutus. Vale.

ARG. Q. Fufidium, Arpinatis municipii legatum, qui tribunus militum in Cilicia fuerat, diligenter commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Comminuam*] Man. *deminuam*.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D.

13 LUCIUS Caſtronius Pætus, longè princeps municipii Lucenſis, eſt honeſtus, gravis, plenus officii, bonus planè vir & cùm virtutibus, tum etiam fortunâ, ſi quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem eſt familiariſſimus, ſic prorsùs, ut noſtri ordinis obſervet neminem diligentiùs. Quare ut & meum amicum, & tuâ dignum amicitiâ, tibi commendo. Cui quibuſcunque rebus commodaveris, tibi profectò jucundum, mihi certè erit gratum. Vale.

M. T.

ARG. L. Caſtronium, Lucenſem municipem, commendat. *Anno* U. C. 707.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D.

LUCIO Titio Strabone, equite Romano, in primis honesto, & ornato, familiarissimè utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res à [1] Volcatio, qui Romæ jus dicit, rejecta in Galliam est. Peto à te hoc diligentiùs, quàm si mea res esset, quò est honestius de amicorum pecunia laborare, quàm de sua, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas, operamque des, quoad tibi æquum & rectum videbitur, ut quàm commodissimâ conditione libertus Strabonis, qui ejus rei causâ missus est, negotium conficiat, ad nummósque perveniat. Id & mihi gratissimum erit: & tu ipse L. Titium cognosces amicitiâ tuâ dignissimum. Quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me velle scis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. 14

ARG. Petit ut exactionem ejus pecuniæ, quam L. Straboni P. Cornelius debet, suo studio & diligentia curet. *Anno* U. C. 708.

1. *Volcatio*] Prætore urbano.

M. T. CICERO C. CÆSARI IMP. S. P. D. 15

PRÆCILIUM tibi commendo unicè, tui necessarii, mei familiarissimi, viri optimi filium: quem cùm adolescentem ipsum propter ejus modestiam, humanitatem, animum & amorem erga me singularem mirificè diligo: tum patrem ejus, re doctus, intellexi & didici mihi fuisse semper amicissimum. [1] Hem, hic ille est, de illis maximè, qui irridere atque objurgare me soliti sunt, quòd me non tecum, præsertim cùm abs te honorificentissimè invitarer, conjungerem.

ARG. Præcilium adolescentem, patre natum Cæsaris amicissimo, commendat. Cæsare IV. Cos. sine collega. *Anno* U. C. 708.

1. *Hem, hic ille est*] Insignis ad movendum locus: tum quia sensus Præcilii & studium erga Cæsarem declaratur: tum etiam, quia Cicero, qua sibi re offensum Cæsarem putat, in ea dat operam, ut illum sibi, erroris confessione, reconciliet. *Hem*, particula non dolentis, sed indicantis potius: ut Phil. V. *Hem causam, cur lex tam egregia ferretur, ut eos judices &c.* Terentius in And. *Obsecro te, quamprimùm hoc me libera miseram metu. D. hem libero.* In And. *Hem tibi, rejecit omnem rem.* Et alibi. Similiter Plautus in Asin. *Hem nunc, si velis da, commoda homini amico.* Et in Capt. *Hem mihi jam otium est.* Et alibi. MANUT.

Digitized by Google

[2] Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν.

Audiebam enim [3] nostros proceres clamitantes,

[4] Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

[5] Ὥς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

Sed tamen iidem me consolantur: & jam hominem perustum, [6] etiamnum gloriâ volunt incendere: atque ita loquuntur.

[7] Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Sed me minùs jam movent, ut vides. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera præcepta Εὐριπίδου.

[8] Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Quem versum senex Præcilius laudat egregiè: & ait, posse eundem & [9] ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω videre, & tamen nihilominus,

[10] Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Sed, ut redeam ad id unde cœpi, vehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tuâ, quæ est singularis, comprehenderis: & ad id, quod ipsorum Præciliorum causâ te velle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. [11] Genere novo sum literarum ad te usus, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem. Vale.

M. T.

---

2. Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν] *Sed meum nunquam animum in pectoribus persuaserunt.* Odyss. Η'. 258.

3. *Nostros proceres*] Pompeianos. *Proceres* vocat cum ironia: qui defendi à se remp. gloriarentur. MANUT.

4. Ἄλκιμος ἔσσ'] *Fortis esto, ut aliquis te & posterorum laudet.* Odyss. Α'. 302.

5. Ὥς νεφέλη] *Sic nebula occultavit atra.* Id est, ita non vidi, quod utilius mihi fuit: ita mihi quasi nebula quædam videndi facultatem ademit. Οδ. υ. 314. IDEM.

6. *Etiamnum gloriâ*] *Etiamnum*, non placet: videtur enim abundare, cùm jam dictum sit, *etiam*. Veterum librorum varietas dubitationem mihi quidem non parvam affert. Placuit olim, *Inani gloriâ*: placet idem nunc, ita si docti viri probant. Non enim is sum, qui meas opiniones mordicus retineam. IDEM.

7. Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, &c.] *Ne ignaviter, & sine gloria peream, sed magno aliquo edito facinore, quod à posteris audiatur.* Iliad. Χ. 304.

8. Μισῶ σοφιστὴν] Vide Ennianum carmen Epist. 6. lib. VII. Odi igitur istos Pompeianos sapientes, qui sibi non sunt sapientes, cùm tecum adhuc pugnent. CORRAD.

9. Ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω] *Simul à fronte & à tergo.* Præterita simul & sequentia inspicere: quod qui facit, errare non potest. Facit autem is, aiebat Præcilius, qui cum Cæsare, opibus, honoribus, gloriâ florentissimo, non contendit. MANUT.

10. Αἰὲν ἀριστεύειν] *Semper egregiè se gerere, & aliis antecellere.* Iliad. Η'. 208.

11. *Genere novo*] Ob interpositos Græcos versus. IDEM.

Digitized by Google

M. T. CICERO C. CÆSARI IMP. S. P. D.

PUBLIUM Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi 16
plurimùm: & [1] ex eo, cùm ab ineunte ejus ætate bene speravissem, tum optimè existimare cœpi ex iis judiciis, quæ de eo feceram, cognitis. Ejus libertum Apollonium jam tum equidem, cùm ille viveret, & magni faciebam, & probabam. Erat enim & studiosus Crassi, & ad ejus optima studia vehementer aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eò mihi etiam dignior visus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à se observandos & colendos putabat, quos ille dilexisset, & quibus carus fuisset. Itaque & ad me in Ciliciam venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit, & fides ejus, & prudentia: &, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio & fidelitate consequi potuit, non defuit. Quod cùm speraret te quoque ita existimare, in Hispaniam ad te, maximè ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus. Cui ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui & in bello tecum fuisset, &, propter memoriam Crassi, de tuis unus esset: &, si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium mei de eo judicii, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud te velere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognovi, & studiis optimis deditum, ídque à puero. Nam domi meæ cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditissimo, multùm à puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis Græcis mandare cupiebat. Posse arbitror: valet ingenio, habet usum, jam pridem in eo genere studii literarúmque versatur: satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc faciliùs multò, pro tua singulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram,

ARG. Apollonium P. Crassi libertum, Cæsari in Hispania contra Pompeii filios bellum gerenti, commendat. *Anno* U. C. 708.

1. *Ex eo*] Fortè, *de eo*. J. F. GRONOV.

ram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum.

M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

17 MANIUS Curius, qui [1] Patris negotiatur, multis & magnis de causis à me diligitur. Nam & amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primùm in forum venit, instituta: & Patris cùm aliquoties antea, tum proximè hoc miserrimo bello, domus ejus tota mihi patuit; quâ si opus fuisset, tam essem usus, quàm meâ. Maximum autem mihi vinculum cum eo est quasi sanctioris cujusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarissimus, eumque unum præter cæteros observat, ac diligit. Quem si tu jam fortè cognosti, puto me hoc, quod facio, facere seriùs. Eâ est enim humanitate & observantiâ, ut eum tibi jam per se ipsum commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere à te quæso, ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas literas contulisti, quàm maximus [2] pòst meâ commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam minùs se tibi obtulit, aut nondum eum satis habes cognitum, aut quæ causa est, cur majoris commendationis indigeat; sic tibi eum commendo, ut neque majore studio quemquam, neque justioribus de causis commendare possim. Faciámque id, quod debent facere ii, qui religiosè & sine ambitione commendant: spondebo enim tibi, vel potiùs spondeo, in méque recipio, eos esse M'. Curii mores, eámque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum & amicitiâ tuâ, & tam accuratâ commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. Mihi certè gratissimum feceris, si intellexero, has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

CICE-

ARG. Manium Curium Servio Sulpicio, Achaiæ præsidi, commendat. *Vide lib.* VII. *epist.* 29. *Anno* U. C. 707.

1. *Patris*] Quæ urbs est in Peloponneso.

2. *Pòst meâ*] Manutius conjiciebat: *Quàm maximus potest, meâ*, &c.

Digitized by Google

CICERO SERVIO S.

NON concedam, ut Attico nostro, quem elatum lætitiâ vidi, jucundiores tuæ, suavissimè ad eum & humanissimè scriptæ, literæ fuerint, quàm mihi. Nam etsi utrique nostrûm propè æquè gratæ erant, tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certè admonitus, liberaliter Attico respondisses, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultrò ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per literas detulisse. De quo non modò rogare te, ut eò studiosiùs meâ quoque causâ facias, non debeo (nihil enim cumulatius fieri potest, quàm polliceris) sed ne gratias quidem agere, [1] quòd tu & ipsius causâ, & tuâ sponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum judicium de homine eo, quem unicè diligo, non potest mihi non summè esse jucundum. Quod cùm ita sit, esse gratum necesse est. Sed tamen, quando mihi, pro conjunctione nostra, vel peccare apud te in scribendo licet: utrumque eorum, quæ negavi mihi facienda esse, faciam. Nam & ad id, quod Attici causâ te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri potest. Et, quod modò verebar, tibi gratias agere, nunc planè ago, téque ita existimare volo, quibuscunque officiis in [2] Epiroticis reliquísque rebus Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore. Vale. 18

ARG. Gratias agit, quòd optimâ in Atticum voluntate sit, quem dum commendari dicit necesse non esse, eo ipso valde commendat, quo Servius ei neque in Epiroticis, neque in aliis rebus desit. *Anno* U. C. 707.

1. *Quòd*] Si enim id meâ causâ fecisses, gratias ipse agere deberem: cùm verò ipsius causâ feceris, ad eum pertinere gratiarum actio videtur. Quanquam ne ille quidem gratias debet agere: non enim ab eo rogatus, aut admonitus, sed ultro ipse nec opinanti voluntatem ei tuam tantam per literas detulisti. Itaque gratiarum actio nulla æquare potest officium tuum. MANUTIUS.

2. *Epiroticis*] Possessiones in Epiro Atticus habuit, ut epistolæ ad eum scriptæ, & Nepos in vita demonstrat. Epirus autem hoc tempore ad imperium Sulpicii, Achaiam regentis, pertinuit: antea Macedoniæ provinciæ pars fuit: ut ostendit oratio in Pisonem. IDEM.

Digitized by Google

M. T. C. Ser. Sulpicio S. P. D.

19 Cum Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus, quam ego neceſſitudinem ſanctè colendam puto: ſed ea cauſa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hoſpite: & ea cùm officiis ejus multis, tum etiam conſuetudine quotidianâ ſic eſt aucta, ut nihil ſit familiaritate noſtrâ conjunctius. Is cùm Romæ annum propè ita fuiſſet, ut mecum viveret, etſi eramus in magna ſpe, te meis literis commendationéque diligentiſſimè facturum, id quod feciſti, ut ejus rem & fortunas abſentis tuerere: tamen, quòd in unius poteſtate erant omnia, & quòd Lyſo fuerat in noſtra cauſa noſtriſque præſidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen eſt & ipſius ſplendore, & noſtro, reliquorúmque hoſpitum ſtudio, ut omnia, quæ vellemus, à Cæſare impetrarentur: quod intelliges ex iis literis, [1] quas Cæſar ad te dedit. Nunc non modò non remittimus tibi aliquid ex noſtra commendatione, quaſi adepti jam omnia: ſed eò vehementiùs à te contendimus, ut Lyſonem in fidem neceſſitudinémque tuam recipias. Cujus dubiâ fortunâ timidiùs tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes: exploratâ verò ejus incolumitate, omnia à te ſtudia ſummâ curâ peto. Quæ ne *ſingula* enumerem, totam tibi domum commendo. In his adoleſcentem filium ejus, quem [2] C. Memmius Gemellus, cliens meus, cùm in calamitate exilii ſui [3] Patrenſis civis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptavit, ut ejus ipſius hereditatis jus cauſámque tueare. Caput illud eſt, ut Lyſonem, quem ego virum optimum gratiſſimúmque cognovi, recipias in neceſſitudinem tuam.

Arg. Rogat, ut Lyſonem, quem antea commendaverat, in fidem & neceſſitudinem recipiat. *Anno* U. C. 707.

1. *Quas Cæſar ad te dedit*] Poteſt eas literas Cæſar in Hiſpania ſcripſiſſe: ſed veriſimilius eſt, in Urbe: cùm dicat Cicero, *Et noſtro, reliquorúmque hoſpitum ſtudio.* Quod ſi ita eſt, ivit Sulpicius in Achaiam, antequam in Hiſpaniam; (ep. 4. lib. IV.) manſit uſque ad exitum belli. Nam, ut diximus jam, Cæſar & Sulpicius, hic ex Achaia, ille miſſis ex Hiſpania literis, in obitu filiæ conſolati ſunt. Manut.

2. C. *Memmius Gemellus*] Poteſt eſſe is Memmius, ad quem ſuprà leguntur Ciceronis epiſtolæ. Nam & prænomen idem eſt, & exulavit uterque. Idem.

3. *Patrenſis civis*] Amiſſâ Romanâ civitate. Nam duarum civitatum civis eſſe nemo poterat. Idem.

Digitized by Google

tuam. Quod si feceris, non dubito, quin in eo diligendo, cæterísque postea commendando, idem quod ego sis judicii & voluntatis habiturus. Quod cùm fieri vehementer studeo, tum etiam illud vereor, ne si minùs cumulatè videbere fecisse aliquid ejus causâ, me ille negligenter scripsisse putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cùm ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere. Vale.

CICERO SERVIO S.

ASCLAPONE Patrensi, [1] medico, utor valde familiariter, 20
ejúsque cùm consuetudo mihi jucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in valetudine [2] meorum. In qua mihi cùm ipsâ scientiâ, tum etiam fidelitate, benevolentiáque satisfecit. Hunc igitur tibi commendo: & à te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me scripsisse de sese, meámque commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum. Vale.

ARG. Asclaponem medicum commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Medico*] Medicinam Romæ ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant. MANUTIUS.

2. *Meorum*] Tironis, quem ex Cilicia decedens ægrum Patris reliquit, ep. 1. 6. 9. lib. XVI. IDEM.

M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

MARCUS Æmilius Avianus ab ineunte adolescentia me ob- 21
servavit, sempérque dilexit, vir cùm bonus, tum perhumanus, & [1] in omni genere officii diligendus. Quem si arbi-

ARG. M. Æmilii rem familiarem, & imprimis libertum ejus Hammonium commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *In omni genere officii diligendus*] Non delector mutatione: facio tamen libenter, ut in locis mendum redolentibus testificer sententiam meam. *In omni genere officii diligendus*, ferri potest, & eò magis, quòd omnes libri veteres consentiunt; veruntamen, quia *Diligens*, & *Diligendus*, non admodum diversa sunt; scripsi olim, nihil tamen affirmans, magis mihi placere *Diligens*, quàm *Diligendus*: ut mentio fiat in officio diligentiæ potiùs quàm amoris, ex consuetudine Ciceronis: quam si quis contemnit, eum à me dissentire nec miror, nec molestè fero. Ciceronis hæc sunt, pro Plancio: *In omni officio diligentissimus.* Pro Cælio: *Viro omnis officii diligentissimo.* Pro Cluentio: *In omnibus officiis retinendis diligentior esse nemo potest.* MANUT. Edidit Grævius, *&* *omni*, &c. deleto *in*.

Digitized by Google

trarer esse Sicyone, & nisi audirem ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cybiræ commorari, nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere. Perficeret enim ipse profectò suis moribus, suáque humanitate, ut sine cujusquam commendatione diligeretur abs te non minùs, quàm & à me, & à cæteris suis familiaribus. Sed cùm illum abesse putem, commendo tibi majorem in modum domum ejus, quæ est Sicyone, rémque familiarem, maximè Caium Avianum Hammonium, libertum ejus: quem quidem tibi etiam suo nomine commendo. Nam cùm propterea mihi est probatus, quòd est in patronum suum officio & fide singulari, tum etiam in me ipsum magna officia contulit, mihíque molestissimis temporibus ita fideliter benevoléque præstò fuit, ut si à me manumissus esset. Itaque peto à te, ut eum Hammonium, & in patroni ejus negotio sic tueare, ut ejus procuratorem, quem tibi commendo, & ipsum suo nomine diligas, habeásque in numero tuorum. Hominem pudentem & officiosum cognosces, & dignum, qui à te diligatur. Vale.

CICERO SERVIO S.

22 TITUM Manlium, qui negotiatur [1] Thespiis, vehementer diligo. Nam & semper me coluit, diligentissiméque observavit, & à studiis nostris non abhorret. Accedit eò, quòd Varro Murena magnopere ejus causâ vult omnia: qui tamen existimavit, etsi suis literis, quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen meâ commendatione aliquid accessionis fore. Me quidem cùm Manlii familiaris, tum Varronis studium commovit, ut ad te quàm accuratissimè scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimùm; id est, si T. Manlium, quàm maximè, quibuscunque rebus honestè ac pro tua dignitate poteris, juveris atque ornaveris. Ex ipsius præterea gratissimis & humanissimis moribus confirmo tibi, te eum, quem soles fructum à bonorum virorum officiis expectare, esse capturum. Vale.

CICE-

ARG. T. Manlium suo & Varronis nomine commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Thespiis*] Urbs Bœotiæ, sub Helicone, ad sinum Crisseum, Musis sacra. GRÆVIUS.

Digitized by Google

CICERO SERVIO S.

LUCIO Cossinio, amico & tribuli tuo, valde familiariter utor. Nam & inter nosmetipsos vetus usus intercedit, & Atticus noster majorem etiam mihi cum Cossinio consuetudinem fecit. Itaque tota Cossinii domus me diligit, in primísque libertus ejus L. Cossinius Anchialus, homo & patrono, & patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, eodémque apud me loco esset, quo & est apud patronum suum, majore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis: atque eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & tibi postea jucundum. Hominem enim summâ probitate, humanitate, observantiâque cognosces. Vale. 23

ARG. Cossinium Anchialum libertum commendat. *Anno* U. C. 707.

CICERO SERVIO S.

CUM antea capiebam ex officio meo voluptatem, quòd memineram, quàm tibi diligenter Lysonem, hospitem & familiarem meum, commendassem; tum verò postea quàm ex literis ejus cognovi, tibi eum falsò suspectum fuisse, vehementissimè lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adjumento fuisse, quòd ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. De quo, etsi pro tua facilitate & humanitate purgatum se tibi scribit esse; tamen primùm, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cùm tantum literæ meæ potuerunt, ut his lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: dein- 24

 de

ARG. Gratias agit, quòd suâ commendatione Lysoni offensionem remiserit: deinde rogat, ut eum omnibus officiis complectatur. *Anno* U. C. 707.

de credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lysone magis, quàm pro omnibus scribere, hominem esse neminem, qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso verò cùm mecum propè quotidie esset, unàque viveret, non solùm quia me libenter audire arbitrabatur, sed quia libentiùs ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta & dicta laudabat. Quapropter, etsi à te ita tractatur, ut jam non desideret commendationem meam, unísque se literis meis omnia consecutum putet, tamen à te peto in majorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus literis feceram, nisi eum jam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

CICERO SERVIO S.

25 HAGESARETUS Larissæus magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor & gratus fuit, méque postea diligentissimè coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut & hospitem meum, & familiarem, & gratum hominem, & virum bonum, & principem civitatis suæ, & tuâ necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

ARG. Hagesaretum breviter, sed accuratè commendat. *Anno* U. C. 707.

CICERO SERVIO S.

26 LUCIUS Mescinius eâ mecum necessitudine conjunctus est, quòd mihi quæstor fuit. Sed hanc causam, quam ego ut à majoribus accepi, semper gravem duxi, fecit virtute & humanitate suâ justiorem. Itaque eo sic utor, ut nec familiariùs ullo, nec libentiùs. Is quanquam confidere videbatur, & suâ cau-

ARG. Mescinii Rufi Achaïca negotia commendat. *Anno* U. C. 707.

Digitized by Google

causâ, quæ honestè posses, libenter esse facturum; magnum esse tamen speravit apud te meas quoque literas. Id cùm ipse ita judicabat, tum pro familiari consuetudine sæpe ex me audierat, quàm suavis esset inter nos & quanta conjunctio. Peto igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario, & tam familiari, ut ejus negotia, quæ sunt in Achaia, ex eo quòd heres est M. Mindio, fratri suo, qui [1] Eli negotiatus est, explices & expedias cùm jure & potestate, quam habes, tum etiam auctoritate & consilio tuo. Sic enim præscripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri posset, te [2] disceptatore uterentur. Id ut honoris mei causâ suscipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud præterea, si non alienum tuâ dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum: si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos, quando cum senatore res est, Romam rejeceris. Quod quò minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido consule, non quæ te aliquid juberent (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitramur) sed quodam modo quasi commendatitias sumpsimus. Scriberem, quàm id beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi & te scire confiderem, & mihi peterem. Sic enim velim existimes, non minùs me de illius re laborare, quàm ipsum de sua. Sed, cùm illum studeo, quàm facillimè ad suum pervenire, tum illud laboro, ut non minimum hac meâ commendatione se consecutum arbitretur. Vale.

CICE-

1. *Eli*] Nonnullis visum est rectiùs hîc *Elide* legi, quàm *Eli*, adeò ut in posteriorum editionum codicibus ita ferè scriptum sit: quod miror, cùm frequenter hujus urbis nomen in obliquis casibus parem syllabarum numerum cum recto habeat. Plinius lib. XVI. (edit. Hard. Tom. II. pag. 7.) *Sunt qui fœminam Ilicem vocent, atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur, ut in carpentariis præcipuè fabricis, ut circa Elim & Lacedæmonem.* Eâdem ignorantiâ decepti ita emendarunt hunc locum in III. de Natura Deorum, *Venus prima Cælo & Die nata, cujus Elide delubrum vidimus*: cùm in veteribus exemplaribus ibi etiam *Eli* legatur. VICTOR.

2. *Disceptatore*] Rei, quæ in controversiam vocatur, moderatore. In Partitionibus hoc verbum Cicero ipse interpretatur: *Aut auscultator est modò, qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator.* Eo usus est Asinius, cujus hæc recitat Quintil. lib. IX. cap. ult. *Si, Cæsar, ex omnibus mortalibus, qui sint ac fuerint, posset huic causæ disceptator legi, non quisquam te potiùs optandus nobis fuit.* MANUT.

Digitized by Google

Cicero Servio S.

27 Licet eodem exemplo sæpius tibi hujus generis literas mittam, cùm gratias agam, quòd meas commendationes tam diligenter observes: quod feci in aliis, & faciam, ut video, sæpius: sed tamen non parcam operæ, & ut vos soletis in formulis, sic ego in epistolis [1] de eadem re alio modo. C. Avianus igitur Hammonius incredibiles mihi gratias per literas egit, & suo, & Æmilii Aviani, patroni sui, nomine, nec liberaliùs, nec honorificentiùs potuisse tractari, nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. Id mihi cùm jucundum est eorum causâ, quos tibi ego summâ necessitudine & summâ conjunctione adductus commendaveram, quòd M. Æmilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis, maximè necessarius homo, & magnis meis beneficiis devinctus, & propè omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratissimus: tum multò jucundius, te esse in me tali voluntate, ut plus prosis amicis meis, quàm ego præsens fortasse prodessem: credo, quòd magis ego dubitarem, quid illorum causâ facerem, quàm tu, quid meâ. Sed hoc non dubito, quin existimes mihi esse gratum. Illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes: quod ita esse tibi promitto, atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinente Achaiam, conficiant. Ego [2] cum tuo Servio jucundissimè conjunctissiméque vivo: magnámque cùm ex ingenio ejus, singularíque studio, tum ex virtute & probitate voluptatem capio. Vale.

Cice-

Arg. Gratias agit, quòd Avianum commendatione suâ liberaliter tractasset: eumque commendat iterum. *Anno* U. C. 707.

1. *De eadem re alio modo*] Est formula Jurisconsultis antiquis usitata in præscribendis actionibus, cùm ostenderent ejusdem rei consequendæ vias complures esse, & actiones varias posse institui. Ideò Cicero ad S. Sulpicium, Jurisconsultum primarium, scribens, ait, *ut soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo.* Briss.

2. *Cum tuo Servio*] Epist. 3. lib. IV.

CICERO SERVIO S.

ETSI libenter petere à te soleo, si quid opus est meorum 28
cuipiam; tamen multo libentiùs gratias tibi ago, cùm fecisti aliquid commendatione meâ; quod semper facis. Incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati: quæ mihi omnia grata, sed de L. Mescinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus, te, ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia, multo verò plura & majora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Quod quidem hoc vehementiùs lætor, quòd ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluptatem. Est enim in eo cùm virtus & probitas, & summum officium, summáque observantia, tum [1] studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ. Sed duo quidem te nominatim rogo. Primùm, ut, si quid satisdandum erit, [2] amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide meâ. Deinde, cùm ferè consistat hereditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quæ uxor Mindii fuit; adjuves, ineásque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. Quòd si putarit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficiemus. Hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. [3] Illud, quod suprà scripsi, id tibi confirmo, in méque reci-

ARG. Agit gratias quòd Mescinio commendatio sua profuerit, rogátque ut pergat ei bene facere. Deinde commendat Lacedæmonios. *Anno* U. C. 707.

1. *Studia*] Philosophiæ. MANUT.

2. *Amplius eo nomine non peti*] Est solemnis formula Jurisconsultorum, ad quam etiam Cicero alludit in Bruto: *Mihi quoque, inquit Brutus, & expectanda sunt ea quæ Attico polliceris, & fortasse ego à te hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommodè exacturum negat. At verò, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi priùs à te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum.* GRÆV.

3. *Illud quod suprà scripsi, id tibi confirmo*] *Id*, non abundat, sed additum confirmationis gratiâ: ut epistolâ quinquagesimâ septimâ: *Illud, quod tecum & coram, & per literas diligentissimè egi, id & nunc etiam atque etiam rogo.* Et lib. VII. epist. 26. *Lex sumptuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit.* Et pro Cælio: *Illud tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo.* Plautus in Pseud. *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, eam circumducam lepidè.* MANUTIUS.

Digitized by Google

recipio, te ea, quæ fecisti Mescinii causâ, quæque feceris, ita bene collocaturum, ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo benignè fecisse. Volo enim ad id, quod meâ causâ fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi suâ majorúmque suorum auctoritate satis commendati sint fidei & justitiæ tuæ: & ego, qui te optimè novissem, non dubitavi, quin tibi notissima & jura & merita populorum essent. Itaque cùm à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi civitatem commendarem: etsi memineram, me ei civitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiæ civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quòd tu his præsis: eundémque me ita judicare, te, quòd unus optimè nosses non nostra solùm, sed etiam Græciæ monumenta omnia, tuâ sponte amicum Lacedæmoniis & esse, & fore. Quare tantùm à te peto, ut, cùm ea facies Lacedæmoniorum causâ, quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat, ut his, si tibi videbitur, significes, te non molestè ferre, quòd intelligas, ea quæ facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO L. [1] PLANCO S. D.

29 NON dubito, quin scias, in iis necessariis, qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse vel conjunctissimum, non his modò causis, quæ speciem habeant magnæ conjunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate & consuetudine tenentur: quam scis mihi jucundissimam cum [2] patre tuo & summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus, auxit paternam necessitudinem, & eò magis, quòd intellexi, ut primùm per ætatem judicium facere potueris quanti quisque tibi faciendus esset, me à te in primis cœptum esse observari, coli, diligi. Accedebat non medio-

ARG. Capitonem pro Antistii hereditate diligentissimè commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Planco*] Cum Cæsare in Africa contra Scipionem & Jubam regem pugnante. Hic est, ad quem sunt epistolæ lib. X. MAN.

2. *Patre*] Epist. 4. lib. X.

Digitized by Google

mediocre vinculum cùm studiorum, quod ipsum est per se grave; tum eorum studiorum, earúmque artium, quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eâdem sunt, etiam familiaritate devinciunt. Expectare te arbitror, hæc tam longè repetita principia quò spectent. Id primum ergo habeto, non sine magna justâque causa hanc à me commemorationem esse factam. C. Ateio Capitone utor familiarissimè. Notæ tibi sunt varietates meorum temporum. In omni genere & honorum, & laborum meorum, & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præstò fuit, & [3] patuit & temporibus, & fortunæ meæ. Hujus propinquus fuit T. Antistius: qui cùm sorte quæstor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. Facere Antistius nihil potuit. Nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti: præsertim cùm sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperque fecisset. Sed oppressus tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. [4] Cùm signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare affuisse, sed non plus duobus, an tribus mensibus. Deinde abfuit à castris: fugit omne negotium. Hoc mihi, ut testi, velim credas. Meam enim ille mœstitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quò potuit longissimè à castris, non modò ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominem necessarium, A. Plautium, in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cùm vidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit. Romam jussit venire. Ille in morbum continuò incidit, ex quo non convaluit. Æger Corcyram venit, ibi est mortuus. Testamento, quod Romæ Paulo & Marcello consulibus fecerat, heres [5] ex parte dimidia & tertia est

 Capi-

3. *Patuit*] Manutius, *paruit.*

4. *Cùm signaretur*] Pompeii jussu.

5. *Ex parte dimidia, & tertia*] Tota hereditas nomine assis vocatur, partes autem hereditatis partibus assis. Dividitur in unciam, sextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, semissem, septuncem, bessem, dodrantem, dextantem, deuncem. Pars igitur hereditatis dimidia, & tertia, si ab assis partibus vocetur, erit semis, & triens, vel, unico vocabulo, dextans. Quanquam neque dextantem, neque deuncem, neque quincuncem, septuncem, bessem, pro partibus hereditatis usurpari à veteribus video: sed tantum hæc, unciam, sextantem, quadrantem, trientem, semissem, dodrantem, assem. MANUT.

Capito. In sextante sunt ii, quorum pars sine ulla cujusquam querela [6] publica potest esse: ea est ad H-S xxx. Sed de hoc Cæsar viderit. Te, mi Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studiis, & omni cursu nostro totius vitæ simillimo, rogo, & à te ita peto, ut majore curâ, majore studio nullo possim, ut hanc rem suscipias, meam putes esse, enitare, contendas, efficias, ut meâ commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio, hereditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia, quæ potui in hac summa tua gratia ac potentia à te impetrare, si petiissem, ultrò te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento spero, cujus ipse Cæsar esse optimus judex potest: semper Cæsarem Capito & coluit, & dilexit. Sed ipse hujus rei testis est, novi hominis memoriam. Itaque nihil te doceo. Tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. Ego, quod [7] in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantum sit ponderis, tu videbis. Quam partem in republica causámque defenderim, per quos homines, ordinésque steterim, quibusque [8] munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas, si quid fecerim hoc ipso in bello minùs ex Cæsaris voluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem, me invitissimum fecisse. Id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate. Quòd fuerim moderatior, temperatiórque, quàm in ea parte *quisquam*, id me fecisse maximè auctoritate Capitonis: cujus similes si reliquos necessarios habuissem, reipublicæ fortasse nonnihil, mihi certè plurimùm profuissem. Hanc rem, mi Plance, si effeceris, meam de tua erga me benevolentia spem confirmaveris; ipsumque Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem, tuo summo beneficio adjunxeris. Vale.

M. T.

---

6. *Publica potest esse*] Antistii bona, ut Pompeiani, publica esse, victore Cæsare, debebant. Partem Capitoni relictam Cicero conservare conatur, adjutore Planco. Reliquum sextantem, ait, posse Cæsarem capere, nullâ cujusquam querelâ, fortasse quòd ii, quibus sexta hæreditatis pars legata fuerat, Pompeianarum partium fuissent: Cùm Capito abstinuisset omnino ab armis, Cæsarémque potiùs quàm Pompeium dilexisset. Manut.

7. *In me ipso experiri*] Quanti Cæsarem fecerit Capito, in me ipso sum expertus. Quòd enim fuerim moderatior, ac temperatior in civili bello, quàm quisquam Pompeianus; id auctore Capitone potissimum feci. Idem.

8. *Munitus*] Hunc locum vacare mendo, persuaderi mihi vix potest. Idem.

Digitized by Google

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

LUCIUS Manlius est [1] Sosis. Is [2] fuit Catinensis: sed est unà 30
cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurióque Neapoli. [3] Erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis & Latinis datam. Ejus frater Catinæ nuper mortuus est. Nullam omnino arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum: & [4] est hodie in bonis: sed, quoniam habet præterea negotia vetera in Sicilia sua, & hanc hereditatem fraternam & omnia ejus tibi commendo, in primísque ipsum virum optimum, mihíque familiarissimum, his studiis literarum doctrinǽque præditum, quibus ego maximè delector. Peto igitur abs te, ut eum, sive aderit, sive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximéque necessariis scias esse: itáque tractes, ut intelligat meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. Vale.

ARG. L. Manlium in fraterna hereditate commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Sosis*] Est Siculum Manlii nomen, quod solum habuit antequàm civitate donaretur. Qui enim peregrini Romanam civitatem assequebantur, eorum assumebant & prænomina, & nomina, quorum operâ & beneficio cives Romani facti erant, vetere nomine conservato. MANUT.

2. *Fuit Catinensis*] Esse desiit, posteaquam in municipium Neapolitanum adscriptus est. Civis enim duarum civitatum esse nemo potest IDEM.

3. *Erat enim*] Rationem affert, quo modo, Catinensis cùm fuerit, civis Romanus factus sit. Quo tempore, inquit, sociis & Latinis data civitas est, (datam esse lege Julia, ostendit Cicero, in oratione pro Balbo) adscriptus jam erat Manlius in municipium Neapolitanum: ita cum reliquis Neapolitanis civitatem est adeptus. IDEM.

4. *Est hodie in bonis*] Argumentum, cur nullam sit habiturus de ea hereditate controversiam: quia nemo prohibuit, quo minus eam adiret: cùm facilius esset excludere, quàm de possessione dejicere. *Esse in bonis, esse in possessione bonorum, bona possidere*, & idem sunt, & æquè Tulliana. IDEM.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CAIO Flavio, honesto & ornato equite Romano, utor valde familiariter. Fuit enim generi mei, C. Pisonis, pernecessarius, méque diligentissimè observat & ipse, & L. Flavius, frater ejus. Quapropter velim honoris mei causâ, quibus rebus hone- 31

ARG. Flavium, Pisonis generi sui pernecessarium, commendat. *Anno* U. C. 707.

honeſtè & pro tua dignitate poteris, quàm honorificentiſſimè, & quàm liberaliſſimè C. Flavium tractes. Id mihi ſic erit gratum, ut gratius eſſe nihil poſſit. Sed præterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, ſed cùm familiaritate & neceſſitudine, tum etiam veritate; te ex C. Flavii officio [4] & obſervantiâ, & præterea ſplendore, atque inter ſuos gratiâ, magnam voluptatem eſſe capturum. Vale.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.

32 IN [1] Haleſina civitate, tam lauta, támque nobili, conjunctiſſimos habeo & hoſpitio, & familiaritate M. & C. Clodios, [2] Archagathum, & Philonem. Sed vereor, ne, quia complures tibi præcipuè commendo, exæquare videar ambitione quadam commendationes meas. Quanquam à te quidem cumulatè ſatisfit & mihi, & meis omnibus. Sed velim ſic exiſtimes, hanc familiam, & hos mihi maximè eſſe conjunctos vetuſtate, officiis, benevolentiâ. Quamobrem peto à te majorem in modum, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitáſque patietur, commodes. Id ſi feceris, erit mihi vehementiſſimè gratum. Vale.

Arg. Hoſpites ſuos Archagathum & Philonem commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Haleſina*] *Haleſa*, quæ & *Aleſa* & *Halæſa* ſcribitur; urbs Siliciæ eſt ad fluvium *Halæſum*, in colle octo ſtadiis à mari remoto. Hodie non niſi rudera & veſtigia quædam ejus urbis ſuperſunt, de qua vide Diodor. Sic. lib. XIV. Græv.

2. *Archagathum, & Philonem*] M. Clodium Archagathum, C. Clodium Philonem. Horum cognomina Græca ſunt, prænomina verò & nomina Romana. Primùm enim Siculi cùm eſſent, civitatis Romanæ jus adepti, ſimul appellationem ſuſceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. Man.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D.

33 CNEIO Otacilio Naſone utor familiariſſimè; ita prorſùs, ut illius [1] ordinis nullo familiariùs. Nam & humanitate ejus, & probitate in conſuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil jam opus eſt expectare te, quibus eum verbis tibi commen-

Arg. Naſonis libertos & negotia commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Ordinis*] Equeſtris forſan: ſed Manutius *conditionis*, aut *fortis* interpretatur.

Digitized by Google

mendem, quo ſic utar, ut ſcripſi. Habet is in provincia tua negotia, quæ procurant liberti, Hilarus, Antigonus, Demoſtratus: quos tibi, negotiáque omnia Naſonis non ſecùs commendo, ac ſi mea eſſent. Gratiſſimum mihi feceris, ſi intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuiſſe. Vale.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

AVITUM mihi hoſpitium eſt cum Lyſone, Lyſonis filio, 34
Lilybætano, valdéque ab eo obſervor: cognovíque dignum & patre, & avo. Eſt enim nobiliſſimâ familiâ. Quapropter commendo tibi majorem in modum rem, domúmque ejus: magnóque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo ſibi apud te adjumento, & ornamento fuiſſe. Vale.

ARG. Lyſonem Lilybætanum commendat. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CAIUS Avianus Philoxenus antiquus eſt hoſpes meus, &
præter hoſpitium, valde etiam familiaris, quem Cæſar 35
[1] meo beneficio [2] in Novocomenſes retulit. Nomen autem Aviani ſecutus eſt, quòd homine nullo plus eſt uſus, quàm Flacco [3] Aviano, meo, quemadmodum te ſcire arbitror, familiariſſimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem eſſe commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis, ei commodes, habeáſque in numero tuorum: perficiáſque, ut intelligat, has literas meas magno ſibi uſui fuiſſe. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale. M. T. C.

ARG. Philoxenum, hoſpitem & familiarem ſuum commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Meo beneficio*] Me rogante. MANUT.

2. *In Novocomenſes retulit*] In eos, quos Novumcomum deductos in primo conſulatu civitate donavit. Ii fuere quinque millia, & Græci maximè illuſtres quingenti. Philoxenus autem Græcus, quia Siculus. Suetonius & Strabo. Poſtea verò dictator idem Cæſar transpadanos omnes, ut ait Dio, civitate donavit. IDEM.

3. *Aviano*] De quo infrà, 75, & 79.

Digitized by Google

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

36 CUM Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem à Cæsare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Cúmque propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, [1] tabulam, in qua nomina civitate donatorum incisa essent, [2] revelli jussisset: eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse quod de Mega vereretur, beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes: cæterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat meam commendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale.

ARG. Demetrium Megam in jure civitatis commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Tabulam*] Æneam. MANUT.
2. *Revelli*] Ne valeret. IDEM.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

37 HIPPIAM, Philoxeni filium, [1] Calactinum, hospitem & necessarium meum, tibi commendo in majorem modum. Ejus bona, quemadmodum ad me delata res est, [2] publicè possidentur alieno nomine, contra leges Calactinorum. Id si ita est, etiam sine mea commendatione ab æquitate tuâ res ipsa impetrare debet, ut ei subvenias. Quoquo modo autem se res habet, peto à te, ut honoris mei causâ eum expedias, tantúmque ei commodes & in hac re, & in cæteris, quantum tua fides dignitásque patietur. Id mihi vehementer gratum erit. Vale.

M. T. C.

ARG. Commendat Hippiam in liberatione bonorum. *Anno* U. C. 707.

1. *Calactinum*] Calacta est oppidum Siciliæ ultra Alæsam. In secunda Verrina *Calatini* malè scribi pro *Calactini*, docet Cluv. de Sicil. antiq. II. 3. GRÆV.

2. *Publicè possidentur*] Legem apud Calactinos fuisse crediderim, quæ vetaret, ne quidquam publicè, nisi publico nomine possideretur. Hippiæ autem bona alieno nomine, putà cujuspiam absentis, vel pupilli, publicè possidebantur. MANUT.

Digitized by Google

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

LUCIUS Bruttius, eques Romanus, adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, méque observat diligentissimè: cujus cum patre magna mihi fuit amicitia jam inde à quæstura mea Siciliensi. Omninò nunc ipse Bruttius Romæ mecum est: sed tamen domum ejus, & rem familiarem, & procuratores tibi sic commendo, ut majore studio commendare non possim. Gratissimum mihi feceris, si curaris, ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi, hanc meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. Vale. 38

ARG. Bruttii negotia procuratorésque commendat. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CUM familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentiâ atque officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii putet esse. Quapropter eum tibi commendo majorem in modum: & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adjumento fuisse. Erit mihi vehementer gratum. Vale. 39

ARG. Titurnium Rufum commendat. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. Q. ANCHARIO Q. F. PROC. S. P. D.

LUCIUM & C. Aurelios, L. filios, quibus & ipsis, & patre eorum, viro optimo, familiarissimè utor, commendo tibi majorem in modum, adolescentes omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios, tuâ amicitiâ dignissimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, [1] quod scio multas plurimum valuis- 40

ARG. Aurelios fratres proconsuli Macedoniæ commendat. *Anno incerto.*

1. *Quod scio multas*] Potest legi *quas scio*: potest & τὸ *plurimum* deleri. Potest & *quod* accipi supervacuum, ut in *quod nisi*, *quod si*, *quod utinam*. J. F. GRONOV.

valuisse, hæc ut valeat rogo. Quòd si eos honorificè liberalitérque tractaris: & tibi gratissimos, optimósque adolescentes adjunxeris, & mihi gratissimum feceris. Vale.

M. T. C. L. CULLEOLO S. P. D.

41 QUÆ fecisti L. Lucceii causâ, scire te planè volo, te homini gratissimo commodasse: & cùm ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescunque me videt, (videt autem sæpe) gratias tibi agit singulares. Addo etiam illud, quod tibi jucundissimum esse certò scio, me ipsum ex tua erga Lucceium benignitate, maximâ voluptate affici. Quod superest, quanquam mihi non est dubium, quin cùm antea nostrâ causâ, nunc jam etiam tuæ constantiæ gratiâ, mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ initio ostendisti, deincépsque fecisti, ad exitum augeri & cumulari per te velis. Id & Lucceio & Pompeio valde gratum fore, téque apud eos præclarè positurum confirmo, & spondeo. De republica, déque his negotiis, cogitationibúsque nostris perscripseram ad te diligenter paucis antè diebus, eásque literas dederam pueris tuis. Vale.

ARG. Gratias agit & suo & Pompeii nomine pro Culleoli erga Lucceium benignitate: eundémque denuò commendat. *Anno incerto.*

M. T. C. L. CULLEOLO PROC. S. P. D.

42 LUCIUS Lucceius meus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cùm diceret, omnia te cumulatissimè & liberalissimè procuratoribus suis pollicitum esse. Cùm oratio tua tam ei grata fuerit, quàm gratam rem ipsam existimas fore, cùm, ut spero, quæ pollicitus es, feceris? Omninò ostenderunt [1] Bulliones, sese Lucceio Pompeii arbitratu satisfactu-

ARG. Eundem Lucceium commendat Culleolo. *Anno incerto.*

1. *Bulliones*] Sic omnes libri veteres, pro *Byllienes* : interdum tamen Græca litera *Y* servatur, ut in *Pyrrhus*, *Phryges*: quod Cicero, contra veterem consuetudinem, probat in libro de perfecto oratore. Populi sunt supra Epidamnum, à Byllide, sive

Digitized by Google

tisfacturos. Sed vehementer opus est nobis, & voluntatem, & auctoritatem, & imperium tuum accedere. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Illúdque mihi gratissimum est, quòd ita sciunt Lucceii procuratores, & ita Lucceius ipse ex literis tuis, quas ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem aut gratiam valere plus, quàm meam. Id ut re experiatur, iterum & sæpiùs te rogo. Vale.

sive Bullide urbe, quæ est in Illyrico. Dicuntur Bullienses, *in Pison.* 40. ubi F. Ursinus rescribebat *Bullidenses*, ex Bullide, seu Byllide, quæ memoratur *Phil.* XI. 11.

M. T. C. QUINTIO [1] GALLO S. P. D.

ETSI plurimis rebus spero fore ut perspiciam, quod tamen 43
jampridem perspicio, me à te amari, tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facilè declarare possis tuam erga me benevolentiam. L. Oppius, Marci filius, [2] Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. Eum tibi unicè commendo: eóque magis, quòd cùm ipsum diligo, tum quòd negotia procurat L. Egnatii Rufi, quo ego uno equite Romano familiarissimè utor, & qui cùm consuetudine quotidianâ, tum officiis plurimis, maximísque mihi conjunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, æquè à te peto, ac si mea negotia essent. Velim memoriæ tuæ causâ des [3] literarum aliquid, quæ tibi in provincia reddantur: sed ita conscribas, ut tum, cùm eas leges, facilè recordari possis hujus meæ commendationis diligentiam. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ARG. Oppium Gallo commendat, Egnatii negotia procurantem. *Anno incerto.*

1. *Gallo*] Victorius, *Gallio.*

2. *Philomeli*] Philomelium oppidum magnæ Phrygiæ. Sup. lib. III. epist. 8.

3. *Literarum aliquid*] Aut nondum ingressus fuit provinciam, ad quam se parabat: aut è provincia literas jubetur mittere, quæ polliceantur quod Oppius petiturus erat. CELLARIUS.

Digitized by Google

CICERO GALLO S.

44 ETsi ex tuis, & ex L. Oppii, familiarissimi, literis cognovi, te memorem commendationis meæ fuisse, idque pro tua summa erga me benevolentia, próque nostra necessitudine minimè sum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium præsentem, & L. Egnatii, mei familiarissimi, absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritásque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me à te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo. Vale.

ARG. Eundem Oppium eidem Gallo commendat, unà cum Egnatii negotiis. *Anno incerto.*

M. T. C. APULEIO PROQUÆSTORI S. P. D.

45 LUcio Egnatio uno, equite Romano, vel familiarissimè utor. Ejus Anchialum servum, negotiáque, quæ habet in Asia, tibi commendo non minore studio, quàm si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi cum eo non modò quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna, & mutua nostra inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam à te peto, ut cures, ut intelligat me ad te satis diligenter scripsisse. Nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

ARG. Egnatii servum & negotia Apuleio, proquæstori Asiæ, commendat. *Anno incerto.*

M. T. C. APULEIO PROQUÆSTORI S. P. D.

46 LUcius Nostius Zoilus, est coheres meus: heres autem patroni sui. Ea re utrumque scripsi, ut & mihi cum illo causam amicitiæ scires esse, & hominem probum existimares, qui

ARG. Nostium coheredem commendat. *Anno incerto.*

Digitized by Google

qui patroni judicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris ut intelligat, hanc commendationem sibi apud te magno adjumento fuisse. Vale.

M. T. CICERO SILIO S. P. D.

QUID ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? 47
Sed tamen ut scires eum à me non diligi solùm, verùm etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat & se à me, & me à te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. [1] Illa nostra scilicet ceciderunt. Utamur igitur vulgari consolatione. Quid, si melius hoc? Sed hæc coràm. Tu fac, quod facis, ut me ames, téque amari à me scias. Vale.

ARG. Egnatium, communem amicum, commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Illa nostra scilicet ceciderunt*] Abierunt illa tempora, cùm & dignitate, & honoribus, & hominum amplissimorum amicitiis in rep. florebamus. Consolemur igitur nos, non exquisitâ aliquâ ratione, sed quo modo solet vulgus: cujus hæc ferè in adversis rebus est sententia: *Quid, si hoc melius?* MANUT.

M. T. C. C. SEXTILIO RUFO, QUÆST. S. P. D.

OMNES tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios: 48
quibus tu quæcunque commodaris, erunt mihi gratissima. Eòque facio libentiùs, ut eos tibi commendem, quòd & tuæ laudi, cujus ego fautor sum, conducere arbitror, cùm primus in eam insulam quæstor veneris, ea te instituere, quæ sequantur alii: quæ, ut spero, faciliùs consequêre, si & P. Lentuli, necessarii tui, legem, & ea, quæ [1] à me constituta sunt, sequi volueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

ARG. Ciliciæ quæstori omnes Cyprios, & in primis Paphios commendat. *Anno* U. C. 698.

1. *A me*] Tunc Procos. in Cilicia, quam qui obtinebat, Cyprum etiam obtinebat. Epist. 6. lib. I. CORRAD.

CICERO CURIO PROCOS. S. P. D.

49 QUINTUS Pompeius, Sexti filius, multis & veteribus caussis necessitudinis mihi conjunctus est. Is, cùm antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatem suam tueri consueverit, nunc profectò, te provinciam obtinente, meis literis assequi debet, ut nemini se intelligat commendatiorem unquam fuisse. Quamobrem à te majorem in modum peto, ut, cùm omnes meos æquè ac tuos observare pro nostra necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usui aut ornamento, quàm meam commendationem, esse potuisse. Vale.

ARG. Q. Pompeium ita proconsuli Curio (cujus est lib. VII. epist. 29.) commendat, ut quasi propter familiaritatem postulet. *Anno incerto.*

M. T. CICERO [1] AUCTO PROCOS. S. D.

50 SUMPSI hoc mihi pro tua in me observantia, quam penitus perspexi, quamdiu [2] Brundusii fuimus, ut ad te familiariter & quasi pro meo jure scriberem, si quæ res esset, de qua valde laborarem. M'. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea: quódque maximum est, summus inter nos amor & mutuus. Quæ cùm ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes: si ea, quæ in me officia & studia Brundusii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima: si me à tuis omnibus amari vides: hoc mihi da, atque largire, ut M'. Curium, sartum & tectum, ut aiunt, ab omníque incommodo, detrimento, molestiâ sincerum integrúmque

ARG. M'. Curium commendat, ut ab omni incommodo, detrimento & molestia integrum conservet. *Anno* U. C. 709.

1. *Aucto*] Al. *Aristo.* Etsi neutrum nomen memini me apud scriptores frequenter legere, facilè tamen adducor, ut credam hunc Servii Sulpitii in Achaia successorem fuisse. CORRAD.

2. *Brundusii fuimus*] Post victam Pompeium. Sic enim existimo. IDEM.

Digitized by Google

que conserves. Et ipse spondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, [3] ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, summámque voluptatem esse capturum. Vale.

3. *Ex mea amicitia*] H. Stephanus non malè legit, *ex ea amicitia*. GRÆV.

M. T. CICERO P. CÆSIO S. D.

PUBLIUM Messienum, equitem Romanum, omnibus re- 51
bus ornatum, meúmque perfamiliarem, tibi commendo eâ commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto à te, & pro nostra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejúsque rem, famámque tueare. Virum bonum, tuáque amicitiâ dignum tibi adjunxeris, mihíque gratissimum feceris. Vale.

ARG. P. Messienum commendat Cæsio. *Anno incerto.*

CICERO [1] REGI S. D.

AULUS Licinius [2] Aristoteles Melitensis, antiquissimus est 52
hospes meus, & præterea conjunctus magno usu familiaritatis. Hæc cùm ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimùm apud te valere. Hunc ego à Cæsare [3] liberavi. Frequens enim fuerat nobiscum, atque etiam diutiùs in causa est, quàm nos, commoratus: quo [4] meliùs te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat has sibi literas plurimùm profuisse. Vale.

CICE-

ARG. Hospitem suum, Licinium Aristotelem, commendat. *Anno incerto.*

1. *Regi*] Cognomen gentis Marciæ: ut è Sallustio, Valerio, Suetonio constat, addito etiam testimonio Ciceronis epist. 14. ad Att. lib. I. & Plutarchi in vita Ciceronis. Absurdè nonnulli putant hunc esse Dejotarum regem: cùm tamen, *Dejotaro regi*, non sit in titulo, sed tantùm *Regi*. Præterea inepta familiaritas illa esset in iis verbis, quæ infrà: *Fac igitur, mi Rex*, &c. MANUT.

2. *Aristoteles*] Græcus genere, Romano nomine, forsan & civitate, donatus: Melitensis, à Melita insula. CELLAR.

3. *Liberavi*] Veniâ impetratâ. MANUT.

4. *Meliùs*] His verbis adducor, ut suspicer, in causa Pompeii Regem fuisse. IDEM.

Digitized by Google

CICERO THERMO PROPR. S. D.

53 LUCIO Genucilio Curvo jam pridem utor familiarissimè, optimo viro, & homine gratissimo. Eum tibi penitus commendo, atque trado. Primùm, ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua dignitásque patietur: patietur autem in omnibus: nihil enim abs te unquam, quod sit alienum tuis, aut etiam suis moribus, postulabit. Præcipuè autem tibi commendo negotia ejus, quæ sunt in Hellesponto: primùm, ut obtineat id juris in agris, quod ei [1] Pariana civitas decrevit, & dedit, & quod semper obtinuit sine ulla controversia: deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversiæ, ut in illam [2] διοίκησιν rejicias. Sed non mihi videor, cùm tibi totum hominem diligentissimè commendarim, singulas ad te ejus causas perscribere debere. Summa illa sit: quidquid officii, beneficii, honoris in Genucilium contuleris, id te existimabo in me ipsum, atque in rem meam contulisse.

ARG. Curvum in omnibus rebus, præcipuè in Hellespontiis negotiis commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Pariana civitas*] Parion civitas in Hellesponto. Plinius, &c. MANUT.
2. *Διοίκησιν*] Jurisdictionem.

M. T. CICERO THERMO PROPR. S. D.

54 CUM multa mihi grata sunt, quæ tu adductus meâ commendatione fecisti, tum in primis, quòd M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium, liberalissimè tractavisti. Venit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihíque propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum est, à te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eò libentiùs his commodes, operámque des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego cùm anteà studiosè commendabam Marcilium, tum multò nunc studiosiùs, quòd [1] in longa

ARG. Gratias agit, quòd liberaliter tractasset Marcilium: deinde petit, ne socrus ejus rea fiat. *Anno* U. C. 703.

1. *In longa apparitione*] In suo munere multorum mensium. Nam Laodiceam primùm venit prid. Kal. Sex. eodem rediit ineunte mense Februario, ut conjicere licet ex epist. 21. ad Att. lib. V. mansit usque

Digitized by Google

ga [2] apparitione, singularem & propè incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiámque cognovi. Vale.

que ad Idus Maii, ut ex eadem constat. Ad eum igitur, cùm esset iterum Laodiceæ, Marcilius adolescens venit. Ex quo de anno epistolæ conjecturam fecimus. MANUT.

2. *Apparitione*] Omnes, qui apparebant, id est, præibant magistratibus, *apparitores* dicebantur: & *apparitio* munus ipsum. *Apparitores* autem erant scribæ, interpretes, accensi, præcones, lictores, viatores, statores, & hujus generis alii. Quos omnes ut libertos fuisse putem, multis adducor exemplis. IDEM.

M. T. CICERO THERMO PROPR. S. D.

ETSI mihi videor intellexisse, cùm tecum [1] Ephesi de re 55
M. Anneii, legati mei, locutus sum, te ipsius causâ vehementer omnia velle; tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius intersit: & me à te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. Nam cùm jam diù diligerem M. Anneium, déque eo sic existimarem, ut res declarat, quòd ultrò ei detulerim legationem, cùm multis petentibus denegassem: tum verò, postea quàm mecum in bello atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantámque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum [2] Sardianis habere controversiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quam tu tamen coràm faciliùs meliúsque cognosces. De reliquo mihi, mehercule, diù dubium fuit, quid ad te potissimùm scriberem. Jus enim quemadmodum dicas, clarum & magna cum tua laude notum est. Nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te jus instituto tuo dicere. Sed tamen, cùm me non fugiat quanta sit in prætore auctoritas, præsertim istâ integritate, gravitate, clementiâ, quâ te esse inter omnes constat: peto abs te pro nostra conjunctissima necessitudine, plurimísque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te & sibi amicum esse, quod non dubi-

ARG. Anneium commendat, legatum suum, præcipuè in causa Sardiana. *Anno* U. C. 701.

1. *Ephesi*] Quo veni ad xi. Kal. Sext. in Ciliciam proficiscens. CORRAD.

2. *Sardianis*] Sardes Lydiæ civitas, de qua Plinius, libro V. editionis Hard. novissimæ Tom. I. pag. 277.

Digitized by Google

tat: (sæpe enim mecum locutus est) & multò amiciorem his meis literis esse factum. In tuo toto imperio, atque provincia, nihil est quod mihi gratius facere possis. Jam, apud ipsum gratissimum hominem atque optimum virum, quàm bene positurus sis studium tuum atque officium, dubitare te non existimo. Vale.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

56 CLUVIUS Puteolanus valde me observat, valdéque est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet, quod in tua provincia negotii habet, nisi te provinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id se in perditis & desperatis habiturum. Nunc, quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis; ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. [1] Mylasii & Alabandenses pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cùm Ephesi essem, se curaturum, ut [2] ecdici Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est. Legatos audio missos esse, sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Quare peto à te, ut & eos, & Alabandenses jubeas ecdicos Romam mittere. Præterea Philotes Alabandensis [3] ὑποθήκας Cluvio dedit. Hæ [4] commissæ sunt.

ARG. Negotia Cluvii Puteolani commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Mylasii*] Victorius Græcam declinationem secutus, scripsit *Mylaseis*, & *Alabandeis*. *Mylasa* & *Alabanda* sunt Cariæ urbes in Asia minore. Vide Plin. lib. V. cap. 28. & 29. VICTOR.

2. *Ecdici*] *Ecdicus* Justiniano defensor civitatis appellatur, vindex reipublicæ, qui in primis publicas pecunias curabant & persequebantur. Aliter dicitur Syndicus. Plin. lib. x. epist. 111. *Ecdicus nomine Amisenorum civitatis petebat apud me à Julio Pisone denariorum circiter* 40. *millia donata ei publicè ante annos viginti, & Bule, & Ecclesiâ consentiente.* Dicebantur & *cognitores.* Glossæ; *Cognitor*, ἔκδικος. De quo Gronov. lib. IV. de Pec. vet. c. 3. GRÆV.

3. Ὑποθήκας] *Hypotheca* propriè est pignus quodvis, quod debiti causâ creditori obligatur: sed strictiùs Latinis hypotheca dicitur, quod non traditur in manus creditori, sed subjicitur ejus potestati & juri, possessione penes debitorem remanente: contra pignus possidendum traditur creditori. Hinc *dare hypothecas* est res immobiles creditori obligare, ut multis docet Cl. Salmas. de modo Usurarum, cap. 12. IDEM.

4. *Hæ commissæ sunt*] Hoc est, possessiones, quoniam ad diem solutum debitum non est, venerunt in potestatem creditoris, ut illas possit vendere. *Hypothecæ* enim *committi* dicuntur, quæ cessante solutione debiti, creditoris fiunt. Sic *merces commissæ* dicebantur, quas apud publicanum non professi erant, & hanc ob causam amittebantur. Vide Salmasium de modo Usurarum, cap. 14. IDEM.

Digitized by Google

sunt. Velim cures, ut aut [5] de hypothecis decedat, eásque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam solvat. Præterea [6] Heracleotæ, & Bargyletæ, qui item debent, aut pecuniam solvant, aut fructibus suis satisfaciant. [7] Caunii præterea debent, sed aiunt se depositam pecuniam habuisse. Id velim cognoscas, &, si intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto depositam habuisse, des operam, ut usuræ Cluvio, instituto tuo conserventur. His de rebus eò magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeii etiam, nostri necessarii, & quòd is magis etiam mihi laborare videtur, quàm ipse Cluvius: cui satisfactum esse à nobis valde volo. His de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

5. *De hypothecis decedat*] Hoc est, possessiones oppigneratas quoniam non solvit, creditori vendendas tradat. GRÆV.
6. *Heracleotæ & Bargyletæ*] Heraclea & Bargylos civitates sunt Cariæ. IDEM.
7. *Caunii præterea debent*] Caunus est Cariæ oppidum, valetudine habitantium infame, ut Mela ait lib. I. cap. 16. IDEM.

CICERO THERMO PROPR. S.

QUo magis quotidie ex literis nuntiisque [1] bellum magnum esse in Syria cognosco, eò vehementiùs à te pro nostra necessitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. Nam ejus operâ, consilio, scientiâ rei militaris, vel maximè intelligo me & rempublicam adjuvari posse. Quòd nisi tanta res ejus ageretur, nec ipse adduci potuisset ut à me discederet, neque ego, ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Mai. Ante eam diem Anneius ad me redeat, oportet. Illud quod tecum & coràm, & per literas diligentissimè egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curæ tibi sit ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ veritate & pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cùm tecum Ephesi locutus sum, te ipsius M. Anneii causâ omnia velle. Sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quàm si intellexero, per 57

ARG. Petit, ut Anneium, legatum suum, remittat, ejusque causam Sardianam commendat. *Anno* U. C. 703.
1. *Bellum*] Parthicum. *Att.* VI. 3. & 4.

Digitized by Google

per te illum ipsum negotium ex sententia confecisse. Idque quàm primùm ut efficias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. C. TITIO L. F. RUFO, PRÆT. URBANO S.

58 LUCIUS Custidius est tribulis, & municeps, & familiaris meus. Is causam habet: quam causam ad te deferet. Commendo tibi hominem, sicuti tua fides & meus pudor postulat: tantùm ut faciles ad te aditus habeat: quæ æqua postulabit, ut libente te impetret: sentiátque meam sibi amicitiam, etiam cùm longissimè absim, prodesse in primis apud te. Vale.

ARG. Ex provincia Custidium, municipem suum commendat. *Anno* U. C. 703.]

M. T. C. C. CURTIO PEDUCÆANO, PRÆT. S. D.

59 MARCUM Fabium unicè diligo, summáque mihi cum eo consuetudo & familiaritas est pervetus. In ejus controversiis quid decernas, à te non peto, ([1] servabis, ut tua fides & dignitas postulat, edictum, & institutum tuum) sed ut quàm facillimos ad te aditus habeat: quæ erunt æqua, libente te impetret: ut meam amicitiam sibi, etiam cùm procul absim, prosse sentiat, præsertim apud te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ARG. Commendat M. Fabium Curtio prætori. *Anno* U. C. 703.

1. *Servabis edictum & institutum tuum*] Nihil facies aliter atque edixisti, & adhuc solitus es. Solebant autem Prætores & in urbe publicè proponere, & provinciales, antequam in provinciam venirent, præmittere edictum de summis capitibus jurisdictionis. Superiùs VI, 9. ad Att. V, 21. *Pessumne contra meum edictum?* Erat C. Curtius Peducæanus Prætor peregrinus, cùm C. Titius Ruffus Prætor urbanus esset. GRON.

M. T. C. MUNATIO C. F. S. D.

60 LUCIUS Livineius Trypho est omninò L. Reguli, familiarissimi mei, libertus, cujus calamitas etiam officiosiorem me facit in illum. Nam benevolentior, quàm semper fui, esse

ARG. Commendat Livineium Reguli libertum. *Anno incerto.*

esse non possum. Sed ego libertum ejus per se ipsum diligo: summa enim ejus erga me officia extiterunt his nostris [1] temporibus, quibus facillimè bonam benevolentiam hominum & fidem perspicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati & memores bene meritos de se commendare debent. Pergratum mihi feceris, si ille intellexerit, se, quòd pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hieme summâ navigarit, pro tua erga me benevolentia gratum etiam tibi fecisse. Vale.

1. *Temporibus*] Cùm exularet. Vide ep. 17. ad Att. lib. III. MANUTIUS.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

TITO Pinnio familiarissimè me usum esse, scire te arbitror, 61
quod quidem ille testamento declaravit, qui me cùm tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. Ejus filio mirè [1] studioso, & erudito, & modesto, pecuniam Nicæenses grandem debent, ad HS octogies: &, ut audio, in primis volunt ei solvere. Pergratum igitur mihi feceris, quando non modò reliqui tutores, qui sciunt quanti me facias, sed eitam puer ipse sibi persuasit, te omnia meâ causâ facturum esse, si dederis operam, quoad tua fides dignitásque patietur, ut quàm plurimum pecuniæ Pinnio solvatur Nicæensium nomine. Vale.

ARG. Commendat Pinnium Bithyniæ proprætori in exigenda pecunia, quam ei Nicæenses debebant. *Anno* U. C. 702.

1. *Studioso*] Nota dictum simpliciter.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

ET in Atilii negotio te amavi: cùm enim serò [1] venissem, 62
tamen honestum equitem Romanum beneficio tuo conservavi: & mehercule semper sic in animo habuit, [2] te in meo ære esse propter [3] Lamiæ nostri conjunctionem, & singularem ne-

 cessitu-

ARG. De Atilio gratias agit: suum fratrem commendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Venissem*] In provinciam. MANUT.

2. *Te in meo ære esse*] Meum esse. Ductâ similitudine à nummorum possessione. Ep. 14. lib. XV. *Multi sunt anni, cùm ille in ære meo est.* IDEM.

3. *Lamiæ*] L. Lamiæ, de quo vide epist. 16. lib. XI. & epist. 29. lib. XII. IDEM.

cessitudinem. Itaque primùm tibi ago gratias, quòd me omni molestiâ liberas: deinde [4] impudentiâ prosequor, sed idem [5] sarciam. Te enim semper sic colam, & tuebor, ut quem diligentissimè. Quintum fratrem meum, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.

4. *Impudentiâ prosequor*] Quia tibi alios quoque commendo, ut Q. fratrem. MAN.
5. *Sarciam*] Remunerabor officia tua. IDEM.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. P. D.

63 NON putavi fieri posse, ut mihi verba deessent: sed tamen in C. Lænio commendando desunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis, sed tamen ut planè perspicere possis voluntatem meam. Incredibile est, quanti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi carissimus est, M. Lænium. Id fit cùm plurimis ejus officiis, tum summâ probitate, & singulari modestiâ. Eum ego à me invitissimus dimisi, cùm propter familiaritatem & consuetudinis suavitatem, tum quòd consilio ejus fideli ac bono libenter utebar. Sed vereor, ne jam mihi superesse verba putes, quæ dixeram defutura. Commendo tibi hominem, sicut intelligis, me, de quo ea suprà scripserim, debere commendare: à téque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum esse, ipsi dicas. Hominem facillimum, liberalissimúmque cognosces. Itaque te rogo, ut eum solutum, liberum, confectis ejus negotiis per te, quàm primùm ad me remittas. Id mihi, fratríque meo gratissimum feceris. Vale.

ARG. C. Lænium diligentissimè commendat. *Anno* U. C. 702.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

64 NERO [1] meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret,

ARG. Ti. Nerone suo honorificè tractato, gratias agit Silio, eúmque magis & vehementiùs commendat. *Anno* U. C. 702.

1. Nero

Digitized by Google

ceret, qui à te prætermiſſus eſſet. Magnum fructum ex ipſo capies: nihil eſt enim illo adoleſcente gratius. Sed mehercule mihi quoque gratiſſimum feciſti. Pluris enim ex omni [2] nobilitate neminem facio. Itaque, ſi ea feceris, quæ ille per me tecum agi voluit, gratiſſimum mihi feceris. Primùm de Pauſania Alabandenſi, ſuſtentes rem, dum Nero veniat. Vehementer ejus causâ cupere eum intellexi. Itaque hoc valde te rogo. Deinde Nyſæos, quos Nero in primis habet neceſſarios, diligentiſſiméque tuetur ac defendit, habeas tibi commendatiſſimos: ut intelligat illa civitas, ſibi in Neronis patrocinio ſummum eſſe præſidium. Strabonem Servilium tibi ſæpe commendavi: nunc eò facio id impenſiùs, quòd ejus cauſam Nero ſuſcepit. Tantùm à te petimus, ut agas eam rem, nec relinquas hominem innocentem ad alicujus tui diſſimilis quæſtum. Id cùm gratum mihi erit, tum etiam exiſtimabo, te humanitate tuâ eſſe uſum. Summa hujus epiſtolæ hæc eſt, ut ornes omnibus rebus Neronem, ſicut inſtituiſti, atque feciſti. [3] Magnum theatrum habet iſta provincia, non ut hæc noſtra, adoleſcentis nobilis, ingenioſi, abſtinentis commendationem atque gloriam. Quare ſi te fautore uſus erit, ſicuti profectò & utetur, & uſus eſt, ampliſſimas clientelas acceptas à majoribus confirmare poterit, & beneficiis ſuis obligare.

1. *Nero meus*] Non vulgarem benevolentiæ ſignificationem habet pronomen *meus*. Hic eſt T. Claudius Nero, cujus uxorem Liviam Druſillam Auguſtus poſtea prægnantem abduxit. Matrimonium Tulliæ, Ciceronis filiæ, hoc ipſo tempore videtur expetiiſſe: nec recuſavit Cicero, ſed, quos homines ea de re ad uxorem & filiam miſerat, ii Romam venerunt factis cum Dolabella ſponſalibus, ep. 6. lib. VI. ad Att. Quæſtor fuit C. Cæſaris Alexandrino bello: pontifex in locum P. Scipionis ſubſtitutus: Colonias Narbonam & Arelate duxit: occiſo Cæſare, de præmiis tyrannicidarum referendum cenſuit: præturam geſſit: Antonios in diſſenſione civili ſecutus eſt: poſtremò pace factâ, in urbem reverſus, uxorem ſuam Liviam, antè jam Tiberium, qui poſtea imperator fuit, enixam, petenti Auguſto conceſſit: nec multo pòſt è vita ceſſit. *Nero* Sabinum vocabulum eſt, pro, fortis ac ſtrenuus: ut ait Suetonius. MANUT.

2. *Nobilitate*] Nerones Claudii, & Pulchri, patricii; Marcelli verò plebeii. Sed nobilitas non à genere patricio, (multi enim patricii nullos geſſere, aut malè geſſere magiſtratus: itaque nobiles non fuere) ſed à parentum aut majorum virtute ſumitur, unde plebeii multi nobiles. IDEM.

3. *Magnum theatrum*] Plus ex iſta provincia petit Tiberius, quàm ex noſtra, magíſque in illa conſpicietur, quàm hìc, ubi aſſecutus eſt ſanè quæ poteſt adoleſcens. Vel, valde conſpectum te facit & illuſtri loco ponit hæc provincia: vel, quàm celſus & potens es, cùm adoleſcens ſummo genere natus, ingenio florentiſſimo, ſanctis & priſcis moribus in tua provincia peregrinatur, & per te producitur atque oſtentatur, dignâ ipſo gloriâ, apud avitos familiæ clientes: ut 12, 29. J. F. GRONOV.

Digitized by Google

gare. Hoc in genere ſi eum adjuveris eo ſtudio, quo oſtendiſti, apud ipſum præclariſſimè poſueris: ſed mihi etiam gratiſſimum feceris. Vale.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

65 CUM P. Terentio Hiſpone, qui [1] operas in ſcriptura pro magiſtro dat, mihi ſumma familiaritas conſuetudóque eſt, multáque & magna inter nos officia paria & mutua intercedunt. Ejus ſumma exiſtimatio agitur in eo, ut [2] pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. Non me præterit, nos eam rem Epheſi expertos eſſe, neque ab Epheſiis ullo modo impetrare potuiſſe. Sed cùm, quemadmodum omnes exiſtimant, & ego intelligo, tuâ cùm ſummâ integritate, tum ſingulari humanitate & manſuetudine conſecutus es, ut libentiſſimis Græcis, nutu, quod velis, conſequare: peto à te majorem in modum, ut honoris mei causâ, hac laude Hiſponem affici velis. Præterea cum ſociis ſcripturæ mihi ſumma neceſſitudo eſt, non ſolùm ob eam cauſam, quòd ea ſocietas univerſa in mea fide eſt, ſed etiam quòd pleriſque ſociis utor familiariſſimè. Ita & Hiſponem meum per me ornâris, & ſocietatem mihi conjunctiorem feceris: túque ipſe & ex hujus obſervantia, gratiſſimi hominis, & ex ſociorum gratia, hominum ampliſſimorum, maximum fructum capies, & me ſummo beneficio affeceris. Sic enim velim exiſtimes, ex tota tua provincia, omníque iſto imperio, nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis. Vale.

ARG. Hiſponem commendat, ut pactiones cum civitatibus pro publicanis conficiat. *Anno* U. C. 702.

1. *Operas in ſcriptura*] Negotia publicanorum curat. Eodem ſenſu dixit epiſt. 9. *Eſt in operis ſocietatis. Scriptura* verò eſt ratio tota publicanorum, qui vel decumas, vel portoria, vel paſcua redimunt. MANUT.

2. *Pactiones*] Pro pecunia publicanis debita. Nam inter ſociorum civitates & publicanos Romanos controverſia ferè ſemper oriebatur in exactione vectigalium. IDEM.

M. T. C. P. SERVILIO, PROPR. S. D.

66 AULUM Cæcinam, maximè proprium clientem familiæ veſtræ, non commendarem tibi, cùm ſcirem, quâ fide in tuos,

ARG. Cæcinam in colligendis Aſiaticæ negotiationis reliquiis commendat. *An.* U.C. 707.

Digitized by Google

tuos, quâ clementiâ in calamitosos soleres esse: nisi me & patris ejus, quo sum familiarissimè usus, memoria, & [1] hujus fortuna ita moveret, ut hominis omnibus mecum studiis officiisque conjunctissimi, movere debebat. A te hoc omni contentione peto, sic ut majore curâ, majore animi labore petere non possim, ut ad ea, quæ tuâ sponte sine cujusquam commendatione faceres in hominem tantum & talem, calamitosum, aliquem afferant cumulum meæ literæ, quo studiosiùs eum, quibuscunque rebus possis, juves. Quòd si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinæ essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti. De qua tamen magnam spem habemus, freti clementiâ [2] collegæ tui. Nunc, cùm tuam justitiam secutus, tutissimum sibi portum provinciam istam esse duxit, etiam atque etiam te rogo atque oro, ut eum & [3] in reliquiis veteris negotiationis colligendis juves, & cæteris rebus tegas, atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

1. *Hujus fortuna*] Exulabat, quia Pompeianas partes secutus erat, & Cæsari præterea, scripto libro, maledixerat. Epist. 7. lib. VI. MANUT.

2. *Collegæ tui*] Cæsaris, qui secundum consulatum cum Servilio gessit. IDEM.

3. *In reliquiis*] Veram lectionem ostendunt libri veteres. In Palat. sex. & in Mentel. & in meo secundo scribitur rectè: *In reliquis veteris negotiationis colligendis. Reliqua* enim, ut notum, sunt quæ rationibus subductis debita solvenda remanent, ut & pensiones, ac vectigalia ad diem non soluta. CIC. XVI. ad Att. ep. 2. 3. In Pandect. *Reliqua vectigalis*, *reliqua conductionis*; & *reliquari* ac *reliquatores* de iis qui non ad diem solvunt vectigal, pensionem. GRÆV.

M. T. C. P. SERVILIO, PROPR. S. D.

EX provincia mea Ciliciensi, cui scis [1] τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiariùs usus, quàm 67
Androne, Artemonis filio, Laodicensi: eúmque habui in ea civitate cùm hospitem, tum vehementer ad meæ vitæ rationem & consuetudinem accommodatum. Quem quidem multò etiam pluris, posteaquam decessi, facere cœpi, quòd multis rebus expertus sum gratum hominem, meíque memorem. Itaque eum Romæ libentissimè vidi. Non enim te fugit, qui plurimis in ista provin-

ARG. Commendat Andronem Laodicensem. *Anno* U. C. 707.

1. Τρεῖς διοικήσεις] Tres jurisdictiones. Eæ fuere, Laodicea, Cibyra, Apamæa. MAN.

provincia benignè fecisti, quàm multi grati reperiantur. Hæc propterea scripsi, ut & me non sine causa laborare intelligeres, & tu ipse eum dignum hospitio tuo judicares. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis, quanti me facias; id est, si receperis eum in fidem tuam, & quibuscunque rebus honestè ac sine molestia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi erit vehementer gratum: ídque ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M.T.C.P. Servilio Isaurico, Proc. Collegæ S.D.

68 GRATÆ mihi vehementer tuæ literæ fuerunt, ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam nostræ necessitudinis, quâ mihi nihil poterat esse jucundius. Quod reliquum est, multò etiam erit gratius, si ad me de republica, id est, de statu provinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. Quæ, quanquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissimè ex tuis literis cognoscam. Ego ad te, de reipublicæ summa quid sentiam, non sæpe scribam, propter periculum ejusmodi literarum. Quid agatur autem, scribam sæpius. Sperare tamen videor, Cæsari, [1] collegæ nostro, fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam rempublicam, cujus consiliis magni referebat te interesse. Sed, si tibi utilius est, id est, gloriosius, Asiæ præesse, & istam partem reipublicæ malè affectam tueri, mihi quoque idem, quod tibi & laudi tuæ profuturum est, optatius debet esse. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio diligentiáque curabo: in primísque tuebor omni observantiâ clarissimum virum, patrem tuum: quod & pro vetustate necessitudinis, & pro beneficiis vestris, & pro dignitate ipsius facere debeo. Vale.

M. T.

Arg. Lætatur felici navigationis cursu: ut de provinciæ statu scribat, petit: officia sua promittit. *Anno* U. C. 707.

1. *Collegæ*] In auguratu. Quanquam enim pontifex maximus fuit, tamen etiam augur. *Philipp.* II. 33. Cellar.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. D.

CAIUS Curtius Mithres, eſt ille quidem, ut ſcis, libertus Poſtumi, familiariſſimi mei: ſed me colit, & obſervat æquè, atque illum ipſum patronum ſuum. Apud eum ſic Epheſi fui, quotieſcunque fui, tanquam domi meæ: multáque acciderunt, in quibus & benevolentiam ejus erga me experirer, & fidem. Itaque ſi quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Aſia opus eſt, ad hunc ſcribere conſuevi, hujus cùm operâ & fide, tum domo & re uti, tanquam meâ. Hæc ad te eò pluribus ſcripſi, ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitiosè, ſed ut pro homine intimo, ac mihi perneceſſario, ſcribere. Peto igitur à te, ut in ea controverſia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in cæteris rebus, quantùm fides tua patietur, quantúmque tuo commodo poteris, tantùm & honoris mei causâ commodes; etſi, ut ejus modeſtiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si & meâ commendatione, & ſuâ probitate aſſecutus erit, uti de ſe bene exiſtimes, omnia ſe adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem, habeáſque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quæ te velle, quǽque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudiosè diligentérque curabo. Vale. 69

ARG. C. Curtium, ut in fidem recipiatur, commendat. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. P. D.

QUIA non eſt obſcura tua in me benevolentia, ſic fit, ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnunquam in vulgus: ſed plerumque neceſſariis, ut hoc tempore. Nam cum T. Ampio Balbo mihi ſumma familiaritas, neceſſitudóque eſt. Ejus libertum, T. Ampium Menandrum, hominem [1] frugi & modeſtum, & patrono & nobis vehementer proba- 70

ARG. Balbi libertum Menandrum commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Frugi*] *Frugi & nequam*, opponuntur. Eſt autem propria laus in ſervo, & in liberto: ſed transfertur etiam ad ingenuos: & in rege quoque Dejotaro frugalitatem Cicero laudavit. Nam in oratione pro illo habita, *Omnes*, inquit, *ſunt in illo regiæ virtutes, ſed præcipuè ſingularis & admiranda frugalitas.* MANUTIUS.

Digitized by Google

probatum, tibi commendo majorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, si, quibuscunque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. D.

71 MULTOS tibi commendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuáque erga me benevolentia. Sed tamen, etsi omnium causâ, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius & comes meus fuit illo miserrimo tempore, & omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permisissem. Quare sic tibi eum commendo, ut unum de meis domesticis, & maximè necessariis. Pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem sibi magno usui atque adjumento fuisse. Vale.

ARG. Commendat T. Agusium, veterem amicum. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. D.

72 CÆRELLIÆ [1], necessariæ meæ, rem, nomina, possessiones Asiaticas commendavi tibi præsens in hortis tuis, quàm potui diligentissimè: túque mihi, pro tua consuetudine, próque tuis in me perpetuis maximísque officiis, omnia te facturum liberalissimè recepisti. Meminisse te id spero: scio enim solere. Sed tamen Cærelliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem provinciæ, multitudinemque negotiorum, etiam atque etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris

ARG. Cærelliæ negotia & procuratores commendat. *Anno* U. C. 707.

1. *Cærelliæ*] Hæc mulier, Philosophiæ dedita, valde Ciceronem observavit, ejúsque scripta libenter legit. Epist. 21, ad *Att.* lib. XIII. *Mirificè Cærellia, studio videlicet Philosophiæ flagrans, describit à tuis: istos ipsos de finibus habet.* Dio lib. XLVI. Caleni verba recitat, lascivam, ac libidinosam cum Cærellia consuetudinem Ciceroni exprobrantis. MAN.

Digitized by Google

ris te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulatè recepisse. Equidem existimo, habere te magnam facultatem (sed hoc est tui consilii & judicii) ex eo senatus-consulto, quod in heredes C. Vennonii factum est, Cærelliæ commodandi. Id senatus-consultum tu [2] interpretabere pro tua sapientia. Scio enim, ejus ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes, quibuscunque rebus Cærelliæ benignè feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

2. *Interpretabere*] Judicabis, an eam, quam ego arbitror, facultatem habeas ex eo S. C. Cærelliæ commodandi. IDEM.

M. T. C. Q. PHILIPPO, [1] PROCOS. S. D.

GRATULOR tibi, quòd ex provincia salvum te ad tuos 73
recepisti, incolumi famâ, & republicâ. [2] Quòd si Romæ: te vidissem, corámque gratias egissem, quòd tibi L. Egnatius, familiarissimus meus, absens, L. Oppius præsens, curæ fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi non solùm hospitium, verùm etiam summa familiaritas intercedit. Ei te vehementer succensuisse audivi, & molestè tuli. De re nihil possum judicare; nisi illud mihi certè persuadeo, te, talem virum, nihil temerè fecisse. A te autem, pro vetere nostra necessitudine, etiam atque etiam peto, ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimùm condones, nisi quid existimas in ea re violari existimationem tuam. Quod ego si arbitrarer, nunquam te rogarem: mihíque tua fama multo antiquior esset, quàm illa necessitudo

est.

ARG. Salvum ex provincia revertisse gratulatur: Egnatii & Oppii causâ gratias agit; & ut Antipatri filios sibi condonet, rogat. *Anno incerto.*

1. *Procos.*] Suspicor hoc verbum abundare, & additum ab aliquo, qui putavit, cùm in sequentis epistolæ inscriptione *Proconsul Philippus* vocetur, multò magis in hac, quæ ordine antecedit, vocari debere: cùm perversus (ut jam diximus) ordo sit, & illam, quæ sequitur, huic omninò præponendam esse constet. Quo modo enim proconsul appellari potest, cùm in urbem, deposito imperio, redierit? In urbe enim potiùs Philippum esse, quàm ad urbem, facilè credo: cùm dicat Cicero: *Quòd si Romæ te vidissem, coràm gratias egissem:* & quia qui ad urbem morabantur, triumphum expetebant: cujus rei nulla fit mentio in epistola: nec verò triumphavit unquam hic Q. Philippus. MANUT.

2. *Quòd si Romæ: te vidissem*] Ita Victorius. Sed Manut. & Lamb. *Quòd si Romæ te vidissem, coràm gratias,* &c. Grævius verò ex MSS. *Quòd si Romæ fuissem, te vidissem,* &c.

est. Sed mihi ita persuadeo, (potest fieri ut fallar) eam rem laudi tibi potiùs, quàm vituperationi fore. Quid fieri posset, & quid meâ causâ facere possis (nam quin velis, non dubito) velim, si tibi grave non erit, certiorem me facias. Vale.

M. T. C. Q. PHILIPPO, PROC. S. D.

74 ETSI non dubito, pro tua in me observantia, proque nostra necessitudine, quin commendationem meam memoriâ teneas, tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum præsentem, & L. Egnatii, familiarissimi mei, absentis, negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritásque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat me à te tantùm amari, quantùm ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes: ídque ut facias, te vehementer rogo. Vale.

ARG. Oppium præsentem, & Egnatii absentis negotia commendat. *Anno incerto.*

M. T. C. T. TITIO T. F. LEGATO S. D.

75 ETSI non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis valeat, tamen obsequor homini familiarissimo, C. Aviano Flacco: cujus causâ omnia cùm cupio, tum mehercule etiam debeo. De quo & præsens tecum egi diligenter, cùm tu mihi humanissimè respondisti, & scripsi ad te accuratè anteà: sed putat interesse sua, me ad te quàm sæpissimè scribere. Quare velim mihi ignoscas, si illius voluntati obtemperans, minùs videbor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quò deportet frumentum, & de tempore, Aviano commodes: quorum utrumque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius isti negotio præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curàris, ut Avianus, quando se à me amari putat, me à te amari sciat. Erit id mihi pergratum. Vale.

ARG. Avianum Flaccum commendat Titio legato. *Anno* U. C. 701.

Digitized by Google

M. T. C. [1] QUATUORVIRIS ET DECURIONIBUS S.D. 76

TANTÆ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse conjunctius, quàm nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, uterer meâ consuetudine, ut vobis nulla in re molestus essem. Etenim vos mihi optimi testes estis, cùm mihi persuasum esset, nihil esse, quod à vobis impetrare non possem, nunquam me tamen gravem vobis esse voluisse. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei causâ liberalissimè C. Valgium [2] Hippianum tractetis, rémque cum eo conficiatis, ut quam possessionem habet in agro Fregellano, à vobis emptam, eam liberam & immunem habere possit. Id si à vobis impetraro, summo me beneficio vestro affectum arbitrabor.

ARG. Petit C. Valgio emptæ possessionis in agro Fregellano immunitatem. *Eod. an.*

1. *Quatuorviris & decurionibus*] Fregellanis. Fregellæ, colonia fuit deducta, ut ostendit Velleius, anno urbis 424. Quatuorviri igitur non modò municipiis, verùm coloniis quoque præerant, item ut consules Romæ: quanquam & duumviri in plerisque coloniis, atque adeo in nonnullis municipiis fuere. Quod lib. I. de antiq. Ital. jure Carolus Sigon. egregiè docuit. MAN.

2. *Hippianum*] Hippii filium naturalem, adoptatum autem à C. Valgio, à quo prænomen & nomen accepit. IDEM.

M. T. C. [1] P. SULPICIO IMP. S. D.

CUM his temporibus non sanè in senatum ventitarem, ta- 77
men, ut tuas literas legi, non existimavi, me salvo jure nostræ

ARG. Officio suo in supplicatione decernenda narrato, commendat M. Bolanum, & servum fugitivum restitui curet, amanter rogat. *Anno* U. C. 708.

1. *P. Sulpicio*] Bernardinus Rutilius, qui opiniones quasdam suas in Familiares, ut vocant, Ciceronis epistolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur, *P. Vatinio*, adductus in hanc sententiam ea ratione, quia Cicero de servo suo Dionysio scribit in hac epistola: de quo item Vatinius ad Ciceronem in duabus 9. 10. lib. V. & ad eum Cicero epist. 11. ibidem. Sensit idem postea Corradus in suis scholiis. Mihi non satis neque Rutilii, neque Corradi sententia, quam alii postea secuti sunt, probatur. Nam, ut illud omittam, quod hæc hujus epistolæ verba: *Salvo jure nostræ veteris amicitiæ:* & quæ sunt infrà: *Pro tuo perpetuo in me studio:* non videntur in Vatinium convenire, cujus erga Ciceronem perpetuum certè studium non fuerat, inimicitiis, oratione adversus eum notissimis, interruptum: ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis non est: valde me movet ea ratio, quòd post supplicationem decretam scribit Cicero de servo suo ad Sulpicium: at Vatinio

Digitized by Google

[2] nostræ veteris amicitiæ, multorúmque inter nos officiorum, facere posse, ut honori tuo deessem. Itaque adfui supplicationémque tibi libenter decrevi; nec reliquo tempore ullo aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuæ deero. Atque, hoc ut tui necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per literas certiores, ut, si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi jure suo denuntiare. M. Bolanum, virum bonum, & fortem, & omnibus rebus ornatum, meúmque veterem amicum, tibi magnopere commendo. Pergratum mihi feceris, si curâris, ut is intelligat hanc commendationem sibi magno adjumento fuisse. Ipsúmque virum optimum gratissimúmque cognosces. Promitto tibi, te ex ejus amicitia magnam voluptatem esse capturum. Præterea à te peto majorem in modum, pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores. Dionysius, servus meus, qui meam bibliothecen multorum nummorum tractavit, cùm multos libros subripuisset, nec se impunè laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum & M. Bolanus, familiaris meus, & multi alii [3] Naronæ viderunt. Sed, cùm se à me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curâris, non possum dicere quàm mihi gratum futurum sit. Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. Ubi sit, & quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominem per te recuperaro, summo me à te *beneficio* affectum arbitrabor. Vale.

M. T. C.

Vatinio decreta supplicatio videtur Octobri mense, ut ex epist. 10. lib. V. non dubiam facere conjecturam licet. Scripsit enim Vatinius Nonis Dec. eam epistolam cùm de supplicatione decreta jam è Ciceronis literis cognovisset. Ante Novembrem autem alteram ejusdem epistolam acceperat Cicero, datam v. id. Quint. in qua de fuga servi Dionysii se audivisse significavit. Quod cùm ita sit; cui verisimile videatur, hanc epistolam, Sulpicio inscriptam, in qua de supplicatione decreta sit mentio, ad Vatinium de Dionysii fuga, multò ante supplicationem ei cognita, ut ignota de re missam esse? Ad hanc rationem accedit altera, ipsa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam cùm Cicero supplicationem decretam Sulpicio significat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatinius autem in epistola sua de supplicatione sibi decreta respondens, verbum de Bolano nullum facit. Consensum omitto veterum librorum, quibus in omnibus perspicuè scriptum video, ne unâ quidem literâ veritatem obscurante, *P. Sulpicio.* MANUTIUS. Placet conjectura Rutilii & Corradi. Vatinium enim tum Illyrico, Sulpicium Achaiæ præfuisse, præter adducta loca ostendunt libri IV. epistolæ 5. & 6. J. F. GRONOV.

2. *Nostræ veteris amicitiæ*] Hoc convenire in Vatinium negat Manutius, ut & *pro tuo perpetuo in me studio.* Sed sic etiam loquebantur, qui amici olim, dein inimici fuissent, post reconciliatam gratiam, quasi medio odiorum tempore memoriæ exempto. IDEM.

3. *Naronæ*] In Dalmatia.

M. T. C. ALLIENO PROC. S. D.

DEMOCRITUS Sicyonius non solùm hospes meus est, sed etiam, quod non multis contingit, Græcis præsertim, valde familiaris. Est enim in eo summa probitas, summa virtus, summa in hospites liberalitas & observantia: méque præter cæteros & colit, & observat, & diligit. Eum tu non modò suorum civium, verùm penè Achaiæ principem cognosces. Huic ego tantummodò aditum ad tuam cognitionem patefacio, & munio. Cognitum per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tuâ amicitiâ atque hospitio judicabis. Peto igitur à te, ut, his literis lectis, recipias eum in tuam fidem: polliceare omnia te facturum meâ causâ. De reliquo, si, id quod confido, fore dignum eum tuâ amicitiâ hospitióque cognoveris, peto ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale. 78

ARG. Petit ut Democritum in suam fidem recipiat. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. ALLIENO PROC. S. P. D.

ET te scire arbitror, quanti fecerim C. Avianum Flaccum: & ego ex ipso audieram, optimo & gratissimo homine, quàm à te liberaliter esset tractatus. Ejus filios dignissimos illo patre, meósque necessarios, quos ego unicè diligo, commendo tibi sic, ut majore studio nullos commendare possim. C. Avianus in Sicilia est, Marcus est nobiscum. Ut illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista provincia facere nihil potes: ídque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. 79

ARG. Caium & Marcum Avianos, fratres, commendat. *Anno* U. C. 707.

Digitized by Google

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER XIV.

TULLIUS [1] TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ SUÆ, CICERONI SUO S.D.

I ET literis multorum, & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem esse, téque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum! te istâ virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidisse! Tulliolámque nostram ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? qui, [2] cùm primùm sapere cœpit, acerbissimos dolores miseriásque percepit. Quæ si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulò faciliùs: sed omnia sunt meâ culpâ commissa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant: eos non sequebar, qui petebant. Quòd si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantùm valuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum; beatissimi viveremus. Nunc, quando sperare nos amici jubent,

ARGUMENTUM. Ab exule scripta, querula; deinde de spe restitutionis, utcunque exigua: de familia, de pestilentia, Plancii officiis, Pisonis humanitate, & aliis agit. Terentiæ uni, ex sensu, inscribi debuit hæc epistola. *Anno* U. C. 695.

1. *Terentiæ*] Hæc quater nupsit, Ciceroni, Sallustio historico, Messalæ Corvino, Vibio Rufo. Dio lib. LVII. & D. Hieronymus lib. I. adversus Jovinianum. Vixit annos 103. Plin. lib. VII. cap. 48. MANUT.

2. *Cùm primùm*] Hoc tempore annum agebat ætatis suæ Cicero filius octavum. Natus enim erat Cotta & Torquato coss. ut ex epist. I. lib. I. ad Atticum licet intelligere. IDEM.

Digitized by Google

jubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo: quantóque fuerit facilius manere domi, quàm redire. Sed tamen, si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum tam studiosum, quàm videtur, si verò etiam Pompeium & Cæsarem, non est desperandum. [3] De familia, quo modo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco nunc quidem jam abiit pestilentia, sed quamdiù fuit, me non attigit. [4] Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum, & adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quò neque [5] Hispo veniret, nec milites: sed adhuc Plancius me retinet. Sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si videro, & si in vestrum complexum venero, ac si & vos, & me ipsum recuperáro, satis magnum mihi fructum videbor percepisse & vestræ pietatis, & meæ. [6] Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil suprà possit. Utinam ea res ei voluptati sit: gloriæ quidem video fore. De Quinto fratre nihil ego te accusavi; sed vos, cùm præsertim tam pauci sitis, [7] volui esse quàm conjunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi, & me à te certiorem factum esse scripsi. Quod ad me, mea Terentia, scribis, te [8] vicum venditurum: quid, obsecro te, (me miserum) quid futurum est? Et, si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere (tanta vis lacrymarum est) ne te in eundem fletum adducam. Tantùm scribo, si erunt in officio amici, pecunia non deerit: si non erunt, tu [9] efficere tuâ pecuniâ non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perdi-

3. *De familia*] De servis, quos postea liberavit, veritus ne cum cæteris bonis publicarentur. Epist. 4. MANUT.

4. *Plancius*] Cn. Plancius, quæstor in Macedonia: pro quo extat oratio. Vide & eam post reditum in senatu habitam. IDEM.

5. *Hispo*] Hîc nonnulli veteres libri habent, *Ipso*: alii, *Ipse*: quinque nostri, *Hispo*. Ex hac varietate legendum fortasse, *Piso*, vel potiùs, *Ipse*: ut de eodem accipiatur: cujus nomen omitti potuit, cùm Terentiæ literis, L. Pisonem, Ciceronis inimicum, ejus anni consulem, ad Macedoniam regendam propediem iturum significantibus, responderet. Nominare, qui consul adhuc erat, non audebat. IDEM.

6. *Pisonis*] C. Calpurnii Pisonis L. filii, Frugi, Ciceronis generi. IDEM.

7. *Volui esse quàm conjunctissimos*] Discordiæ igitur aliquid inter Q. fratrem, & Terentiam extiterat. IDEM.

8. *Vicum venditurum*] Ut mihi pecuniam suppeditare possis. IDEM. Hanc elegantiam reddidi Tullio, & hîc eandem vindicant Palatinus primus, Vaticani excerpta, Victorii editio. Plebeii magistelli fecerunt, *vendituram*. GEBHARD. De similibus elegantiis, vide Gellium, I. 7.

9. *Efficere*] Id quod effici opus est, ut ego in hac misera fortuna non egeam. IDEM.

Digitized by Google

perditum perdamus: cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est, & mediocri fortunâ, ut cætera consequatur. Fac valeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciam quid agatur, & vos quid agatis. Mihi omninò jam [10] brevis expectatio est. Tulliolæ & Ciceroni salutem dic. Valete. D. a. d. VI. Kalendas Decembres, Dyrrachii. Dyrrachium veni, quòd & libera civitas est: & in me officiosa, & proxima Italiæ. Sed si me offendet loci celebritas, aliò me conferam. Ad te scribam.

10. *Brevis expectatio est*] Fore arbitror ut brevi literas vestras accipiam. MANUT.

TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ, ET CICERONI SUIS S.D.

2 NOLI putare, me ad quemquam longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo quod scribam: nec hoc tempore quidquam difficilius facio. Ad te verò, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrymis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui: idque præstare debui: &, nisi tam [1] timidi fuissemus, præstitissem. Pisonem nostrum merito ejus amo plurimùm. Eum, ut potui, per literas cohortatus sum, gratiásque egi, ut debui. In novis tribunis plebis intelligo spem te habere. Id erit firmum, si Pompeii voluntas erit. Sed Crassum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortissimè & amantissimè video: nec miror: sed mœreo casum ejusmodi, ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ subleventur. Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum [2] à Vestæ [3] ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant! Te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrymis & sordibus! ídque fieri meâ culpâ, qui cæteros servavi, ut nos periremus! Quod de

---

ARG. Brevitatem literarum excusat: Pisonis generi officia laudat: dolet Terentiæ vicem: rogat ne suam dotem projiciat, & ut valetudini suæ consulat. *An.* U.C. *695.*

1. *Timidi*] Quòd è patria discedere maluerit, quàm armis decertare. MANUT.

2. *A Vestæ*] A templo Vestæ. Quidam legunt *à Vesta,* id est, à lare & foco. LAMB.

3. *Ad Tabulam Valeriam*] Locus in foro fuit, quò tribuni plebis convenire soliti sunt, In Vatinium, cap. *9.* MANUT.

Digitized by Google

de domo ſcribis, hoc eſt, [4] de area; ego verò tum denique mihi videbor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. Verùm hæc non ſunt in noſtra manu. Illud doleo, quæ impenſa facienda eſt, in ejus partem te miſeram & deſpoliatam venire. Quod [5] ſi conficitur negotium, omnia conſequemur. Sin eadem nos fortuna premet, etiamne [6] reliquias tuas miſera projicies? Obſecro te, mea vita, quod ad ſumptum attinet, ſine alios, qui poſſunt, ſi modò volunt, ſuſtinere: & valetudinem iſtam infirmam, ſi me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctéſque verſaris. Omnes labores te excipere video. Timeo ut ſuſtineas. Sed video in te eſſe omnia. Quare, ut id, quod ſperas, & quod agis, conſequamur, ſervi valetudini. Ego ad quos ſcribam neſcio, niſi ad eos, qui ad me ſcribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid ſcribitis. Longiùs, quoniam ita vobis placet, non diſcedam: ſed velim, quàm ſæpiſſime literas mittatis, præſertim ſi quid eſt firmius, quod ſperemus. Valete, mea deſideria, valete. A. d. III. Nonas Octobr. Theſſalonicâ.

4. *De area*] Everſâ enim domo, area ſupererat: quæ poſtea reverſo in patriam Ciceroni reſtituta eſt, & ſuperficies æſtimata. MANUT.

5. *Si conficitur negotium*] Si reſtituor.

6. *Reliquias tuas*] Quæ tibi facultates reliquæ ſunt, amiſſis meis. IDEM.

TULLIUS TERENTIÆ, ET TULLIOLÆ, ET CICER. SUIS S. D.

ACCEPI ab Ariſtocrito tres epiſtolas, quas ego lacrymis 3
propè delevi. Conficior enim mœrore, mea Terentia: nec meæ me miſeriæ magis excruciant, quàm tuæ, veſtræque. Ego autem hoc miſerior ſum, quàm tu, quæ es miſerrima, quòd ipſa calamitas communis eſt utriuſque noſtrûm, ſed culpa mea propria eſt. Meum fuit officium, vel [1] legatione vitare periculum, vel diligentiâ & copiis reſiſtere, vel cadere fortiter. Hoc miſerius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cùm dolo-

ARG. Suâ culpâ factum dolet, ut in tantas miſerias inciderint. Dein ad capita epiſtolæ uxoris reſpondet ita, ut nimium præ ſe dolorem ferat, eique penè ſuccumbat. *Anno* U. C. 695.

1. *Legatione*] Nam ſi legationem, à Cæſare, Galliæ proconſule, delatam, accepiſſet, Clodii tribuni plebis furorem vitaſſet. Diem enim ei dicere, qui reipublicæ causâ abeſſet, non licebat. MANUT.

dolore conficiar, tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meæ optimæ, ſuaviſſimis liberis, virtutem & diligentiam non præſtitiſſe. Nam mihi ante oculos dies noctéſque verſatur ſqualor veſter, & mœror, & infirmitas valetudinis tuæ: ſpes autem ſalutis pertenuis oſtenditur. Inimici ſunt multi: invidi penè omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile eſt. Sed tamen, quandiù vos eritis in ſpe, non deficiam, ne omnia meâ culpâ cecidiſſe videantur. Ut tutò ſim, quod laboras, id mihi nunc facillimum eſt: quem etiam inimici volunt vivere in his tantis miſeriis. Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus voluiſti, egi gratias, & eas literas Dexippo dedi, méque de eorum officio ſcripſi à te certiorem eſſe factum. Piſonem noſtrum mirifico eſſe ſtudio in nos, & officio, & ego perſpicio, & omnes prædicant. Dii faxint, ut tali genero mihi præſenti tecum ſimul & cum liberis noſtris frui liceat. Nunc ſpes reliqua eſt in novis Tribunis plebis, & in primis quidem diebus. Nam ſi inveterarit, actum eſt. Eâ re ad te ſtatim Ariſtocritum miſi, ut ad me continuò initia rerum & rationem totius negotii poſſes ſcribere: etſi Dexippo quoque ita imperavi, ſtatim ut recurreret: & ad fratrem miſi, ut crebrò tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine ſum Dyrrachii hoc tempore, ut quàm celerrimè, quid agatur, audiam; & ſum tutò. Civitas enim hæc ſemper à me defenſa eſt. Cùm inimici noſtri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod ſcribis, te, ſi velim ad me venturam: ego verò, cùm ſciam magnam partem iſtius oneris abs te ſuſtineri, te iſtic eſſe volo. Si perficitis, quod agitis, me ad vos venire oportet: ſin autem... ſed nihil opus eſt reliqua ſcribere. Ex primis, aut ſummùm ſecundis literis tuis conſtituere poterimus, quid nobis faciendum ſit. Tu modò ad me velim omnia diligentiſſimè perſcribas: etſi magis jam rem, quàm literas, debeo expectare. Cura, ut valeas, & ita tibi perſuadeas, mihi te carius nihil eſſe, nec unquam fuiſſe. Vale, mea Terentia, quam ego videre videor: itaque debilitor lacrymis. Vale. Pridie Kalendas Decembr. Dyrrachii.

Digitized by Google

TULLIUS TERENTIÆ, ET TULLIOLÆ, ET CICERONI SUIS S.P.D.

EGo minùs sæpe ad vos do literas, quàm possum, propterea quòd cùm omnia mihi tempora sunt misera, tum verò cùm aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficior lacrymis, sic ut ferre non possim. [1] Quòd utinam minùs vitæ cupidi fuissemus: certè nihil, aut non multùm in vita mali vidissemus. Quòd si nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi spem fortuna reservavit, minùs est erratum à nobis. Sin hæc mala fixa sunt; ego verò te quàm primùm, mea vita, cupio videre, & in tuo complexu emori: quando neque dii, quos tu castissimè coluisti, neque homines, [2] quibus ego servivi, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies XIII fuimus, virum optimum: qui periculum fortunarum & capitis sui [3] præ mea salute neglexit: neque [4] legis improbissimæ pœnâ deductus est, quò minùs hospitii & amicitiæ jus, officiúmque præstaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus; habebimus quidem semper. Brundusio profecti sumus a. d. V Kalendas Maias. Per Macedoniam Cyzicum petebamus. O me perditum! ô [5] afflictum! quid nunc rogem te ut venias, mulierem ægram, & corpore & animo confectam? Non rogem? sine te igitur sim? Opinor, sic agam. Si est spes nostri reditûs, eam confirmes, & rem adjuves. Sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad me fac venias. Unum hoc scito: si te habebo, non mihi videbor planè perisse. Sed quid de Tulliola mea fiet? jam id vos videte:

4

ARG. Respondet ad varia Terentiæ non solùm dolenter, sed etiam molliore, quàm virum decebat animo. *Anno* U. C. 695.

1. *Quòd utinam*] *Quòd* pro *Sed*: ut ep. 14. lib. VIII. *Quòd non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura.* Et Philipp. x. *Quòd qui ab illo adducit exercitum, & respectum pulcherrimum, & præsidium firmissimum adimit reipublicæ.* Et in Verr. lib. I. *Quòd vos oblitos non arbitror, quæ multitudo se ipsum accusas, qui Clodianis armis cesseris.* Infrà; *Peccatum est nullum, nisi quòd non unà animam cum ornamentis amisimus.* MANUT.

2. *Quibus ego servivi*] Man. & Lamb. ediderunt, *quos ego servavi.*

3. *Præ mea*] Iidem, *pro mea.*

4. *Legis improbissimæ*] Ne Cicero intra quingenta passuum millia hospitio acciperetur. CORRADUS.

5. *Afflictum*] Janus Gulielmius ad Plauti Cistellariam; act. II. sc. I. testatur se in vetustissimis membranis reperisse, *O me perditum! me afflictum!* Quod verum est, bis apud Ciceronem legitur verbum *affligere*: nam vide lib. IX. ad Att. epist. ult.

Digitized by Google

dete: mihi deest consilium. Sed certè, quoquo modo se res habebit, illius misellæ & [6] matrimonio, & famæ serviendum est. Quid? Cicero meus quid aget? Iste verò sit in sinu semper & complexu meo. Non queo plura jam scribere: impedit mœror. Tu quid egeris, nescio: utrum aliquid teneas, an, quod metuo, planè sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De familia liberata, nihil est quod te moveat. Primùm, tuis ita promissum est, te facturam esse ut quisque esset meritus. Est autem in officio adhuc Orpheus: præterea magnopere nemo. [7] Cæterorum servorum ea causa est, ut, si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertinerent, servirent, præterquam oppidò pauci. Sed hæc minora sunt. Tu quòd me hortaris, ut animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis; id velim sit ejusmodi, ut rectè sperare possimus. Nunc miser quando tuas jam literas accipiam? quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, ut potes. Honestissimè viximus, floruimus. Non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. Peccatum est nullum, nisi quòd non unà animam cum ornamentis amisimus. Sed, si hoc fuit liberis nostris gratius nos vivere, cætera, quanquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum, quòd valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. Sallustius officio vincet omnes. Pescennius est perbenevolus nobis: quem semper spero tui fore observantem. Sicca dixerat se mecum fore: sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, ut valeas: & sic existimes, me vehementiùs

6. *Matrimonio*] Dixi jam, hoc tempore uxorem C. Pisonis Tulliolam fuisse. Ejus doti & famæ, se absente, Cicero timebat. MANUT.

7. *Cæterorum servorum ea causa est*] Veritus Cicero amissionem servorum cum tota re, manumisit eos hac conditione, ut, si per legem Clodiam bonis omnibus privandus esset, ii suo beneficio liberti essent, si modò id obtineri posset; sin autem lex servos non adimeret, &, ut ad veterem dominum pertinerent, concederet; servirent, ut antea præterquam paucissimi, quos ob fidem & diligentiam omninò liberatos vellet. Dixit autem, *cæterorum servorum*, cùm de suis loqueretur. Nam ex Terentiæ servis neminem manumiserat: (neque enim poterat) tantùm iis, eam facturam esse, ut quisque esset meritus, promiserat. Hic locus in omnibus libris impressis mendosè legebatur. Nos eum distinctione tantùm restituimus. IDEM.

Digitized by Google

mentiùs tuâ miseriâ, quàm meâ commoveri. Mea Terentia, fidissima atque optima uxor, & mea carissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, valete. Pridie Kalendas Maias. Brundusio.

M. T. C. TERENTIÆ ET TULL. SUIS S. P. D.

SI tu & Tullia lux nostra valetis, ego & suavissimus Cicero valemus. Pridie Idus Octobres Athenas venimus, cùm sanè adversis ventis usi essemus, tardéque & incommodè navigassemus. De nave exeuntibus nobis Acastus cum literis præstò fuit uno & vicesimo die, sanè strenuè. Accepi tuas literas, quibus intellexi, te vereri, ne superiores mihi redditæ non essent. Omnes sunt redditæ, diligentissiméque à te perscripta sunt omnia: ídque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus, hanc epistolam, quam Acastus attulit, brevem fuisse. Jam enim me ipsum expectas, [1] sive nos ipsos, qui quidem quàm primùm ad vos venire cupiamus: etsi in quam rempublicam venimus, intelligo. Cognovi enim ex multorum amicorum literis, quas attulit Acastus, [2] ad arma rem spectare: ut mihi, cùm venero, dissimulare non liceat, quid sentiam. Sed, quando subeunda fortuna est, eò citiùs dabimus operam ut veniamus, quò faciliùs de tota re deliberemus. Tu velim, quod commodo valetudinis tuæ fiat, quàm longissimè poteris, obviam nobis properes. De hereditate Preciana, quæ quidem mihi magno dolori est (valde enim illum amavi) hoc velim cures: si auctio ante meum adventum fiet, ut Pomponius, aut, si is minùs poterit, Camillus nostrum negotium curet. Nos, cùm salvi venerimus, reliqua per nos agemus. Sin tu jam Româ profecta eris, tamen curabis ut hoc ita fiat. Nos, si dii adjuvabunt, circiter Idus Novemb. in Italia speramus fore. Vos, mea suavissima & optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate ut valeatis. Athenis, a. d. XV. Kal. Nov.

ARG. Reditum ex provincia significat: Terentiæ diligentiam in scribendo laudat: quæ fieri velit de Preciana auctione, mandat. *Anno* U. C. 703.

1. *Sive nos ipsos*] Erant enim cum ipso, filius, frater, fratris filius. MANUT.

2. *Ad arma rem spectare*] Cæsare & Pompeio dissidentibus. CORRAD.

M. T. C. Terentiæ suæ S. P. D.

6 NEc sæpe est, cui literas demus; nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Ex tuis literis, quas proximè accepi, cognovi, prædium nullum venire potuisse. Quare videatis velim, quomodo satisfiat ei, cui scitis me satisfieri velle. [1] Quòd nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quam primùm fac extrudas. Cura ut valeas. Id. Quint.

Arg. Excusat infrequentiam literarum. Voluntatem suam in ære alieno dissolvendo significat. Adjungit de Terentiæ meritis in Tulliolam. Pollicem servum expectat. *Anno* U. C. 705.

1. *Quòd nostra*] Quam intelligat *nostram* non planè perspicio, nisi Tulliam significet, quod puto. De rebus autem domesticis, cum uxore, suísque loquens, non mirum est rem tantùm indicasse, quod etiam suprà facit, cùm dicit, *quomodo satisfiat ei*: nec tamen nomen ponit, cui satisfieri cupiebat. Cùm enim ad suos scribat, qui & manum ejus agnoscerent, & res quas innueret, optimè callerent, non necesse fuit apertiùs scribi. Victor.

M. T. C. Terentiæ suæ S. P. D.

7 OMnes [1] molestias & sollicitudines, quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, & Tulliolam, quæ nobis nostrâ vitâ dulcior est, deposui, & ejeci. Quid causæ autem fuerit, postridie intellexi quàm à vobis discessi. [2] χολὴν ἄκρατον noctu ejeci. Statim ita sum levatus ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum soles, piè & castè satisfacias, id est, Apollini & Æsculapio. Navem spero nos valde bonam habere; in eam simul atque conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te, & Tulliolam nostram diligentissimè commendabo. Cohortarer vos, quò animo fortiore essetis, nisi vos fortiores cognossem, quàm quemquam virum. Et tamen ejusmodi spero negotia esse, ut & vos istis commodissimè

Arg. Sollicitudinem deposuisse significat cum causa illius. Ut forti animo sit, & valetudinem curet, hortatur. *Anno* U. C. 704.

1. *Omnes molestias*] Manifestò scripta epistola cùm jam navem conscendisset, in Pompeiana castra navigans. Victor.

2. *χολὴν ἄκρατον*] *Bilem puram*, ex qua oriebantur molestiæ & sollicitudines. Man.

Digitized by Google

dissimè sperem esse, & me aliquando cum similibus nostri rempublicam defensurum. Tu primùm valetudinem tuam velim cures; deinde, tibi si videbitur, villis iis utere, quæ longissimè aberunt à militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. [3] Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Etiam atque etiam vale. D. III Idus Junii.

3. *Cicero*] Filius. Nam & is ad bellum cum patre profectus est: eúmque Pompeius alæ equitum alteri præfecit. Off. lib. 2. MANUT.

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissimè. Nam mihi & scriptum, & nuntiatum est, te in febrim subitò incidisse. Quòd celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies ut sciam. Cura ut valeas. Vale. D. IV Nonas Junias. 8

ARG. Hortatur, ut valetudinem curet, & si quid novi, pergat scribere. Ante Pharsalicam pugnam. Cùm esset in castris Pompeii. *Anno* U. C. 705.

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

AD cæteras meas miserias accessit dolor, & è Dolabellæ valetudine, & è Tulliæ. Omnino de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam, scio. Tu velim tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale. 9

ARG. Significat dolorem suum ex Dolabellæ generi & Tulliæ valetudine. Post pugnam Pharsalicam. Cùm in Italiam rediisset. *Anno* U. C. 705.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

QUOD fieri placeret, scripsi ad Pomponium seriùs, quàm oportuit. Cum eo si locuta eris, intelliges quid fieri velim. Apertiùs scribi, quando ad illum scripseram, necesse non fuit. 10

ARG. Ut cum Attico, ad quem scripserat consilium suum, agat. *Anno* U. C. 706.

Digitized by Google

fuit. De ea re, & de cæteris rebus quàm primùm velim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. VII. Id. Quint.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

11 SI vales, bene est: valeo. Tullia nostra [1] venit ad me pridie Idus Junii: cujus summâ virtute, & singulari humanitate, graviore etiam sum dolore affectus, nostrâ factum esse negligentiâ, ut longè alia in fortuna esset, atque ejus pietas ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo [2] Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. XVII. Kal. Quint.

ARG. Tulliam ad se venisse dicit: sibi autem in animo esse filium ad Cæsarem mittere. *Anno* U. C. 706.

1. *Venit ad me*] Post Victoriam Cæsaris in Pharsalia scripta, cùm discessisset à Pompeianis, & Brundusii esset. Quod multis conjecturis intelligi potest: & quantum ego suspicor, post illam quæ sequitur, data: ea enim scripta esse videtur, cùm paucos dies in Italia fuisset: gratulata enim erat illi Terentia de reditu in Italiam, & salute ipsius è tot tantísque periculis. Cui illâ epistolâ Cicero respondit. Tulliam ad eum, cùm Brundusii esset, venisse, multi auctores tradunt, & ipse quoque ostendit: quod causa inimicitiarum ac divortii illi cum uxore fuit: neque enim viaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poscere videbatur. Omne autem illud tempus Cicero ibi mansit quod in Alexandria & Asia Cæsar consumpsit, quod longum fuisse ex historia illarum rerum intelligitur, & à Plutarcho etiam apertè narratur. VICTOR.

2. *Ciceronem ad Cæsarem mittere*] Qui peteret, ut ei, quòd Pompeium in bello secutus esset, ignosceret. Epist. 17. 18. ad Atticum lib. 11. MANUT.

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

12 QUOD nos in Italiam salvos venisse gaudes, perpetuò gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magnísque injuriis, metuo, ne id consilii ceperimus, quod non facilè explicare possimus. Quare, quantum potes, adjuva. Quid autem possis, mihi in mentem non venit. In viam quòd te des hoc tempore, nihil est: & longum est iter, & non tutum: & non video, quid prodesse possis, si veneris. Vale. D. prid. Nonas Novemb. Brundusio.

M.T.C.

ARG. Scripta epistola ante superiorem post Pharsalicam pugnam, quâ gratulationi Terentiæ, quòd liberatus periculis in Italiam redierit, respondet. *Anno* U. C. 705.

Digitized by Google

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

QUOD scripsi ad te proximis literis [1] de nuntio remittendo; [2] quæ sit istius vis hoc tempore, & [3] quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus est, [4] quies tamen ab illo fortasse nascetur. Totum judicabis quale sit: & quod in miserrimis rebus minimè miserum putabis id facies. Vale. VI Idus Quintiles. 13

ARG. Permittit uxori, ut de nuntio remittendo consilium capiat ex tempore. Cæsare dictatore iterum. *Anno* U. C. 707.

1. *De nuntio remittendo*] Divortio faciendo inter Tulliam & Dolabellam. II. Att. 20. & 23. J. F. GRONOV.

2. *Quæ sit istius vis hoc tempore*] Quantum possit & valeat cùm maximè Dolabella. IDEM.

3. *Quæ concitatio multitudinis*] Cùm legem ferret de tabulis novis, & mercedibus ædium. Dio lib. XLII. IDEM.

4. *Quies tamen*] Manutius ait in uno libro inventum, *quiesces*. Fortè, *si metuendus iratus, quiesces*. Si putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuntium. Dein breviter, *Tamen ab illo fortasse nascetur*. Scilicet causa divortii. Ipse luxuriosus & perditus offensus moribus longè diversis uxoris nuncium illi remittet. IDEM.

Hactenus J. F. Gronovius. Videtur enim propiùs ad veri speciem accedere, quàm Manutius, cæterique interpretes, qui omnia hæc de nuntio Terentiæ ipsi remittendo dicta volunt. OLIVETUS.

TULLIUS TERENTIÆ, ET PATER TULLIOLÆ, DUABUS ANIMIS SUIS: ET CICERO MATRI OPTIMÆ, SUAVISS. SORORI S. P. D.

SI vos valetis, nos valemus. Vestrum jam consilium est, non solùm meum, quid sit vobis faciendum. Si ille Romam modestè venturus est, rectè in præsentia domi esse potestis: sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit. Etiam illud metuo, ne jam [1] intercludamur, ut, cùm velitis exire, non liceat. Reliquum est, quod ipsæ optimè considerabitis, vestri similes fœminæ síntne Romæ. Si enim non sunt, videndum est, [2] ut honestè vos esse possitis. Quomodo quidem nunc se res habet, modò ut hæc 14

Rrr 3 vobis

ARG. Cùm Cæsar Rubiconem transisset, & Pompeius fugisset cum senatu ex urbe, monet suas, ut cum amicis consultent, maneántne Cæsare adventante, an discedant ex urbe. *Anno* U. C. 704.

1. *Intercludamur*] Manutius & Lambinus ediderunt, *intercludamini*.

2. *Ut*] Fortasse, *ubi*. Lambinus non *videndum*, sed *verendum* legit, ídque, ut prædicat, libris omnibus invitis.

Digitized by Google

vobis loca tenere liceat, belliſſimè vel mecum, vel in noſtris prædiis eſſe poteritis. Etiam illud verendum eſt, ne brevi tempore fames in urbe ſit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis vdebitur, conſideretis. Ad ſummam, animo forti ſitis. [3] Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat etiam Piſo, quòd [4] ab urbe diſcedit, & ſceleris condemnat generum ſuum. Vos meæ cariſſimæ animæ, quàm ſæpiſſimè ad me ſcribite, & vos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus vobis ſalutem dicunt. Valete. VIII Kal. [5] Quintil. Minturnis.

3. *Labienus*] T. Atius Labienus, qui multos annos Cæſaris legatus in Gallia fuerat, egregiámque in re militari virtutem oſtenderat, orto civili bello ad Pompeii partes tranſiit. Vide infrà, epiſt. 12. lib. XVI. & ep. 13. lib. VII. ad Att. MANUT.

4. *Ab urbe diſcedit*] Non contulit ſe ad Pompeium, ſed ab urbe diſceſſit: in quo non probare Cæſaris, generi ſui, conſilia viſus eſt. Nam ſi probaret, eum in urbe expectaret. IDEM.

5. *Minturnis*] Oppidum Auruncorum paulùm ſuprà Liris fluvii oſtia in Latio, cujus tantùm rudera ſuperſunt. GRÆVIUS.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

15 SI vales, bene eſt. Conſtitueramus, ut ad te antea ſcripſeram, obviam Ciceronem Cæſari mittere: ſed mutavimus conſilium, quia de illius adventu nihil audiebamus. De cæteris rebus, etſi nihil erat novi, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe, ex Sica poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. Kalendas Quintiles.

ARG. Conſilium de filio ad Cæſarem mittendo mutatum ſignificat. *Anno* U. C. 706.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

16 SI vales, bene eſt; valeo. Etſi ejuſmodi tempora noſtra ſunt, ut nihil habeam, quod aut à te literarum expectem, aut ipſe ad te ſcribam: tamen neſcio quomodo & ipſe veſtras literas expecto, & ſcribo ad vos, cùm habeo qui ferat. Volumnia debuit in te officioſior eſſe, quàm fuit; & id ipſum, quod fecit,

ARG. De literis; de Volumnia; de ſuo dolore. *Anno* U. C. 705.

Digitized by Google

cit, potuit diligentiùs facere, & cautiùs: quanquam alia sunt quæ magis curemus, magísque doleamus. Quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura ut valeas. Pridie Kalend. Januarii.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. D.

SI vales, bene est: valeo. Si quid haberem quod ad te scriberem, facerem id & pluribus verbis, & sæpius. Nunc quæ sunt negotia, vides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac ut tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale. 17

ARG. Nihil esse ait quod scribat. Quomodo ipse sit, ex Lepta & Trebatio posse cognosci. Constat scriptam fuisse cùm Brundusii esset. *Anno* U. C. 705.

TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, SUAVISS. FILIÆ TULLIOLÆ, CICERO MATRI, ET SORORI, S. P. D.

CONSIDERANDUM vobis etiam atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis: Romǽne sitis, an mecum in aliquo tuto loco. Id non solùm meum consilium est, sed etiam vestrum. Mihi veniunt in mentem hæc: Romæ vos esse tutò posse per Dolabellam, eámque rem posse nobis adjumento esse, si quæ vis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint. Sed rursus illud me movet, quòd video omnes bonos abesse Româ, & eos mulieres suas secum habere. Hæc autem [1] regio, in qua ego sum, nostrorum est cùm oppidorum, tum etiam prædiorum: ut & multùm esse mecum, &, cùm abieritis, commodè & in [2] nostris esse possitis. Mihi planè non satis constat adhuc, utrum sit melius. Vos videte, quid aliæ faciant [3] isto loco fœminæ, & ne, cùm velitis, exire non liceat. Id velim diligenter 18

ARG. Ejusdem argumenti est, cujus erat epist. 14, quippe permittit suis, quid faciendum videatur, adventante ad urbem Cæsare. *Anno* U. C. 704.

1. *Regio*] Campana & maritima ora, cui præerat. Ep. 16. lib. XVI. MANUT.

2. *In nostris*] Carolus Stephanus, alíique ediderunt, *in nostris prædiis*. Vox tamen ultima non minùs eleganter omittitur.

3. *Isto loco*] Istâ dignitate.

ter etiam atque etiam vobiſcum, & cum amicis conſideretis. Domus ut propugnacula & præſidium habeat, Philotimo dicetis. Et velim tabellarios inſtituatis certos, ut quotidie aliquas à vobis literas accipiam. Maximè autem date operam ut valeatis, ſi nos vultis valere. IX Kal. Formiis.

M. T. C. TERENTIÆ S. D.

19 IN maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliæ noſtræ. De qua nihil eſt, quod ad te plura ſcribam: tibi enim æquè magnæ curæ eſſe, certò ſcio. Quod me propiùs vultis accedere, video ita eſſe faciendum. Etiam antè feciſſem: ſed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita ſunt. Sed à Pomponio expecto literas, quas ad me quàm primùm perferendas cures velim. Da operam ut valeas.

ARG. Dolorem ex valetudine filiæ, quæ cum patre Brunduſii poſt Pharſalicam clademerat, ſignificat: addit de propioris acceſsûs impedimentis. *Anno* U. C. 705.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

20 IN Tuſculanum nos venturos putamus aut Nonis, aut poſtridie: ibi [1] ut ſint omnia parata. Plures enim fortaſſe nobiſcum erunt, &, ut arbitror, diutiùs ibi commorabimur. Labrum ſi in balneo non eſt, ut ſit; item cætera, quæ ſunt ad victum & ad valetudinem neceſſaria. Vale. Kal. Octobr. de Venuſino.

ARG. Recreatus literis Cæſaris, non dubitat propiùs accedere. Parari ergo omnia in Tuſculano jubet. *Anno* U. C. 706.

1. *Ut ſint* [Man. & Lamb. *fac ut ſint*. Etiam infrà, *ſi in balneo non eſt*, *fac ut ſit*. Poteſt impunè *fac* abeſſe, vel ſcribi.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

21 SI vales, bene eſt: valeo. Da operam, ut convaleſcas. Quod opus erit, ut res tempúſque poſtulat, provideas, atque adminiſtres: & ad me de omnibus rebus quàm ſæpiſſime literas mittas. Vale. M. T. C.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

SI vales, bene est: valeo. Nos quotidie tabellarios nostros expectamus: qui si venerint, fortasse erimus certiores quid nobis faciendum sit: faciemúsque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kal. Septembr. 22

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

SI vales, bene est: valeo. Redditæ mihi tandem sunt à Cæsare literæ satis liberales: & ipse opinione celeriùs venturus esse dicitur. Cui utrùm obviam procedam, an hîc eum expectem, cùm constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quàm primùm remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. D. pridie Idus Sext. 23

ARG. Se à Cæsare literas satis liberales accepisse nuntiat: de quibus in orat. pro Ligario: *Cæsar ad me ex Ægypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem. Anno* U. C. 706.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

SI vales, bene est: valeo. Nos neque de Cæsaris [1] adventu, neque de [2] literis, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. III Idus Sextiles. 24

ARG. De Cæsaris ex Ægypto & Asia adventu se nihil certi habere significat. *Anno* U. C. 706.

1. *Adventu*] Ex Ægypto. MANUT.

2. *De literis*] Cæsaris, Philotimo ad Ciceronem datis. Philotimum Cicero, mutato mittendi filii consilio, ad Cæsarem miserat. Ep. 24. ad Att. lib. XI. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER XV.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCONSUL, S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENATUI.

1 SI vos valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubiè mihi nuntiabatur, Parthos transisse Euphratem cum omnibus ferè suis copiis: tamen, quòd arbitrabar à M. *Bibulo* [1] proconsule certiora de his rebus ad vos scribi posse, statuebam mihi non necesse esse publicè scribere ea, quæ de alterius provincia nuntiarentur. Postea verò quàm certissimis auctoribus, legatis, nuntiis, literis sum certior factus: vel quòd tanta res erat, vel quòd nondum audieramus Bibulum in Syriam venisse: vel quia administratio hujus belli mihi cum Bibulo penè est communis: quæ ad me delata essent, scribenda ad vos putavi. Regis Antiochi [2] Commageni legati

ARGUMENTUM. De bello Parthico quæ cognoverat, ad senatum perscribit ex provincia. *Anno* U. C. 702.

1. *Proconsule*] Syriæ.

2. *Commageni*] *Commagene* Syriæ pars ad Euphratem & Taurum montem sita, posterioribus temporibus *Euphratensis* dicta, & *Augusteuphratensis*, quam Seleucidis Romani, cùm Syriam occupassent, reliquisse videntur, ejus Reges dicti Antiochi Commageni. Isti, cujus hîc Cicero meminit, Lucullus captis Tygranocertis, uxorem captivam restituit, & Cn. Pompeius Seleuciam Mesopotamiæ castellum donavit: *Strabo*, *lib.* XVI. Huic bellum intulit Ventidius Antonii legatus, cupiditate ejus pecuniæ incensus, quam possidebat. Sed cùm egregiè se tueretur, clàm Antonius cum eo de pace egit, ut honestè posset recedere. Ad quam sanciendam ei tradidit Antonius Alexandrum interficiendum, qui ad Roma-

Digitized by Google

legati primi mihi nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse. Quo nuntio allato, cùm essent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse, si quid certius afferretur. A. d. XIII Kal. Octobr. cùm exercitum [3] in Ciliciam ducerem, in finibus [4] Lycaoniæ & [5] Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt à [6] Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimúsque populi Romani existimatur: [7] Pacorum Orodis, regis Parthorum, filium, cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse [8] Tybæ: magnúmque tumultum esse in provincia Syria excitatum. Eodem die [9] ab Iamblicho, phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicúmque esse reipublicæ nostræ, literæ de eisdem rebus mihi redditæ sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam socios infirmè animatos esse, & novarum rerum expectatione suspensos, sperabam tamen eos, ad quos

 jam

Romanos transfugerat, *Dio lib.* XLIX. Ejus filius Antiochus Commagenus accusatus capitis & damnatus est, quòd legatum fratris, cum quo exercebat inimicitias, Romam missum perfidè interfecit. *Dio lib.* LII. Tiberius in provinciæ formam redegit Commagenen, cùm mortuus esset Antiochus ejus rex, qui fortè filius fuit damnati. *Tacit.* II. *Ann. c.* 56. Sed Caligula Seleucidis restituit regnum Commagenæ adjectis Ciliciæ maritimis, & quidem Antiocho, Antiochi hujus filio, qui videtur fuisse pronepos hujus Antiochi, cujus hîc Cicero meminit. Fuit totâ vitâ clarus & vetustis opibus ingens, & inservientium Regum ditissimus & felicissimus. *Tacit.* II. *Hist. cap.* 81. Tandem fuit sub Vespasiano accusatus, & Lacedæmonem relegatus, & Commagene iterum in provinciæ formam redacta. *Josephus lib.* VII. *cap.* 27. *bell. Jud. Suet. Vespas. cap.* 8. Rupertus.

3. *In Ciliciam*] Erat enim in Asia: cujus tres diœceses administrabat. epist. 67. lib. XIII. De hoc itinere epist. 20. ad Att. lib. V. Manut.

4. *Lycaoniæ*] Regio Asiæ inter Galatiam, Cappadociam, Pamphiliam & Ciliciam, cujus caput Iconium. Græviús.

5. *Cappadociæ*] Cappadocia Asiæ regio magna inter Armeniam minorem, Ciliciam, Pamphyliam, Galatiam & Pontum Euxinum. Idem.

6. *Tarcondimoto*] Partis Gallogræciæ, vel Ciliciæ secundùm Dionem, tetrarcha. Corr.

7. *Pacorum*] Dux esse videbatur, quia regis filius: re verâ autem copias Osaces ducebat: quem postea C. Cassius prælio victum occidit. Pacorus autem hoc tempore nondum ex ephebis excesserat. Dio lib. XL. Eum post aliquot annos cum omnibus copiis cæsum à Ventidio, qui de Parthis primus triumphavit, idem Dio lib. XLIX. Justinus lib. XLII. & alii prodiderunt. Manut.

8. *Tybæ*] Hujus trans Euphratem sive pagi, sive urbis, præter Ciceronem nemo veterum meminit. Grævius.

9. *Ab Iamblicho phylarcho Arabum*] Fuit *Iamblichus phylarchus* Emesenorum in Syria ad Euphratem. Strabo lib. XVI. Ἀρέθουσα καὶ ἡ Σαμψικεράμου, &c. *Et Arethusa Sampsicerami, & Iamblichi ejus filii, qui phylarchi populi Emesenorum fuerunt.* Illam verò regionem tenebant Arabes, ut ibidem docet Strabo. Arabum autem gens fuit in ἔθνη divisa, ipsi φύλας vocant. Unde suos dynastas vocarunt *phylarchos.* Sicut etiam Saraceni suos duces sic vocabant. Vide Strabon. d. l. Joseph. antiq. Jud. lib. I. cap. 13. Suidam in φυλάρχης, & If. Casaubon. ad laudatum locum Strabonis. Idem.

Digitized by Google

jam accesseram, quíque nostram [10] consuetudinem integritatémque perspexerant, amiciores populo Romano esse factos: Ciliciam autem firmiorem fore, si æquitatis nostræ particeps facta esset. Et ob eam causam, & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent, & ut hostis is, qui esset in Syria, sciret, exercitum populi Romani non modò non cedere his nuntiis allatis, sed etiam propiùs accedere: exercitum ad Taurum institui ducere. Sed, si quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, in iis præsertim rebus, quas vos audistis, ego penè cerno: magno opere vos & hortor & moneo, ut his provinciis seriùs vos quidem, quàm decuit, sed aliquando tamen consulatis. Nos quemadmodum instructos, & quibus præsidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. Quod ego negotium non stultitiâ obcæcatus, sed verecundiâ deterritus, non recusavi: neque enim unquam ullum periculum tantum putavi, quod subterfugere mallem, quàm vestræ auctoritati obtemperare. Hoc autem tempore res sese sic habet, ut nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, maturè in has provincias miseritis, summum periculum sit, ne amittendæ sint omnes hæ provinciæ, quibus vectigalia populi Romani continentur. Quamobrem autem in hoc provinciali delectu spem habeatis aliquam, causa nulla est: neque multi sunt, & diffugiunt, qui sunt, metu oblato. Et, quod genus hoc militum sit, judicavit vir fortissimus M. Bibulus in Asia: qui, cùm vos ei permisistis, delectum habere noluerit. Nam sociorum auxilia propter acerbitatem atque injurias imperii nostri, aut ita imbecilla sunt, ut non multùm nos juvare possint, aut ita alienata à nobis, ut neque expectandum ab iis, neque committendum iis quidquam esse videatur. Regis Dejotari & voluntatem & copias, quantæcunque sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui reges, tyrannique, neque opibus satis firmi, nec voluntate sunt. Mihi in hac paucitate militum animus certè non deerit: spero ne consilium quidem. Quid casurum sit, incertum est. Utinam saluti nostræ consulere possimus; dignitati certè consulemus. M.

10. *Consuetudinem*] *Mansuetudinem* habet vetus liber manuscriptus, aliquanto (ut videtur) meliore sententiâ. URSIN. Non meliore, sed eâdem.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCOS. S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENATUI.

SI vos valetis, bene eſt: ego quidem valeo. Cùm pridie Kal. 2
Sext. in provinciam veniſſem, neque maturiùs propter itinerum & navigationum difficultatem venire potuiſſem, maximè convenire officio meo reſque publicæ conducere putavi, parare ea, quæ ad exercitum, quæque ad rem militarem pertinerent. Quæ cùm eſſent à me curâ magis & diligentiâ, quàm facultate & copiâ, conſtituta, nuntiique & literæ de bello à Parthis in provinciam Syriam illato, quotidie ferè afferrentur; iter mihi faciendum per Lycaoniam, & per Iſauros, & per Cappadociam arbitratus ſum. Erat enim magna ſuſpicio, Parthos, ſi ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maximè pateret, eſſe facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens eſt, iter feci: caſtráque ad [1] Cybiſtra, quod oppidum eſt ad montem Taurum, locavi: ut [2] Artuaſdes, rex Armenius, quocunque animo eſſet, ſciret, non procul à ſuis finibus exercitum populi Romani eſſe: & Dejotarum, fideliſſimum regem atque amiciſſimum reipublicæ noſtræ, maximè conjunctum haberem; cujus & conſilio, & opibus adjuvari poſſet reſpublica. Quo cùm in loco caſtra haberem, equitatúmque in Ciliciam miſiſſem, ut & meus adventus iis civitatibus, quæ in ea parte eſſent, nuntiatus firmiores animos omnium faceret, & ego maturè, quid ageretur in Syria, ſcire poſſem: tempus ejus tridui, quòd in his caſtris morabar, in magno officio, & neceſſario mihi ponendum putavi. Cùm enim veſtra auctoritas interceſſiſſet, ut ego regem Ariobarzanem, [3] *Euſeben*, & *Philorhomæum* tuerer, ejúſque regis ſalutem, incolumi-

ARG. Exponit, audito Parthorum adventu, quid egerit pro tuenda provincia, ſociíſque in fide continendis: adjungit de rege Ariobarzane ab inſidiis liberato. *Anno* U. C. 702.

1. *Cybiſtra*] Vide ad Attic. V. 20.

2. *Artuaſdes*] Cujus ſoror Pacoro, regis Parthorum filio, nupta erat; filia verò Dejotari regis filio pacta. MANUT.

3. *Euſeben & Philorhomæum*] Id eſt, *pium & amicum Romanis*. Græcis nominibus ad Latinam conſuetudinem tranſductis. Unde in vett. nummis: ΒΑΣΙΛΕΏΣ ἈΡΙΟΒΆΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΊΟΥ. Quidam codices, *Philonicum*,

columitatem, regnúmque defenderem, regi, regnóque præsidio essem; adjunxissetísque, salutem ejus regis, populo senatúsque magnæ curæ esse; quod nullo unquam de rege decretum esset à nostro ordine: existimavi, me judicium vestrum ad regem deferre debere, eíque præsidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri: ut, quando salus ipsius, & incolumitas regni mihi commendata esset à vobis, diceret, si quid vellet. Quæ cùm essem [4] in consilio meo cum rege locutus: initio ille orationis suæ vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit: quòd ei permagnum & perhonorificum videbatur, Senatui, populóque Romano tantæ curæ esse salutem suam: meque tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides, & commendationis vestræ auctoritas perspici posset. Atque ille primò, quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecum locutus est, ut nullas insidias neque vitæ suæ, neque regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiam suspicari. Cùm ego ei gratulatus essem, idque me gaudere dixissem, cohortatus, ut recordaretur casum illum interitûs paterni, & vigilanter se tueretur, atque admonitu Senatûs consuleret saluti suæ: tum à me discessit in oppidum Cybistra. Postero autem die cum Ariarathe, fratre suo, & cum paternis amicis, majoribus natu; ad me in castra venit: perturbatúsque & flens, cùm idem & frater faceret, & amici, meam fidem, vestram commendationem implorare cœpit. Cùm admirarer, quid accidisset novi: dixit, ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata, quæ essent ante adventum meum occultata, quòd ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent: eo autem tempore, spe mei præsidii, complures ea quæ scirent,

---

eum. Cl. PUTEANUS. Extant apud me duo antiqua numismata ex argento, quorum alterum habet imaginem *Ariobarzanis* circumscripto titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ἈΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Alterum Ariarathi cum literis, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ἈΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Ex quibus inscriptionibus intelligimus, *Ariobarzanem* quidem appellatum fuisse *Philorhomæum*, Ariarathem verò *Euseben*. Cicero tamen utrumque titulum soli tribuit Ariobarzani: nisi fortè aliquod mendum sit in his verbis, & nomen Ariarathes desit, cùm scriptum antea fuisset, *Ut ego reges Ariarathem & Ariobarzanem Euseben & Philorhomæum*, &c. Incidi postea in argenteum nummum Ariobarzanis hujus, quem hîc describit Cicero, in cujus una parte Ariobarzanis ipsius imago, in altera inscriptio incisa est, ἈΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. URSINUS.

4. *In consilio meo*] Præsentibus qui majoris apud eum dignitatis erant, quæstore Mescinio, legatis quatuor, &c. MANUT.

Digitized by Google

ſcirent, audacter ad ſe detuliſſe: in his amantiſſimum ſui, ſummâ pietate præditum, fratrem, dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, ſe ſollicitatum eſſe, ut regnare vellet: id vivo fratre ſuo accidere non potuiſſe: ſe tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium propter periculi metum protuliſſe. Quæ cùm eſſet locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad ſe conſervandum adhiberet: amicóſque patris ejus avique judicio probatos hortatus ſum, regis ſui vitam, docti caſu acerbiſſimo patris ejus, omni curâ cuſtodiâque defenderent. Cùm rex à me equitatum cohortéſque de exercitu meo poſtularet, etſi intelligebam, veſtro ſenatus-conſulto non modò poſſe me id facere, ſed etiam debere: tamen, cùm reſpublica poſtularet, propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quàm primùm exercitum ad Ciliciæ fines adducerem; cúmque mihi rex, patefactis jam inſidiis, non egere exercitu populi Romani, ſed poſſe ſe ſuis opibus defendere videretur; illum cohortatus ſum, ut in ſua vita conſervanda primùm regnare diſceret: à quibus perſpexiſſet ſibi inſidias paratas, in eos uteretur jure regio; pœnâ afficeret eos, quos neceſſe eſſet; reliquos metu liberaret: præſidio exercitûs mei ad eorum, qui in culpa eſſent, timorem potiùs, quàm ad contentionem uteretur: fore autem, ut omnes, cùm ſenatus-conſultum noſſent, intelligerent, me regi, ſi opus eſſet, ex auctoritate veſtra præſidio futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco caſtra movi, & iter in Ciliciam facere inſtitui: cùm hac opinione è Cappadocia diſcederem, ut conſilio veſtro, caſu incredibili ac penè divino, regem, quem vos honorificentiſſimè appellaſſetis nullo poſtulante, quémque meæ fidei commendaſſetis, & cujus ſalutem magnæ vobis curæ eſſe decreviſſetis, meus adventus præſentibus inſidiis liberaret. Quod ad vos à me ſcribi non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis, quæ penè acciderunt, vos multò antè, ne ea acciderent, providiſſe: eóque vos ſtudioſiùs feci certiores, quòd in rege Ariobarzane ea mihi ſigna videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiæque erga vos perſpexiſſe, ut non ſine cauſa tantam curam, diligentiámque in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe.

M. CICE-

M. Cicero M. Catoni S. D.

3 Cum ad me legati, missi ab Antiocho Commageno, venissent in castra ad Iconium a. d. III Non. Septembr. iique mihi nuntiassent, regis Parthorum filium, quo-cum esset nupta regis Armeniorum soror, ad Euphraten cum maximis Parthorum copiis, multarúmque præterea gentium magnâ manu venisse, Euphraténque jam transire cœpisse; dicíque Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum: putavi, pro nostra necessitudine, me hoc ad te scribere oportere. Publicè propter duas causas nihil scripsi: quòd & ipsum Commagenum legati dicebant ad Senatum statim nuntios literásque misisse: & existimabam M. Bibulum proconsulem, qui circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quòd secundos ventos habuisset, jam in provinciam suam pervenisse: cujus literis omnia certiora perlatum iri ad senatum putabam. Mihi, ut in hujusmodi re, tantóque bello, maximæ curæ est, ut quæ copiis & opibus tenere vix possumus, ea mansuetudine & continentiâ nostrâ, sociorum fidelitate teneamus. Tu velim, ut consuesti, nos absentes diligas, & defendas. Vale.

Arg. De rumore belli Parthici scribit, & quare publicè non scripserit, excusat. *A. U. C. 702.*

M. T. C. Imp. M. Catoni S. D.

4 Summa tua auctoritas fecit, meúmque perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni mea interesse putarem, & res eas, quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari à te, quâ æquitate & continentiâ tuerer socios, provinciámque administrarem. His enim à te cognitis, arbitrabar, faciliùs me tibi, quæ vellem, probaturum. Cùm in provinciam pridie Kal. Sext. venissem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum viderem, biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli.

Arg. Res à se in provincia gestas, narrat ordine, &, ut earum causâ supplicatio sibi, favente Catone, à Senatu decernatur, petit. *Anno* U. C. 703.

Digitized by Google

li. Quibus in oppidis cùm magni conventus fuissent, multas civitates acerbissimis tributis, &. gravissimis usuris, & falso ære alieno liberavi. Cúmque ante adventum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo apud Philomelum consedissent; reliquus exercitus esset in Lycaonia; M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactóque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cùm ab illo diligenter esset actum, ego in castra a. d. VII Kal. Sept. veni: cùm interea superioribus diebus ex senatus-consulto, & [1] evocatorum firmam manum, & equitatum sanè idoneum, & populorum liberorum regúmque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. Interim cùm, exercitu lustrato, iter in Ciliciam facere cœpissem Kal. Septemb. legati à rege Commageno ad me missi, pertumultuosè, neque tamen non verè, Parthos in Syriam transisse nuntiaverunt. Quo audito, vehementer sum commotus cùm de Syria, tum de mea provincia, de reliqua denique Asia. Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi. Nam, si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facilè tenuissem: (duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterque parvis præsidiis propter angustias intercludi potest, nec est quidquam Ciliciâ contra Syriam munitius.) sed me Cappadocia movebat, quæ patet à Syria, regesque habet finitimos, qui etiamsi sunt amici nobis, tamen apertè Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longè à Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, nova finitimorum consilia impedirem. Interea in hôc tanto motu, tantáque expectatione maximi belli, rex Dejotarus, cui non sine causa plurimùm semper & meo, & tuo, & senatûs judicio tributum est, vir cùm benevolentiâ & fide erga populum Romanum singulari, tum [2] præstanti magnitudine & animi & consilii, legatos

1. *Evocatorum*] Vide ad epist. 6. lib. III.

2. *Præstanti magnitudine*] Ita Lambinus ex Memmianis libris. Cùm verò Medicæus habeat, *præsentia*, *magnitudine*, Victorius emendabat *præsenti magnitudine*. OLIVET Postquam omnia diù consideravi, in eam discessi senten-

tos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cujus ego studio officióque commotus, egi ei per literas gratias: ídque ut maturaret, hortatus sum. Cùm autem ad Cybistra propter rationem belli quinque dies essem moratus, regem Ariobarzanem, cujus salutem à senatu, te auctore, commendatam habebam, præsentibus insidiis nec opinantem liberavi: neque solùm ei saluti fui, sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenæum, importunitate [3] Athenaidis exilio multatos, maximâ apud regem auctoritate gratiáque constitui. Cúmque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si [4] sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens & equitatu, & peditatu, & pecuniâ paratus, [5] & toto iis, qui novari aliquid volebant: perfeci, ut è regno ille discederet, réxque sine tumultu, ac sine armis, omni auctoritate aulæ communitâ, regnum cum dignitate obtineret. Interea cognovi multorum literis atque nuntiis, magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse, magnúmque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, & à cohorte prætoria, quæ erat [6] Epiphaneæ præsidii causâ, occidione occisum. Quare cùm viderem, à Cappadocia Parthorum copias aversas, non longè à finibus esse Ciliciæ, quàm potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quò ut veni, hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognovi: Dejotarúmque confestim jam ad me venientem cum magno & firmo equitatu & peditatu, & cum omnibus suis copiis, certiorem feci, non videri esse causam cur abesset

sententiam, *magnitudine* esse interpretationem τῦ *præsentiâ*, quæ margini illita postea in ipsum contextum irrepsit. GRÆV.

3. *Athenaidis*] Reginæ, matris Regis impotenti dominatione. CELLARIUS.

4. *Sacerdos*] Comanorum sacerdos Archelaus, à Pompeio Magno, ut scribit Appianus, Mithridate devicto, præfectus: post quem sacerdos fuit Nicomedes, à Cæsare, post superatum Pompeium, præpositus. Ejus sacerdotis potestas, quæ fuerit, ostendit Hirtius de bello Alexandrino, his verbis: *Comana, vetustissimum & sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tantâ religione colitur, ut sacerdos ejus deæ, majestate, imperio, & potentiâ secundus à rege consensu gentis illius habeatur.* Videndus & Strabo lib. XII. MANUT.

5. *Et toto iis, qui*] Cùm & in vulgaris libris & in manuscriptis legeretur *& toto iis*, Ranconetus conjecturâ ductus, legendum putabat, *extorta iis qui*, &c. Sed Victorius meliùs, *& omnino iis qui*, &c. Alii, *& fo-*

cus,

Digitized by Google

ſet à regno: méque ad eum, ſi quid novi fortè accidiſſet, ſtatim literas nuntióſque miſſurum eſſe. Cúmque eo animo veniſſem, ut utrique provinciæ, ſi ita tempus ferret, ſubvenirem: tum id, quod jam antè ſtatueram, vehementer intereſſe [7] utriuſque provinciæ, pacare Amanum, & perpetuum hoſtem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cúmque me diſcedere ab eo monte ſimulaſſem, & alias partes Ciliciæ petere, abeſſémque ab Amano iter unius diei, & caſtra apud Epiphaneam feciſſem: a. d. quartum Id. Octob. cùm adveſperaſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad tertium Id. Octob. cùm luceſceret, in Amanum aſcenderem: diſtributíſque cohortibus & auxiliis, cùm aliis Q. frater, legatus, mecum ſimul, aliis C. Pontinius legatus, reliquis M. Anneius & L. [8] Tullius legati præeſſent; pleroſque nec opinantes oppreſſimus, qui occiſi, captíque ſunt, interclusi fugâ. Eranam autem, quæ fuit non vici inſtar, ſed urbis, quod erat Amani caput, itémque Sepyram & Commorin, acriter & diù [9] repugnantibus, Pontinio illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore, uſque ad horam diei decimam, magnâ multitudine hoſtium occisâ, cepimus: caſtelláque ſex capta: complura incendimus. His rebus ita geſtis, caſtra in radicibus Amani habuimus apud [10] Aras Alexandri quatriduum: & in reliquiis Amani delendis, agríſque vaſtandis, quæ pars ejus montis meæ provinciæ eſt, id tempus omne conſumpſimus. Confectis his rebus, ad oppidum [11] Eleutherocilicum Pindeniſſum exercitum adduxi: quod cùm eſſet altiſſimo & munitiſſimo loco, ab iiſque incoleretur, qui ne regibus quidem unquam paruiſſent: cùm & fugitivos reciperent, & Parthorum adventum

ciis, qui, &c. LAMB Et quod ſummam rem continet, iis quoque, qui ipſo in regno quærebant mutationem, paratus & ſuccinctus. Lib. v. Att. 20. *Eſt totum, quid Kal. Martiis futurum ſit.* III. ad Quint. ep. 1. *Totum in eo eſt, tectorium ut continuum ſit. Totum hi, qui aliquid novi,* per appoſitionem, quam dicunt Grammatici. J. F. GRON.

6. *Epiphaneæ*] *Epiphanea* eſt oppidum Ciliciæ, aliud ab illo quod ad Orontem in Syria fuit. GRÆVIUS.

7. *Utriuſque provinciæ*] Syriæ & Ciliciæ Eſt enim terminus inter utramque, & utrique communis, aquarum divortio diviſus. Epiſt. 10. lib. II. MANUT.

8. *Tullius*] Plerique alii, *Tulleius.*

9. *Repugnantibus*] Videtur legendum *repugnantes*: veruntamen nihil muto. Subintelligi enim poteſt, hoſtibus, vel aliquid tale. LAMBIN.

10. *Aras Alexandri*] Vulgò *Iſſus*: quo de oppido Strabo, lib. XIV. Curtius, lib. III.

11. *Eleutherocilicum*] Liberorum Cilicum, qui ſuis legibus utebantur. Ep. 2. lib. v. ad Attic. IDEM.

Digitized by Google

acerrimè expectarent: ad existimationem imperii pertinere arbitratus sum comprimere eorum audaciam, quò facilius etiam cæterorum animi, qui alieni essent ad imperio nostro, frangerentur. Vallo & fossâ circumdedi, sex castellis castrísque maximis sepsi; aggere, vineis, turribus oppugnavi, usúsque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine ulla molestia sumptúve sociorum, septimo quinquagesimo die rem confeci: ut omnibus partibus urbis disturbatis, aut incensis, compulsi in potestatem meam pervenirent. His erant finitimi pari scelere & audaciâ [12] Tibarani: ab his, Pindenisso capto, obsides accepi: exercitum in hiberna dimisi. Q. fratrem negotio præposui, ut in vicis, aut captis, aut malè pacatis, exercitus collocaretur. Nunc velim tibi sic persuadeas, si de his rebus ad senatum relatum sit, me existimaturum, summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententiâ tuâ comprobaris. Idque, etsi talibus de rebus gravissimos homines & rogare solere, & rogari scio; tamen admonendum potiùs te à me, quàm rogandum puto. Tu es enim is, qui me tuis sententiis sæpissime ornasti: qui oratione, qui prædicatione, qui summis laudibus in senatu, in concionibus ad cælum extulisti: cujus ego semper tanta esse verborum pondera putavi, ut uno verbo tuo cum mea laude conjuncto, omnia adsequi me arbitrarer. Te denique memini, cùm cuidam clarissimo atque optimo viro supplic*ationem* non decerneres, dicere, te decreturum, si referretur ob eas res, quas is consul in urbe gessisset. Tu idem mihi supplicationem decrevisti togato, non ut multis, republicâ bene gestâ, sed, ut nemini, republicâ conservatâ. Mitto, quòd invidiam, quòd pericula, quòd omnes meas tempestates & subieris, & multò etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris: quòd denique inimicum meum, tuum inimicum putaris: cujus etiam interitum, ut facilè intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis causâ in senatu [13] defendendâ approbaris. A me autem hæc

12. *Tibarani*] Ignota geographis gens: nimium enim negotii fuisset, latronum Amani montis nomina persequi. Latrocinia enim exercebant ejus montis incolæ. Tibarenos & Plutarchus in Lucullo nominat, & Plinius lib. VI. cap. 4, ubi Themiscyræ regionis gentes persequitur. MANUT.

13. *Defendendâ*] Inter Milonis patronos Catonem Pedianus nominat, eúmque ait studuisse in petitione consulatûs Miloni, & reo adfuisse, nec dissimulasse, bene actum esse cum republica morte P. Clodii. IDEM.

Digitized by Google

hæc sunt profecta; quæ ego in beneficii loco non pono, sed in veri testimonii, atque judicii, ut præstantissimas tuas virtutes non tacitus admirarer (quis enim idem non facit?) sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, Græcis, Latinis, omni denique varietate literarum mearum, te non modò iis quos vidissemus, sed iis de quibus audissemus, omnibus anteferrem. Quæres fortasse, quid sit, quòd ego hoc nescio quid gratulationis & honoris à senatu, tanti existimem. Agam jam tecum familiariter, ut est & studiis, & officiis nostris mutuis, & summâ amicitiâ dignum, & necessitudine etiam paternâ. Si quisquam fuit unquam remotus, & naturâ, & magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrinâ, ab inani laude & sermonibus vulgi, ego profectò is sum. Testis est consulatus meus: in quo, sicut in reliqua vita, fateor ea me studiosè secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se nunquam putavi expetendam. Itaque & [14] provinciam ornatam, & spem non dubiam triumphi, neglexi. Sacerdotium denique, cùm (quemadmodum te existimare arbitror) non difficillimè consequi possem, non appetivi. Idem post injuriam acceptam, quam tu reipublicæ calamitatem semper appellas, meam non modò non calamitatem, sed etiam gloriam, studui quàm ornatissima senatûs populíque Romani de me judicia intercedere. Itaque & augur postea fieri volui, quod antea neglexeram: & eum honorem, qui à senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum à me olim, [15] nunc mihi expetendum puto. Huic meæ voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii, ad sanandum vulnus injuriæ, ut faveas, adjutórque sis, quod paulo antè me negaram rogaturum, vehementer te rogo: sed ita, si non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi, & contemnendum videbitur, sed tale, atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores summos à senatu consecuti sint. Equidem etiam mihi illud animadvertisse

14. *Provinciam*] Orat. in Pison. cap. 2.

15. *Nunc*] Ut, si quam anteà, pulsus in exilium, dignitatis jacturam fecisset, honore novo ita sarciret, ut de pristino statu detractum nihil, additum potiùs aliquid ad gloriam videretur. Causam hanc attigit ep. 6. lib. VI. ad Att. his verbis: *Amicorum literæ me ad triumphum vocant, rem à nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam.* IDEM.

ſe videor, (ſcis enim, quàm attentè te audire ſoleam) te non tam res geſtas, quàm mores, inſtituta, atque vitam imperatorum ſpectare ſolere, in habendis aut non habendis honoribus. Quod ſi in mea cauſa conſiderabis, reperies, me exercitu imbecillo contra metum maximi belli, firmiſſimum præſidium habuiſſe, æquitatem & continentiam. His ego ſubſidiis ea ſum conſecutus, quæ nullis legionibus conſequi potuiſſem: ut ex alieniſſimis ſociis amiciſſimos, ex infideliſſimis firmiſſimos redderem, animóſque novarum rerum expectatione ſuſpenſos, ad veteris imperii benevolentiam traducerem. Sed nimis hæc multa de me, præſertim ad te, à quo uno omnium ſociorum querelæ audiuntur. Cognoſces ex iis, qui meis inſtitutis ſe recreatos putant. Cúmque omnes uno propè conſenſu de me apud te ea, quæ mihi optatiſſima ſunt, prædicabunt: tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus inſula, & Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur: puto etiam regem Dejotarum, qui uni tibi eſt maximè neceſſarius. Quæ ſi etiam majora ſunt: & in omnibus ſeculis pauciores viri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quàm qui hoſtium copias vincerent: eſt profectò tuum, cùm ad res bellicas hæc, quæ rariora & difficiliora ſunt, genera virtutis adjunxeris, ipſas etiam illas res geſtas [16] juſtiores eſſe & majores putare. Extremum illud eſt, ut, quaſi diffidens rogationi meæ, philoſophiam ad te allegem: quâ nec *mihi* carior ulla unquam res in vita fuit, nec hominum generi majus à diis munus ullum eſt datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum communis eſt, ſocietas ſtudiorum atque artium noſtrarum, quibus à pueritia dediti ac devincti, ſoli propemodum nos philoſophiam illam veram & antiquam, quæ quibuſdam otii eſſe ac deſidiæ videtur, in forum, atque in rempublicam, atque in ipſam [17] aciem penè deduximus, tecum agit de mea laude; cui [18] negari à Catone fas eſſe non puto. Quemobrem tibi ſic perſuadeas

16. *Juſtiores*] Man. *Illuſtriores.*

17. *In ipſam aciem*] Otio & deſidiæ, forum, rempublicam aciem opponit. *Aciem* autem pro ſumma contentione poſuit, non quaſi tertium quiddam, à duobus proximè dictis, id eſt à foro & à republica diverſum, ſed quod & foro, & reipublicæ jungatur: quaſi dixerit, in majores & fori, & reipublicæ contentiones. Qua ſimilitudine lib. I. de Orat. *forenſem aciem* appellavit. MANUT.

18. *Negari*] Negavit tamen. Ep. ſeq. & lib. VIII. ep. 11. & ad Att. ep. 1. 2. lib. VII. In.

Digitized by Google

suadeas velim: si mihi tuâ sententiâ tributus honos ex meis literis fuerit, me sic existimaturum, cùm auctoritate tuâ, tum benevolentiâ erga me, mihi, quod maximè cupierim, contigisse. Vale.

M. CATO M. T. C. IMP. S. P. D.

Quod & respublica me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industriâ [1] *administrare gaudeam. Itaque, quod pro meo judicio facere potui, ut innocentiâ consilióque tuo defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem, sententiâ meâ & decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuitò, sed summâ tuâ ratione & continentiâ, reipublicæ provisum est, diis immortalibus gratulari nos, quàm tibi referre acceptum mavis,* [2] *gaudeo. Quòd si triumphi* [3] *prærogativam putas, supplicationem; & idcircò casum potiùs, quàm te laudari mavis, neque supplicationem sequitur semper triumphus, & triumpho multò clarius est, senatum judicare, potiùs mansuetudine & innocentiâ imperatoris, provinciam, quàm vi militum, aut benignitate deorum retentam atque conservatam esse: quod ego meâ senten-*

ARG. Excusat se, quòd supplicationem non decreverit: & tamen decretam gaudet: séque honorificentiùs dicit sensisse, quàm eos, qui supplicationem decreverant. *An.* U. C. 703.

1. *Administrare*] Sæpe ponitur absolutè subintellecto rem, ut id quod administratur. Primus immutavit hanc scripturam P. Victorius, sed perperàm. GRÆVIUS.

2. *Gaudeo*] Si tu mavis, ea, quæ pro republica fecisti, non rationi & continentiæ tuæ, sed diis immortalibus tribui; supplicationem decretam gaudeo. MANUT.

3. *Prærogativam*] Quia prærogativæ tribûs vel centuriæ tantus erat suspectus & reverentia apud jure vocatos in comitiis, factum, ut vox ipsa *prærogativæ* acciperetur pro secundo omine, certo signo, indicióque & pignore, ac quasi arrhabone futuræ rei optatæ vel secundæ. Cic. act. I. in Verr. *Qui quàm sit isti amicus attendite: dedit enim prærogativam suæ voluntatis ejusmodi, ut isti pro prærogativis eam reddidisse videatur.* Liv. lib. III. *Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iisdem tribunis plebis sequerentur.* Et lib. XXI. *In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem, quâ extemplo juvenis Annibal in prætorium delatus, imperatórque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur.* GRONOV. lib. IV. Observ. cap. I.

Digitized by Google

sententiâ censebam. Atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maximè volo, existimes me laborare, ut tibi persuadeam, me & voluisse de tua majestate, quod amplissimum sim arbitratus; &, quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, & nos dilige, & instituto itinere severitatem diligentiámque sociis, & reipublicæ præsta.

M. T. C. M. CATONI S. P. D.

6 LÆTUS [1] *sum laudari me*, inquit Hector, opinor, apud Nævium, *abs te, pater, à laudato viro.* Ea est enim profectò jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Ego verò vel gratulatione literarum tuarum, vel testimoniis sententiæ dictæ, nihil est quod me non assecutum putem. Idque mihi cùm amplissimum, tum gratissimum est, te libenter amicitiæ dedisse, quod liquidò veritati dares. Et, si non modò omnes, verùm etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est; quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum sensum, & [2] ad illud sincerum ac subtile judicium, nihil potest esse laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ est ad me perscripta à meis necessariis. Sed causam meæ voluntatis, non enim dicam cupiditatis, exposui tibi superioribus literis: quæ etiam si parùm justa tibi visa est, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiscendus honos, sed tamen, si deferatur à senatu, minimè aspernandus esse videatur. Spero autem, illum ordinem, pro meis ob rempublicam susceptis laboribus, me non indignum [3] honore, usitato præsertim, existimaturum. Quod si ita erit, tantùm ex te peto quod amicissimè scribis, ut, cùm tuo judicio, quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris, si id

ARG. Quantam ex Catonis laudatione voluptatem ceperit, cum ipsius laude eximia exponit, petitque, si favere noluerit in adipiscendo triumpho, saltem, si adipiscatur, gaudeat. *Anno* U. C. 703.

1. *Lætus sum*] Tuscul. IV. 31.

2. *Ad illud sincerum ac subtile judicium*] Quasi non sincerè, nec subtiliter judicent, qui aliter sentiunt. Pronomen, *illud*, non commune, sed singulare quiddam hîc designat: ut epist. 9. lib. VIII. *Si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris.* Et pro Marcello: *Illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna.* Et alibi. MANUT.

3. *Honore*] Trinmpho: uam supplicationem senatus jam decreverat. IDEM.

Digitized by Google

si id quod maluero acciderit, gaudeas. Sic enim fecisse te, & sensisse, & veriùs scripsisse video; résque ipsa declarat tibi illum honorem nostrum supplicationis jucundum fuisse, quòd scribendo affuisti. Hæc enim senatus-consulta non ignoro ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere. Ego, ut spero, te propediem videbo, atque utinam republicâ meliore, quàm timeo. Vale.

M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO COS. DESIGN. S.P.D.

MAXIMA sum lætitiâ affectus, cùm audivi te [1] consulem factum esse: eúmque honorem tibi deos fortunare volo, atque à te pro tua parentísque tui dignitate administrari. Nam cùm te semper amavi, dilexique, tum mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis: & sum totus vester, & esse debeo: cùm præsertim matris tuæ, gravissimæ atque optimæ fœminæ, majora erga salutem dignitatémque meam studia, quàm erant à muliere postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto majorem in modum, ut me absentem diligas, atque defendas. Vale. 7

ARG. C. Marcello, Marci patrueli, de consulatu gratulatur, postquam audivit designatum esse. *Anno* U. C. 702.

1. *Consulem*] Cum L. Æmilio Paulo.

M.T.C. PROC. C. MARCELLO [1] COLLEGÆ S.P.D.

MARCELLUM tuum, consulem factum, téque eâ lætitiâ affectum esse, quàm maximè optasti, mirandum in modum gaudeo: idque cùm ipsius causâ, tum quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam denique domum vestram, vel salutis, vel dignitatis meæ studiosissimam cupidissimámque cognovi. Quare gratum 8

ARG. C. Marcello auguri de filii Caii consulatu gratulatur, petítque ut se absentem defendat. *Anno* U. C. 702.

1. *Collegæ*] In Auguratu. *Divin.* II. 35.

mihi feceris, si uxori tuæ Juniæ, gravissimæ atque optimæ fœminæ, meis verbis eris gratulatus. A te id, quod suesti, peto, me absentem diligas, atque defendas. Vale.

M.T.C. Procos. M. Marcello Cos. S.P.D.

9 Te & pietatis in tuos, & animi in rempublicam, & clarissimi atque optimi consulatûs, C. Marcello consule facto, fructum cepisse, vehementer gaudeo. Non dubito, quid præsentes sentiant: nos quidem longinqui, & à te ipso missi in ultimas gentes, ad cælum mehercule te tollimus verissimis ac justissimis laudibus. Nam, cùm te à pueritia tua unicè dilexerim, túque me in omni genere semper amplissimum esse & volueris, & judicaris: tum hoc vel [1] tuo facto, vel populi Romani de te judicio, multo acriùs vehementiúsque diligo: maximáque lætitiâ afficior, cùm ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, [2] vel me tui similem esse audio, vel te mei. Unum verò si addis ad præclarissimas res consulatûs tui, ut aut mihi succedat quàm primùm aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & senatus-consulto & lege finisti, omnia me per te consecutum putabo. Cura ut valeas, & me absentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse publicè, propterea ne pro familiaritate quidem nostrâ volui ad te scribere: ne, cùm ad consulem scripsissem, publicè viderer scripsisse.

M. T. C.

Arg. M. Marcello gratulatur de fratre patruele consule facto: petítque, ut sibi quam primùm, annuo imperio finito, successor mittatur. *Anno* U. C. 702.

1. *Tuo facto*] Quod operâ, gratiâ, studio tuo factum sit, ut consul crearetur C. Marcellus patruelis frater tuus. Manut.

2. *Vel me tui similem esse audio, vel te mei*] Comparari solitum Ciceroni M. Marcellum, & judicari simillimum, hic locus, & alter in Bruto declarat. Interroganti enim Ciceroni, Quid de Marcello judicas, quem sæpe audisti? respondet Brutus: *Quid censes, nisi id, quod habiturus es similem tui?* Et infrà: *Itaque cùm eum antè tui similem in dicendo viderim; tum verò nunc, à doctissimo viro Cratippo instructum omni copiâ, multò videbam similiorem.* Idem.

Digitized by Google

M.T.C. IMP. C. MARCELLO C. F. COS. DESIGN. S.P.D.

QUANDO id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut omnium Marcellorum, [1] Marcellinorum etiam, (mirificus enim generis ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium veſtrûm ſtudio tuus conſulatus ſatisfacere poſſet, in quem meæ res geſtæ, laúſque & honos earum potiſſimùm incideret: peto à te id, quod facillimum factu eſt, non aſpernante, ut confido, ſenatu, ut quàm honorificentiſſimum ſenatus-conſultum, literis meis recitatis, faciendum cures. Si mihi tecum minus eſſet, quàm eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me ſunt ampliſſima: neque enim ſaluti meæ, neque honori amicior quiſquam dici poteſt. Frater tuus quanti me faciat, ſempérque fecerit, eſſe hominem qui ignoret arbitror neminem. Domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officiis proſecuta eſt. Neque verò tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum. Quare à te peto majorem in modum, ut me per te quàm ornatiſſimum velis eſſe: meamque & in ſupplicatione decernenda, & in cæteris rebus exiſtimationem ſatis tibi eſſe commendatam putes. Vale. 10

ARG. Commendat ſtudiosè ſuam exiſtimationem conſuli C. Marcello in ſupplicatione decernenda. *Anno* U. C. 703.

1. *Marcellinorum*] Eorum etiam, qui ex familia veſtra in alias adoptione tranſierunt. MANUTIUS.

M. T. C. IMP. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

QUANTÆ curæ tibi meus honos fuerit, & quàm idem extiteris conſul in me ornando, & amplificando, qui fueras ſemper cum [1] parentibus tuis & cum tota domo, etſi res ipſa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis. Itaque 11

 nihil

ARG. Supplicatione ſibi decretâ, gratias agit conſuli, & propediem ad urbem ſe fore ſignificat. *Anno* U. C. 703.

1. *Parentibus*] Etiam matre. Suprà, ep. 8.

nihil est tantum, quod ego non tuâ causâ debeam, facturúsque sim cùm studiosè, tum libenter. Nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi: cui me cùm studia communia, beneficia paterna, tuáque jam antè conjunxerant; tum accedit, meâ quidem sententiâ, maximum vinculum, quòd ita rempublicam geris, atque gessisti, quâ mihi carius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minùs tantundem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim hi sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo. Vale.

M. T. C. Imp. L. Paulo Cos. design. S. P. D.

12 Etsi mihi nunquam fuit dubium, quin te populus Romanus pro tuis summis in rempublicam meritis, & pro amplissima [1] familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis consulem facturus esset: tamen incredibili lætitiâ sum affectus, cùm id mihi nuntiatum est: eúmque honorem tibi deos fortunare volo, à téque ex tua, majorúmque tuorum dignitate administrari. Atque utinam præsens [2] illum diem mihi optatissimum videre potuissem, próque tuis amplissimis erga me studiis atque beneficiis tibi operam meam studiúmque [3] navare. Quam mihi facultatem cùm hic nec opinatus & improvisus provinciæ casus eripuit, tamen, ut te consulem rempublicam pro tua dignitate gerentem videre possim, magnopere à te peto, ut operam des, efficias, ne quid mihi fiat injuriæ, néve quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

Arg. Gratulatur Paulo de consulatu, & ne sibi provincia prorogetur, rogat. *Anno* U. C. 702.

1. *Familiæ*] Æmilia gens, patricia.
2. *Illum diem*] Comitiorum. Corrad.
3. *Navare*] In petitione consulatûs. Id.

Digitized by Google

M. T. C. Imp. L. Paulo Cos. S. P. D.

Maxime mihi fuit optatum Romæ esse tecum, multas 13
ob causas, sed præcipuè, ut & in petendo & in gerendo consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen navare operam volebam. In consulatu verò cupio equidem te minus habere negotii: sed molestè fero, me consulem studium tuum adolescentis perspexisse, te meum, cùm id ætatis sim, perspicere non posse. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetat præter voluntatem. Ornasti consulatum, ornasti [1] reditum meum: incidit meum tempus rerum [2] gerendarum in ipsum consulatum tuum. Itaque cùm & tua summa amplitudo & dignitas, & meus magnus honos magnáque existimatio postulare videatur, ut à te plurimis verbis contendam ac petam, ut quàm honorificentissimum senatus-consultum de meis rebus gestis faciendum cures, non audeo vehementer à te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam: atque ab eo, quem omnes gentes sciunt de me optimè meritum, breviter petam. Si alii consules essent, ad te potissimùm, Paule, mitterem, ut eos mihi quàm amicissimos redderes: nunc cùm tua summa potestas, summáque auctoritas, notáque omnibus nostra necessitudo sit, vehementer te rogo, ut & quàm honorificentissimè cures decernendum de meis rebus gestis, & quàm celerrimè. Dignas res esse honore & gratulatione, cognosces ex iis literis, quas ad te, & collegam, & senatum publicè misi: omniúmque mearum reliquarum rerum, maximéque existimationis meæ procurationem susceptam velim habeas. In primísque tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te consulem videre, omniáque spero, cùm absens, tum etiam præsens, te consule assequi.

Arg. A consule petit, ut supplicationes sibi decernat. *Anno* U. C. 703.

1. *Reditum meum*] Ab exilio. Manut.
2. *Gerendarum*] In provincia. Idem.

M.T.C. Imp. C. Cassio Proquæst. S.P.D.

14 MArcum Fabium quòd mihi amicum tuâ commendatione das, nullum in eo facio quæstum. Multi enim anni sunt, cùm ille in ære meo est, & à me diligitur propter summam suam humanitatem & observantiam. Sed tamen, quòd te ab eo egregiè diligi sensi, multò amicior ei sum factus. Itaque, quanquam profecerunt literæ tuæ, tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te, mihi perspectus & cognitus. Sed de Fabio faciemus studiosè, quæ rogas: tu multis de causis vellem me [1] convenire potuisses: primùm, ut te, quem jamdiu plurimi facio, tanto intervallo viderem: deinde, ut tibi, quod feci per literas, possem præsens gratulari: tum, ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: postremò, ut amicitia nostra, quæ summis officiis ab utroque culta est, sed longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementiùs. Id quando non accidit, utemur bono literarum, & eadem ferè absentes, quæ, si coràm essemus, consequemur. Unus scilicet fructus, qui in te videndo est, percipi literis non potest. Alter, gratulationis est, is quidem exilior, quàm si tibi te ipsum intuens gratularer. Sed tamen & feci antè, & facio nunc, tibique cùm pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum [2] pro opportunitate temporis gratulor, quòd te de provincia decedentem summa laus & summa gratia provinciæ prosecuta est. Tertium est, ut id quod de nostris rebus coràm communicassemus inter nos, conficiamus idem literis. Ego cæterarum rerum causâ tibi Romam properandum magnopere censeo. Nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant: & hac tuâ recenti [3] victoriâ tantâ, clarum adventum tuum fore intelligo. Sed, si quæ

Arg. Facturum se Fabii causâ, quæ rogaverat Cassius, pollicetur: quem dolet non vidisse ad urbem è provincia redeuntem. Rogat, operam det, ne sibi temporis aliquid accedat ad annum provinciæ. *Anno* U. C. 703.

1. *Convenire potuisses*] In Cilicia, cùm ad urbem redires. Cellarius.

2. *Pro opportunitate temporis*] Hoc videtur dicere, quia parabatur in eum accusatio, fortasse de repetundis. Nam avaritiæ nomine malè audiit Cassius. Quod & Plutarchus in Bruti vita narrat: & Cælii quoque testimonio cognoscitur, ep. 10. lib. viii. Manut.

3. *Victoriâ*] Parthos enim Cassius fudit, fugavitque post adventum Ciceronis in provinciam. Id ostendit ep. 10. lib. ii. Idem.

Digitized by Google

quæ ſunt [4] onera tuorum, [5] ſi tanta ſunt, ut ea ſuſtinere poſſis, propera: nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius. Sin majora: conſidera, ne in alieniſſimum tempus cadat adventus tuus. Hujus rei totum conſilium tuum eſt: tu enim ſcis, quid ſuſtinere poſſis. Si potes: laudabile atque populare eſt. Sin planè non potes: abſens hominum ſermones faciliùs ſuſtinebis. De me autem idem tecum his ago literis, quod ſuperioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & ſenatus & populus annuam eſſe voluit, temporis prorogetur. Hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas poſitas putem. Habes Paulum noſtrum noſtri cupidiſſimum: eſt [6] Curio, eſt Furnius. Sic velim enitare, quaſi in eo ſint mihi omnia. Extremum illud eſt de iis, quæ propoſueram, confirmatio noſtræ amicitiæ; de qua pluribus verbis nihil opus eſt. Tu puer me appetiſti; ego autem ſemper ornamento te mihi fore duxi. Fuiſti etiam præſidio triſtiſſimis meis temporibus. Acceſſit poſt tuum diſceſſum familiaritas mihi [7] cum Bruto tuo maxima. Itaque in veſtro ingenio & induſtriâ mihi plurimum & ſuavitatis & dignitatis conſtitutum puto. Id tu ut tuo ſtudio confirmes, te vehementer rogo: literáſque ad me & continuò mittas, &, cùm Romam veneris, quàm ſæpiſſime. Vale.

4. *Onera tuorum*] Quæ ſunt hæc onera? opinor vel propinquus aliquis Caſſii, vel amicus, qui cum eo fuiſſet in provincia, pecuniæ contra leges captæ, aut ereptæ accuſabatur: qui ſi damnatus eſſet, manifeſtum præjudicium fuiſſet in Caſſium. MANUT.

5. *Si tanta ſunt*] *Tanta*, minuit hìc potiùs, quàm auget magnitudinem: ut ep. 8. lib. VIII. *Si aut non erit iſtic bellum, aut tantum erit, ut vos, aut ſucceſſores, parvis additis copiis, ſuſtinere poſſint.* IDEM.

6. *Curio... Furnius*] Tribuni plebis.

7. *Cum Bruto tuo*] M. Bruto: cujus ſoror uxor erat Caſſii. IDEM.

M. T. C. CASSIO S. P. D.

ETSI [1] uterque noſtrûm, ſpe pacis, & odio civilis ſanguinis, abeſſe à belli pertinacia voluit: tamen, quando ejus 15
conſilii princeps ego fuiſſe videor, [2] plus fortaſſe tibi præſtare ipſe

ARG. Conſilium ſuum de non renovando civili bello demonſtrat: Cæſaris clementiam laudat; Italiæ gemitus oſtendit: Caſſii ſententiam de futuris exquirit. Cæſare iterum & Servilio Coſſ. *Anno* U. C. 707.

1. *Uterque noſtrûm*] Uterque enim, victo in Pharſalia Pompeio, ab armis diſceſſit, verùm prior Cicero: propterea ſubjungit: *Ejus conſilii princeps ego fuiſſe videor.* MANUT.

2. *Plus fortaſſe*] Efficere ipſe debeo, ne te poeni-

Digitized by Google

ipſe debeo, quàm à te expectare. Etſi, ut ſæpe ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus, adduxit utrumque noſtrum ad id conſilium, ut uno prælio putaremus, ſi non totam cauſam, at certè noſtrum [3] judicium definiri convenire. Neque quiſquam hanc noſtram ſententiam verè unquam reprehendit, præter eos qui arbitrantur melius eſſe deleri omnino rempublicam, quàm imminutam & debilitatam manere. Ego autem ex interitu ejus nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. Sed ea ſunt conſecuta, ut magis mirum ſit accidere illa potuiſſe, quàm nos non vidiſſe ea futura: nec, homines cùm eſſemus, divinare potuiſſe. Equidem fateor meam conjecturam hanc fuiſſe, ut, illo quaſi quodam fatali prælio facto, & victores communi ſaluti conſulere vellent, & victi ſuæ. Utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar in celeritate victoris. Quæ ſi fuiſſet, eandem clementiam experta eſſet [4] Africa, [5] quam cognovit Aſia: quam etiam Achaia, &, ut opinor, ipſo [6] legato ac deprecatore. Amiſſis autem temporibus, quæ plurimùm valent, præſertim in bellis civilibus, [7] interpoſitus annus [8] alios induxit ut victoriam ſperarent, alios, ut ipſum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna ſuſtinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adjunctum iri, aut [9] neſcio quem iſtum Pharnacem

---

pœniteat conſilii tui, non à te expectare, ut ea ſcribas ad me, quibus in ſententia confirmer. Hoc præponit, quia dicturus erat, quod in extremo poſuit: *Velim ſcribas ad me, quid videas, quid expectandum, quid agendum nobis exiſtimes.* Hanc enim ob cauſam ſcripſiſſe videtur has literas. MANUT.

3. *Judicium*] Ut arma deponeremus. Judicare enim ex una pugna potuimus, perſequi nos belli civilis extrema non debere. IDEM.

4. *Africa*] Pompeiani, qui ſe poſt Pharſalicum prælium in Africam contulerant. Metonymia: nam ab eo, quod continet, ſignificatur id, quod continetur. IDEM.

5. *Quam cognovit Aſia*] Quam cognoverunt ii, qui poſt Pharſalicam pugnam ſe in Aſiam, & in Achaiam receperunt. IDEM.

6. *Legato, ac deprecatore*] Non expectaſſet Cæſar, ut Pompeiani legatos ad eum, qui deprecarentur, mitteret: ſed ipſe ad eos, quæ eſt ejus humanitas & clementia, ultrò iviſſet, atque ut pace factâ reconciliarentur, deprecatus eſſet. MANUT. Cæſarem hîc legatum fingit Manutius, quod nullo modo procedit. Fortè, *Te, ut opinor, ipſo allegato ac deprecatore.* Te apud Cæſarem pro iis interveniente. J. F. GRONOV.

7. *Interpoſitus annus*] Inter pugnam Pharſalicam, & id tempus, quo Cæſar, conſumptis (ut ait Appianus) in Alexandrino bello novem menſibus, Pharnacem devicit. MAN.

8. *Alios*] Pompeianorum, bellum in Africa renovantium, duo genera ponit: quorum alii, anno poſt Pharſaliæ cladem interpoſito, in ſpem victoriæ venerant: alii, licet victoriam non ſperarent, pugnare tamen ſtatuerant, ita animati, ut etiam ſi contigiſſet, ut vincerentur, non laborarent. IDEM.

9. *Neſcio quem iſtum Pharnacem*] Quem nemo

cem Asiæ terrorem illaturum putaret? Nos tamen, in [10] consilio pari, [11] casu dissimili usi sumus. Tu enim eam partem petisti, ut & [12] consiliis interesses, &, quod maximè curam levat, futura animo prospicere posses. Ego, qui [13] festinavi ut Cæsarem in Italia viderem, (sic enim arbitrabamur) eúmque multis honestissimis viris conservatis redeuntem, ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem: ab illo longissimè & absum, & absui. Versor autem in gemitu Italiæ, & in urbis [14] miserrimis querelis: quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset, si [15] auctor affuisset. Quare velim pro tua perpetua erga me benevolentia, scribas ad me, quid videas, quid sentias, quid expectandum, quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuæ literæ. Atque utinam [16] primis illis, quas [17] Luceriâ miseras, paruissem: sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem. Vale.

---

nemo tanti roboris putavit, ut Asiæ terrorem inferret. Mithridatis filius fuit: quo Cæsar mox unicâ pugnâ superato, scripsit ad amicos: *Veni, vidi, vici.* IDEM.

10. *Consilio pari*] Discedendi ab armis.

11. *Casu dissimili*] Hoc explanatur sequentibus verbis: quorum sententia, collecta breviter hæc est: Tu te ad Cæsarem ipsum contulisti, ut cum eo esses: ego me Brundusium, ut eum expectarem. IDEM.

12. *Consiliis interesses*] Cæsaris. Cassius enim cum classe in Hellesponto Cæsari occurrens, non solùm ei se tradidit, verùm etiam apud eum mansit. Dio lib. 42. IDEM.

13. *Festinavi*] Cujus eum consilii graviter pœnituit, ad Att. ep. 6. & 9. lib. XI. IDEM.

14. *Miserrimis querelis*] Propter scelera & seditiones M. Antonii, magistri equitum, & L. Trebelli, atque P. Dolabellæ tribuni plebis. CORRAD.

15. *Auctor*] Cæsar. IDEM.

16. *Primis illis*] Quibus suadebas, ut omninò ab armis abstinerem. MANUT.

17. *Luceriâ*] Oppidum Apuliæ infra Teanum, ad fluvium Cerbalum.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

PUTO te jam suppudere, cùm hæc te tertia jam epistola 16
antè oppressit, quàm tu [1] schedulam, aut literam. Sed non urgeo. Longiores enim expectabo, vel potiùs exigam. Ego, si semper haberem cui darem, vel ternas in hora darem. Fit enim nescio quid, ut quasi coràm adesse videare, cùm scribo aliquid

---

ARG. Jocatur in opiniones Epicureas, & in ipsum Cassium, Epicureæ philosophiæ studiosum. *Anno* U. C. 708.

1. *Schedulam*] Ita vulgò: sed Victorius ex MSS. mavult *scidulam*. Vid. *Attic.* L. 20. *Syllabam* legit Lamb. item ex MSS.

Digitized by Google

ad te: neque id [2] καθ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui [3] amici novi: qui putant etiam [4] διανοητικὰς φαντασίας [5] spectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, [6] Catius Insuber, Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille [7] Gargettius, [8] etiam antè Democritus, εἴδωλα, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent [9] feriri, quòd vel iis ipsa occurrunt: animus quî possit, ego non video. Doceas tu me oportebit, cùm salvus veneris, in meáne potestate sit spectrum tuum, ut, simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque solùm de te, qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus. Sed hæc posteriùs. Tento enim te, quo animo accipias. Si enim stomachabere & molestè feres, plura dicemus: postulabimúsque, ex qua [10] hæresi, [11] *vi, hominibus armatis* dejectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, [12] *In hoc anno*. Quare si jam biennium, aut triennium est, cùm virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit. Quan-

---

2. *Καθ' εἰδώλων φαντασίας*] Quod Græcè *φαντασίας*, Latinè *visum* dici posse, ait Cicero Acad. 1. Hîc igitur interpretamur, *per spectrorum visa*. Putabant igitur Epicurei, si quis aliquam rem cogitaret, ejus rei spectrum & imaginem ad cogitantis animum advolare. De qua opinione dubitat Cicero, & in eo jocatur. MANUT.

3. *Amici novi*] Epicurei, quorum dogmata Cassius ante biennium probare cœperat. IDEM.

4. *Διανοητικὰς φαντασίας*] Mentis, vel intelligentiæ visa. IDEM.

5. *Spectris Catianis*] Cogitationibus illis, quæ spectra Catius vocabat, Epicurus & Democritus εἴδωλα. IDEM.

6. *Catius*] Hic scripsit quatuor libros de rerum natura, & de summo bono, de quo Quintilianus, X. 1, ita scribit: *In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Catius.* CORRAD.

7. *Gargettius*] Epicurus, à patria.

8. *Etiam*] Lege, *& jam*: admonente Thoma Wopkensio, Lect. Tullian. I. 5.

9. *Quòd vel iis ipsa occurrunt*] Affert rationem, quare difficiliùs credat nos de aliquo cogitare occursu simulacrorum, quàm eorundem incursu videre quippiam (videre autem nos διὰ τῆς τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως censebant Democritus & Epicurus: quod in epistola ad Atticum etiam ostendit Cicero, in qua disputat de fenestrarum angustiis.) *Quod si*, inquit, his spectris oculos feriri posse concesserim (vix autem hoc concedit, ut spectra cùm sint tam εὐπαθῆ, oculos ferire possint). sed si concesserim, inquit, videbor aliquâ ratione facere, quòd saltem oculis spectra occurrunt, ut possint τῇ ἐμπτώσει, & occursu visionem conficere & excitare. Quomodo autem animus & διάνοια feriri possint, non video. VICTOR.

10. *Hæresi*] Hoc est, secta philosophorum. *Hæresis* enim aqud Græcos & Latinos in bonam partem accipiebant olim, ut & *secta*, etiam apud primos Christianos. Fortasse autem Stoica fuit aut Academica secta, quam deseruit. GRÆVIUS.

11. *Vi, hominibus armatis*] Est formula solemnis in interdicto prætorio UNDE VI, quo aliquis in possessionem suam, de qua vi & armatis hominibus erat deturbatus, restituebatur. De qua vide lib. VII. ep. 13. IDEM.

12. *In hoc anno*] Quod addi solebat in omnibus interdictis. MANUT.

Digitized by Google

Quanquam qui-cum loquor? cum uno fortissimo viro: qui postea quàm [13] forum attigisti, nihil fecisti nisi plenissimum amplissimæ dignitatis. In ista ipsa αἱρέσει metuo ne plus nervorum sit, quàm ego putarim, si modò eam tu probas. Quid tibi in mentem venit? inquies. Quia nihil habebam aliud, quod scriberem. De republica enim nihil scribere possum: neque enim, quod sentio, libet scribere. Vale.

13. *Forum attigisti*] Virilem togam induisti. Vide superiùs ad lib. v. ep. 11.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

PRÆPOSTEROS habes tabellarios: etsi me quidem non 17
offendunt, sed tamen, cùm à me discedunt, flagitant literas; cùm ad me veniunt, nullas afferunt. Atque id ipsum facerent commodiùs, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed petasati veniunt: comites ad portam expectare dicunt. Ergo ignosces: [1] alteras habebis has breves: sed expecta [2] πάντα περὶ πάντων. Etsi quid ego me tibi purgo, cùm tui ad me inanes veniant, ad te cum epistolis revertantur? Nos hîc, (tamen ad te scribam aliquid) [3] D. Syllam patrem mortuum habebamus. Alii à latronibus, alii cruditate dicebant. Populus non curabat: combustum enim esse constabat. Hoc tu pro sapientia tua feres æquo animo. Quanquam [4] πρόσωπον πόλεως amisimus. Cæsarem putabant molestè laturum, verentem ne hasta [5] refrixisset.

ARG. Queritur de importunis tabellariis, narrat de P. Syllæ morte, bello Hispaniensi, Pansæ profectione in provinciam: Cassii consilium probat Brundusinæ mansionis; literas mutuas poscit. *Anno* U. C. 708.

1. *Alteras habebis has breves*] Nos putamus punctis malè distinctas esse has dictiones: ut longè diversum sensum præ se ferant à vero, nisi fallimur: non enim *alteras habebis*, intelligimus, quòd alias longiores pleniorésque nunc polliceatur, ideóque æquiore animo velit ferre illum harum brevitatem: nam id paulo pòst largè promittit verbis illis, *sed expecta πάντα περὶ πάντων*. Sed ignosci sibi vult, quòd hæ non solùm breves sint, sed alias etiam antè breves acceperit, ut hæ sint jam secundæ literæ ad eum scriptæ breves. VICTOR.

2. Πάντα] Omnia de omnibus: longissimas literas de omnibus rebus. MANUT.

3. *D. Syllam*] Stephanus Pighius monuit in fastis suis ad annum urbis conditæ DCCII. legendum hîc & infrà *D. Sylanum*. GEBH. Sed quando lib. IX. ep. 10. iisdem penè verbis de *P. Sylla* res eadem narratur, non dubito quin *P. Sylla* hîc legendum sit. ERNEST.

4. Πρόσωπον πόλεως] Specimen civitatis. Ironia. Vel, amisimus hominem, unde scire posses quàm corruptâ civitate utamur.

5. *Refrixisset*] Vide lib. IX. ep. 10.

Digitized by Google

ſet. Mindius Marcellus & Attius pigmentarius valde gaudebant, ſe [6] adverſarium perdidiſſe. De Hiſpania novi nihil; ſed expectatio valde magna: rumores triſtiores, ſed [7] ἀδέσποτοι. Panſa noſter paludatus a. d. III Kalend. Jan. [8] profectus eſt, ut quivis intelligere poſſet id, quod tu [9] nuper dubitare cœpiſti, [10] τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe. Nam quòd multos [11] miſeriis levavit, & quòd ſe in his malis [12] hominem præbuit, mirabilis eum virorum bonorum benevolentia proſecuta eſt. Tu quòd adhuc Brunduſii moratus es, valde probo & gaudeo: & mehercule puto te ſapienter facturum, ſi [13] ἀκενόσπουδος fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum. Et, amabo te, cùm dabis poſthac aliquid domum literarum, mei memineris. Ego nunquam quemquam ad te, cùm ſciam, ſine meis literis ire patiar. Vale.

6. *Adverſarium*] In emendis Pompeianorum bonis. Manutius.
7. Ἀδέσποτοι] Sine auctore.
8. *Profectus*] In provinciam Galliam.
9. *Nuper*] Epicureus factus.
10. Τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν] Honeſtum propter ſe expetendum.
11. *Miſeriis levavit*] Valebat enim apud Cæſarem auctoritate. Idem.
12. *Hominem præbuit*] Humaniſſimè ſe geſſit: afflictis opem tulit. Sic Terent. in Heaut. *Homo ſum: humani nihil à me alienum puto.* Idem.
13. Ἀκενόσπουδος] Minimè curioſus, inanium rerum ſtudio vacans, rumuſculos cujuſque rei non captans. Idem.

M. T. C. C. Cassio S. P. D.

18 Longior epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore petita eſſet à me, cùm jam iretur ad te: longior etiam, ſi [1] φλύαρον aliquem habuiſſet. Nam [2] σπουδάζειν ſine periculo vix poſſumus. Ridere igitur, inquies, poſſumus. Non mehercule facillimè: veruntamen aliam aberrationem à moleſtiis nullam habemus. Ubi igitur, inquies, philoſophia? [3] Tua quidem in culina, mea moleſta

Arg. Epiſtolæ brevitatem excuſat: triſtitiam temporum accuſat; nihil ex Hiſpania afferri ſignificat. *Anno* U. C. 708.

1. Φλύαρον] Garrulum. Si garrulum habuiſſet auctorem: ſi is eſſem, qui nugis fabuliſque ſcribendis delectarer.
2. Σπουδάζειν] Seriò agere, graves res tractare. Manut.
3. *Tua quidem*] Manutius putabat legendum olim, teſte Lambino, *Tua quidem, in culina: mea, in palæſtra eſt.* Quam tamen conjecturam ipſe probare non potuit, ſed hanc cujuſdam amici ſui, *Tua quidem, in culina: mea, in moleſtia eſt.* Guilielmius pro *in moleſtia eſt*, putabat, *in moleſtra eſt.* Videndus Feſtus. Gebhard. Ad gravem quæſtionem ne nihil dicat, ridiculè reſpondet. *In culina*, quia voluptatem ſequens Epicuri: *in palæſtra*, quia mihi placent, qui virtutem & laborem præferunt. J. F. Gronov.

Digitized by Google

lesta est. [4] Pudet enim servire. Itaque [5] facio me alias res agere, ne convicium [6] Platonis audiam. [7] De Hispania nihil adhuc certi, nihil omninò novi. Te abesse, meâ causâ molestè fero: tuâ, gaudeo. Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur; méque, ut à puero fecisti, amabis.

4. *Pudet enim servire*] Aliquid agere publicè, quia qui partem reip. tractat, is se componere ad nutum unius necesse habet. Id.

5. *Facio me alias res agere*] Fingo me rerum aliarum satagere. Idem.

6. *Platonis*] Videtur alludere ad id, quod refert epist. 9. l. 1. *Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ reipublicæ fuisse, quòd cùm offendisset populum Atheniensem propè jam desipientem senectute, &c.* Ne Plato me arguat, quòd tali tempore attingere velim rempublicam. Idem.

7. *De Hispania*] De bello Cæsaris adversus Pompeii filios. Cellarius.

C. Cassius M. T. Ciceroni S. P. D.

Non mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentius facio, quàm scribo ad te. Videor enim cum præsente loqui, & jocari. Nec tamen hoc usu venit propter [1] *Spectra Catiana: pro quo tibi proximâ epistolâ tot rusticos Stoicos* [2] *regeram, ut Catium Athenis natum esse dicas. Pansam nostrum secundâ voluntate hominum paludatum ex urbe exisse, cùm ipsius causâ gaudeo, tum mehercule etiam omnium nostrûm. Spero enim homines intellecturos, quanto sit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia: atque* [3] *ea, quæ maximè mali petant & concupiscant, ad bonos pervenire. Difficile est enim persuadere hominibus,* [4] τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν *esse:* [5] ἡδονὴν *verò, &* ἀταραξίαν *virtute, justitiâ,* [6] τῷ καλῷ *parari, & verum* 19

&

Arg. Respondet duabus Ciceronis epistolis, quæ ante proximam superiorem leguntur. Epicureos laudat à virtutis studio. Cupere videtur ut Cæsar in Hispania vincat, jam cognitâ ejus clementiâ. *Anno* U. C. 708.

1. *Spectra Catiana*] Vide ep. 16.

2. *Regeram*] Contrà objiciam. Tu Catium notasti ut rusticum & indoctum: ego contrà, tot rusticos tibi Stoicos nominabo, ut Catius, cum iis collatus, urbanissimus esse videatur. *Regerere*, est ei, qui aliquid reprehendat, aliquid contrà objicere. Plinius lib. 13. cap. 15. *Confines ei Mauri: quibus plurima arbor cedri, & mensarum insania: quas feminæ viris contra margaritas regerunt.* Manut.

3. *Ea*] Honores, provinciæ.

4. Τὸ καλὸν] Suprà, ep. 17.

5. Ἡδονὴν verò & ἀταραξίαν] *Voluptatem, & statum mentis perturbatione carentem.* In his enim duobus felicitatem locabat Epicurus: quod Plutarchi, Laertii, & aliorum testimoniis probatur. Idem.

6. Τῷ καλῷ] Honesto, pulchro.

& probabile est. Ipse enim Epicurus, à quo omnes Catii, & [7] Amafinii, mali verborum interpretes, proficiscuntur, dicit: [8] οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως, ζῆν. Itaque & Pansa, qui ἡδονὴν sequitur, virtutem retinet: & ii, qui à vobis [9] φιλήδονοι vocantur, sunt [10] φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omnésque virtutes & colunt, & retinent. Itaque [11] Sylla, cujus judicium probare debemus, cùm dissentire philosophos videret, non quæsiit, quid bonum esset; omnia [12] bona coëmit: cujus ego mortem forti mehercules animo tuli. Nec tamen Cæsar diutiùs nos eum desiderare patietur: nam [13] habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cùm [14] filium viderit. Nunc, ut ad rempublicam redeam, quid in Hispaniis geratur, rescribe. Peream, nisi sollicitus sum, ac malo veterem & clementem dominum habere, quàm novum & crudelem experiri. Scis, [15] Cnæus quàm sit fatuus: scis, quomodo crudelitatem, virtutem putet: scis, quàm se semper à nobis derisum putet. Vereor, ne nos rusticè gladio velit [16] ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui, quàm velim scire, utrùm ista sollicito animo, an soluto legas. Sciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior sim, vale, & me, ut facis, ama. Si Cæsar vicit, celeriter me expecta.

M. T. C.

---

7. *Amafinii*] Vide Tuscul. IV. 3.

8. *Οὐκ ἔστιν ἡδέως*] *Non potest jucundè vivi, nisi honestè & justè vivatur.*

9. *Φιλήδονοι*] *Amatores voluptatis.*

10. *Φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι*] *Amatores honesti, & justi.*

11. *Sylla*] Cujus mortem Cicero significaverat, epist. 17. *Judicium*: Quasi præstantis viri. Ironia. MANUT.

12. *Bona*] Ne erraret in delectu, omnia bona sumpsit. Ludit in ambigua bonorum significatione. Nam Philosophi de summo bono disputabant: Sylla verò Pompeianorum bona omnia, cùm in auctione venderentur, coëmit. IDEM.

13. *Habet damnatos, quos pro illo nobis restituat*] Arguta in primis & festiva sententia. Lege Pompeiâ damnatos restituerat Cæsar: ut legimus apud eum lib. III. de bel. civ. hoc latenter Cassius notat: cùm tamen de iis loquatur, quos Cæsar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Syllæ mortuo suffecturus esset. Jocus est in verbo, *Restituat*, ambiguâ significatione, ad majorem Cæsaris contumeliam. IDEM.

14. *Filium*] P. Syllæ, qui patrem imitatur: itaque sectore non carebimus. Ep. 3. lib. III. ad Q. fr. IDEM. Antonium, quem secundum heredem in testamento scripserat, Flor. IV. 4. *Sectorem Pompeianorum bonorum.* Philipp. II. 26. J. F. GRONOV.

15. *Cnæus*] Pompeii Magni filius.

16. *Ἀντιμυκτηρίσαι*] *Vicissim deridere*, sed rusticè gladio. Nam urbani homines facetiis & salsis dictis, non gladio, derident. MAN.

Digitized by Google

M. T. C. TREBONIO P. S. D.

ORATOREM meum (sic enim inscripsi) Sabino tuo commendavi. [1] Natio me hominis impulit, ut ei rectè putarem, nisi fortè [2] candidatorum licentiâ hic quoque usus, hoc subitò cognomen arripuit. Etsi modestus ejus vultus, sermóque constans, habere quiddam [3] à Curibus videbatur. Sed de Sabino satis. Tu, mi Treboni, quando ad amorem meum aliquantum [4] olim discedens addidisti: quo tolerabiliùs feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato: atque ita, si idem fiet à nobis. Quanquam duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quàm nos: primùm, quòd olim solebant, qui Romæ erant, ad provinciales amicos de republica scribere: nunc tu nobis scribas oportet: res enim publica [5] istic est. Deinde, quòd nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possumus; tu nobis, nisi literis, non video, quâ re aliâ satisfacere possis. Sed cætera scribes ad nos postea. Nunc hæc primò cupio cognoscere, iter tuum cujusmodi sit, ubi Brutum nostrum videris, quamdiu simul fueris: deinde, cùm processeris longiùs, de bellicis rebus, de toto negotio, ut existimare possimus, quo statu simus. Ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis literis habebo cognitum. Cura ut valeas, méque ames amore illo tuo singulari. 20

M. T. C.

ARG. Librum, quem Oratorem inscripsit, mittit: Sabinorum probitatem laudat: crebriores literas postulat. Missa in Asiam post Cæsaris necem. *Anno* U. C. 709.

1. *Natio*] A Sabinis, qui tetrici, severi, duríque, & continentes etiam à scriptoribus appellantur. CORRAD.

2. *Candidatorum*] Qui magistratum petentes, populo se, quæsitâ interdum fictis cognominibus gratiâ, commendant. MANUT.

3. *A Curibus*] Numæ regis patriâ, Sabinorum olim urbe nobili. IDEM.

4. *Olim*] Vocem hanc omitti vellet Manutius, & legi *aliquantulum*.

5. *Istic est*] In vobis reipublicæ liberatoribus, te Cassio, Marco & Decimo Brutis: quibus provincias senatus decreverat. Nam in urbe, dominantibus Antonio & Dolabella consulibus, respublica non esse videbatur. IDEM.

M. T. C. TREBONIO S. P. D.

21 ET epiſtolam tuam legi libenter, & [1] librum libentiſſimè: ſed tamen in ea voluntate hunc accepi dolorem, quòd cùm incendiſſes cupiditatem meam conſuetudinis augendæ noſtræ, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum [2] diſcedis à nobis, méque tanto deſiderio afficis, ut unam mihi conſolationem relinquas, fore, ut utriuſque noſtrûm abſentis deſiderium crebris & longis epiſtolis leniatur. Quod ego non modò de me tibi ſpondere poſſum, ſed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquiſti dubitationem, quantum me amares. Nam, ut illa omittam, quæ civitate teſte [3] feciſti, cùm [4] mecum inimicitias communicaſti; cùm me concionibus tuis defendiſti; cùm quæſtor in mea, atque in publica cauſa, conſulum partes ſuſcepiſti; cùm tribuno plebis quæſtor non paruiſti, cui tuus præſertim collega pareret: ut hæc recentia, quæ meminero ſemper, obliviſcar, quæ tua ſollicitudo de me [5] in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cùm ad te curæ & dolores mei perferrentur? Brunduſium denique te ad me venturum fuiſſe, niſi ſubitò in Hiſpaniam miſſus eſſes? ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æſtimanda ſunt, quanti vitam æſtimo & ſalutem meam: [6] liber iſte, quem mihi *miſiſti*, quantam habet declarationem amoris tui? primùm, quod tibi facetum videtur quidquid ego dixi, quod aliis fortaſſe non item: deinde, quòd illa, ſive faceta ſunt, ſive [7] ſic, fiunt, narrante te, venuſtiſſima. Quin etiam antè quàm ad me veniatur, riſus omnis penè conſumitur. Quòd ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de uno me tam diù cogitaviſſes,

ARG. Rogat, ut ſui abſentis deſiderium epiſtolis crebris & longis leniat: de Calvo oratore jam mortuo quid ſentiat, exponit. *Anno* U. C. 706.

1. *Librum*] De quo infrà.

2. *Diſcedis à nobis*] In provinciam Aſiam proficiſcens. Ep. 16. lib. XII. MANUT.

3. *Feciſti*] Temporibus Clodianis. IDEM.

4. *Mecum*] Adverſus inimicos meos ſimultates ſuſcepiſti. J. F. GRONOV.

5. *In armis*] Civili bello.

6. *Liber iſte*] Quem ſcripſerat Trebonius de dictis Ciceronis. MANUT.

7. *Sic*] Aſſerit Manutius, conjunctionem hanc, *ſic*, minuendi vim habere; ut ſenſus ille ſit: Sive dicta mea faceta ſunt: ſive facetiarum per ſe minus habent. Lubentiùs ego legerem, *ſecus*. QUARTERIUS.

ses, ferreus essem, si te non amarem. Cùm verò ea, quæ scripturâ persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris, non possum existimare, plus quemquam à se ipso, quàm me à te amari. Cui quidem ego amori, utinam cæteris rebus possem, amore certè respondebo : quo tamen ipso tibi confido [8] futurum satis. Nunc ad epistolam venio, cui copiosè & suaviter scriptæ, nihil est quòd multa respondeam. Primùm enim ego illas [9] Calvo literas misi, non plus, quàm has, quas nunc legis, existimans exituras: aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus; aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium ejus melioribus extuli laudibus, quàm tu id verè potuisse fieri putas. Primùm, quod ita judicabam, [10] acutè movebatur [11] : genus quoddam sequebatur, in quo, judicio lapsus, [12] quo valebat tamen, assequebatur quod probaret. Multæ erant & reconditæ literæ : vis non erat : ad eam igitur adhortabar. In excitando autem, & in acuendo plurimùm valet, si laudes eum, quem cohortere. Habes de Calvo judicium & consilium meum : consilium, quòd hortandi causâ laudavi : judicium, quòd de ingenio ejus valde existimavi bene. Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar, reditum spe expectem, absentem memoriâ colam, omne desiderium literis mittendis accipiendísque leniam. Tu velim tua in me studia & officia multùm tecum recordere : quæ cùm tibi liceat, mihi nefas sit oblivisci, non modò virum bonum me existimabis, verùm etiam te à me amari plurimùm judicabis. Vale.

---

8. *Futurum satis*] Malim, *facturum satis* : ut subaudiatur, *me*. Alioqui, *Quo tamen ipso*, unde regatur, non erit. Nam, *futurum*, nullo modo cum auferendi casu conjungi potest. MANUT.

9. *Calvo*] De quo in Bruto, cap. 81.

10. *Acutè movebatur*] Quod est ingenii. Sic Acad. lib. I. *Zeno, cùm valde subtiliter dissereret, & peracutè moveretur, corrigere conatus est disciplinam.* IDEM.

11. *Genus quoddam*] Dicendi.

12. *Quo valebat tamen*] Quâ tamen parte valebat, id est, ingenio, consequebatur id quod optimum putabat : quam puto fuisse exilitatem orationis. Nam Calvus Atticum se oratorem videri volebat : & nimiâ quadam religione orationem attenuans, dum verebatur, ne quasi vitiosum sanguinem colligeret, verum etiam de perdebat. Hoc enim de illo Cicero scripsit in Bruto. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER XVI.

M. T. C. ET CICERO MEUS, ET FRATER, ET FRATRIS FILIUS, TIRONI S. P. D.

1 PAULO faciliùs putavi posse me ferre desiderium tui, sed planè non fero: & quanquam magni [1] ad honorem nostrum interest, quàm primùm ad urbem me venire, tamen peccasse mihi videor, qui à te discesserim. Sed quia tua voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare, approbavi tuum consilium; neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem, postea quàm cibum cepisti, videris tibi posse me consequi; tuum consilium est. [2] Marionem ad te eò misi, ut aut tecum ad me quàm primùm veniret, aut, si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quàm te esse mecum. Si autem intelliges opus esse, te [3] Patris, convalescendi causâ, paulùm commorari, nihil me malle, quàm te valere. Si statim navigas, nos [4] Leucade consequêre. Sin te confirmare vis, &

ARGUMENTUM. Suum desiderium Tironi, quem Patris ægrotum reliquerat, cùm ex provincia domum iret, significat. *Anno* U. C. 703.

1. *Ad honorem nostrum*] Ad triumphum, quem sperabat; sed, eum ne discordiæ civiles impedirent, verebatur: id quod evenit. MANUT.

2. *Marionem*] Servum.

3. *Patris*] *Patræ*, oppidum Achaiæ.

4. *Leucade*] *Leucas*, oppidum in peninsula cognomine Ionii maris.

& comites, & tempestates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. Unum illud, mi Tiro, videto, si me amas, ne te Marionis adventus & hæ literæ moveant. Quod valetudini tuæ maximè conducet, si feceris, maximè obtemperaris voluntati meæ. Hæc pro tuo ingenio considera. Nos ita te desideramus, ut amemus: amor, ut valentem videamus, hortatur; desiderium, ut quàm primùm. Illud igitur potiùs. Cura ergo potissimùm, ut valeas. De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum. III. Non. Nov.

TULLIUS TIRONI SUO S. P. D.

NON queo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus: 2
tantum scribo, & tibi & mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quàm primùm videro. Tertio die abs te ad [1] Alyziam accesseramus. Is locus est citra Leucadem stadia CXX. Leucade aut te ipsum, aut tuas literas à Marione putabam me accepturum. Quantùm me diligis, tantùm fac ut valeas, vel quantùm te à me scis diligi. Nonis Novembr. Alyziâ.

ARG. Sollicitudinem suam significat, suúmque ad Alyziam accessum: valetudinem ut curet, rogat. *Anno* U. C. 703.

1. *Alyziam*] Qui est Acarnaniæ locus, à mari distans quindecim stadiis, ut ait Strabo lib. 10. MANUT.

TULL. ET CICERO TIRONI SUO, ET Q. PATER, ET Q. FIL. S. D.

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi literas antè dederamus, 3
unum diem commorati sumus, quòd Quintus nos consecutus non erat. Is dies fuit Nonæ Novembr. Inde ante lucem proficiscentes, ante diem VIII Idus Novembr. has literas dedimus. Tu, si nos omnes amas, & præcipuè me, magistrum tuum, confirma te. Ego valde suspenso animo expecto, primùm te scilicet, deinde Marionem cum tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quàm primùm te videre, sed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properâris; satis quotidie videro, si vale-

ARG. Rogat, ut omni curâ valetudini serviat. *Anno* U. C. 703.

valebis. Utilitatibus tuis poſſum carere: te valere, tuâ causâ primùm volo, tum meâ, mi Tiro. Vale.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S. P.

4 VARIE ſum affectus tuis literis; valde priore paginâ perturbatus, paulùm alterâ recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad planè valeas, te neque navigationi, neque viæ committas. Satis te maturè videro, ſi planè confirmatum videro. De medico & tu benè exiſtimari ſcribis, & ego ſic audio: ſed planè curationes ejus non probo. Jus enim dandum tibi non fuit, cùm [1] κακοστόμαχος eſſes: ſed tamen & ad illum ſcripſi accuratè, & ad [2] Lyſonem. Ad Curium verò, ſuaviſſimum hominem, & ſummi officii, ſummæque humanitatis, multa ſcripſi: in his etiam, ut, ſi tibi videretur, te ad ſe transferret. Lyſo enim noſter vereor ne negligentior ſit: primùm, quia omnes Græci: deinde, quòd cùm à me literas accepiſſet, mihi nullas remiſit. Sed eum tu laudas. Tu igitur quid faciendum ſit judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, ſumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus ſit. Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret. Medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quò ſit ſtudioſior. Innumerabilia tua ſunt in me officia, domeſtica, forenſia, urbana, provincialia, in re privata, in publica, in ſtudiis, in literis noſtris. Omnia viceris, ſi, ut ſpero, te validum videro. Ego puto te belliſſimè, ſi rectè erit, cum quæſtore Meſcinio decurſurum. Non inhumanus eſt: téque, ut mihi viſus eſt, diligit. Et cùm valetudini tuæ diligentiſſimè conſulueris, tum, mi Tiro, conſulito navigationi. Nulla in re jam te feſtinare volo. Nihil laboro, niſi ut ſalvus ſis. Sic habeto, mi Tiro, neminem eſſe qui me amet, quin idem te amet: & cùm tua, & mea maximè intereſt te valere, tum multis eſt curæ. Adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe vis, nunquam te confirmare potuiſti: nunc te nihil impedit: omnia depone, corpori ſervi. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contu-

---

ARG. Tota cohortatio eſt ad curandam valetudinem. *Anno* U. C. 703.

1. Κακοστόμαχος] Stomacho laborans.
2. *Lyſonem*] De quo XIII. 19.

contuleris, tanti me fieri judicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale, & salve. Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. VII Idus Novembr. Leucade.

TULLIUS, ET CICERO, ET [1] Q. Q. TIRONI HUMANISSIMO ET OPTIMO S. P. D.

VIDE, quanta sit in te suavitas: duas horas [2] Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quàm si vixerit 5
tecum. Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem [3] deportares, ut ibi te planè confirmares. Videbis quid [4] Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere: quem, cùm meliusculè tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi, unas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit [5] Acastus in portu: multi erunt quibus rectè literas dare possis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade. Malo te paulo pòst valentem, quàm statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas: cætera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiscens, VII Idus Novembr.

ARG. Rogant Tironem, ut valetudinem curet. *Anno* U. C. 703.

1. *Q. Q.*] Quintus pater, Quintus fil.

2. *Thyrei*] Locus inter Alyziam & Leucadem. Nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero venit: unde proficiscens hanc epistolam scripsit. MAN.

3. *Deportares*] Grævius, *departares*.

4. *Curio*] De quo XIII. 50.

5. *Acastus*] Servus Ciceronis est.

M. TULLIUS CICERO PATER ET FIL. ET Q. Q. TIRONI S. D.

TERTIAM ad te hanc epistolam scripsi eodem die, magis 6
instituti mei tenendi causâ, quia nactus eram cui darem, quàm quò haberem quid scriberem. Igitur illa: quantum me

ARG. Rogat, ne quid omittat, quod ad recuperandam valetudinem spectet. *Anno* U. C. 703.

Digitized by Google

diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. Cùm valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te, mi Tiro. Quando non contigit ut simul navigares, nihil est quòd festines: nec quidquam cures, nisi ut valeas. Etiam atque etiam vale. VII Idus Novembr. [1] Actio, vesperi.

1. *Actio*] Ad hoc Acarnaniæ promontorium Antonius ab Augusto maritimâ pugnâ victus. MANUT. Virgilius, *Actia bella*, Æneid. VIII. 675.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

7 SEPTIMUM jam diem [1] Corcyræ tenebamur, Quintus autem pater & filius [2] Buthroti. Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te literarum. [3] Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. Cùra igitur te, & confirma: &, cùm commodè, & per valetudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. Carus omnibus, expectatúsque venies. Cura ut valeas etiam atque etiam, Tiro noster. Vale. XV Kal. [4] Novembr. Corcyra.

Q. CICE-

ARG. Adversis ventis se teneri scribit: ut valetudinem curet, nec nisi confirmatus naviget, hortatur. *Anno* U. C. 703.

1. *Corcyra*] Insula maris Ionii.

2. *Buthroti*] *Buthrotum* Epiri urbs est.

3. *Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus*] Iste locus corruptus est, si rectè perpendatur. Cicero, qui Patris reliquerat Tironem ægrum, in Italiam navigaverat, sed Corcyræ ventis adversis retinebatur. Hinc dicit se non mirari nihil sibi literarum afferri à Tirone, quia istis ventis, qui tunc flabant, commodè Corcyrâ Patras possit curri, non verò Patris Corcyram. Quid verò est, *qui si essent, nos Corcyræ non sederemus.* Atqui erant ii venti, qui Patras propellebant naves Corcyrâ solventes; propter illos sedebat in illa insula invitissimus. Legendum censeo, ut huic loco sententia constet, *qui nisi essent, nos Corcyræ non sederemus.* Ultimæ literæ præcedentis vocula qui videntur primam syllabam τοῦ *nisi* imbibisse. Si hi venti non essent, nos Corcyræ non moraremur. GRÆVIUS.

4. *Nov.*] Si attendimus, quod epist. 9. scriptum est: cogemur credere, *Dec.* non *Nov.* legere. MANUT.

Q. CICERO TIRONI S.

MAGNÆ nobis est sollicitudini valetudo tua. Nam, tametsi qui veniunt, [1] ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δέ nuntiant, tamen in magna consolatione ingens inest sollicitudo, si diutius à nobis absuturus est is, cujus usum & suavitatem desiderando sentimus. Attamen, quanquam videre te totâ cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longæ novigationi, & viæ per hiemem, nisi bene firmum committas, néve naviges nisi exploratè. Vix in ipsis tectis & oppidis frigus infirmâ valetudine vitatur, nedum in mari & viâ sit facile abesse ab injuria temporis. 8

[2] Ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον,

inquit Euripides. Cui tu quantum credas, nescio: ego certè singulos ejus versus, singula testimonia puto. Effice, si me diligis, ut valeas, & ut ad nos firmus ac valens quàm primùm venias. Ama nos, & vale. Q. filius tibi salutem dicit.

ARG. Q. Cicero, quanta sibi Tironis valetudo sit, amantissimis verbis ostendit. *Anno* U. C. 704.

1. Ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δέ] *Tuta quidem, sed diuturniora*: id est, te quidem non ægrotare periculosè, sed morbum fore diuturniorem. MANUT.

1. Ψῦχος δὲ] *Frigus autem tenui cuti inimicissimum.* Senarius Euripidis; sed amissæ tragœdiæ. IDEM.

TULLIUS ET CICERO S. D. TIRONI SUO.

NOs à te, ut scis, discessimus a. d. IV Non. Novembres. Leucadem venimus a. d. VIII. Idus Novembres. A. d. VII Actium. Ibi propter tempestatem ad VI. Idus morati sumus. Inde a. d. V Idus Corcyram bellissimè navigavimus. Corcyræ fuimus usque ad XVI Kalend. Decembr. tempestatibus retenti. A. d. XV. Kal. Decembr. in portum Corcyræorum [1] ad Cassiopen stadia CXX processimus. Ibi retenti ventis sumus usque ad IX 9

ARG. Navigationis descriptio, & ad curandam valetudinem plenior cohortatio. *Anno* U. C. 703.

1. *Ad Cassiopen*] De quo loco Plinius IV. 12. & Strabo, lib. I.

Digitized by Google

IX Kalendas. Interea qui cupidè profecti sunt, multi naufragia fecerunt, Nos eo die cœnati solvimus. Inde austro lenissimo, cælo sereno, nocte illâ & die postero in Italiam ad [2] Hydruntem ludibundi pervenimus: eodémque vento postridie (id erat a. d. VII Kal. Decembr.) horâ quartâ Brundusium venimus: eodémque tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia, quæ te facit plurimi. A. d. V Kal. Decembr. servus [3] Cn. Plancii Brundusii tandem aliquando mihi à te expectatissimas literas reddidit, datas Id. Novembr. quæ me molestiâ valde levarunt, utinam omnino liberassent. Sed tamen Asclapo medicus planè confirmat, propediem te valentem fore. Nunc quid ego te horter? ut omnem diligentiam adhibeas ad convalescendum. Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me novi: scio te omnia facturum, ut nobiscum quàm primùm sis: sed tamen ita velim, ut ne quid properes. [4] Symphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomada incideres. Sed, quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm valetudini, reliqua cura. Curio misi, ut [5] medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset: me cui jussisset, [6] curaturum. Equum & mulum Brundusii tibi reliqui. Romæ vereor ne ex Kal. Jan. magni tumultus sint. Nos agemus omnia modicè. Reliquum est, ut te hoc rogem & à te petam, ne temerè naviges. Solent nautæ festinare quæstûs sui causâ. Cautus sis, mi Tiro. Mare magnum & difficile tibi restat. Si poteris, cum Mescinio: cautè is solet navigare: si minùs, cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. In hoc omnem diligentiam si adhibueris, téque nobis incolumem præstiteris, omnia à te habebo. Etiam atque etiam, noster Tiro, vale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissimè. Vale, salve.

M. T. C.

2. *Hydruntem*] *Hydrus*, seu Hydruntum, hodie *Otranto*. Est Calabriæ oppidum, Brundusio distans centum quinquaginta stadia, Strabone teste. GRÆVIUS.

3. *Cn. Plancii*] Pro quo extat Oratio.

4. *Symphoniam*] Videtur Tironem invitasse ad symphoniam audiendam: ex quo, insueto aëri diutiùs, quàm ferre valetudo poterat, expositus, pejus se habere cœperat. CELLARIUS.

5. *Ut medico honos*] De pecunia intellige, non de honore: unde *Honorarium*, præmium honoris causâ datum. MANUT.

6. *Curaturum*] Romæ tantum pecuniæ, quantum mihi expensum tulisset. CORRAD.

Digitized by Google

M. T. C. TIRONI S. P. D.

EGo verò cupio te ad me venire, ſed viam timeo. Graviſſimè ægrotaſti; inediâ, & purgationibus, & vi ipſius morbi conſumptus es. Graves ſolent offenſiones eſſe ex gravibus morbis, ſi quæ culpa commiſſa eſt. Jam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuò ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ad III Kal. eſſe volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulæ meæ, ſive noſtræ, tui deſiderio oblanguerunt. Hac tamen epiſtolâ, quam Acaſtus attulit, oculos paulùm ſuſtulerunt. [1] Pompeius erat apud me, cùm hæc ſcribebam, hilarè & libenter. Ei cupienti audire noſtra, dixi, ſine te omnia mea muta eſſe. Tu Muſis noſtris para, ut [2] operas reddas. [3] Noſtra ad diem dictam fient. Docui enim te, [4] fides ἔτυμον quod haberet. Fac planè ut valeas. Nos adſumus. Vale. XIV. Kal. 10

ARG. Tironem ad ſe venire cupit, ſed viam timet, ne valetudini noceat. Ejus operam in ſtudiis laudat & exigit. *Anno* U. C. 708.

1. *Pompeius*] Niſi *Pomponius* legatur, hæc epiſtola, antè quàm in Ciliciam Cicero proficiſceretur, ſcripta fuerit neceſſe eſt. Nam à Ciceronis reditu ex Cilicia ad Pompeii diſceſſum ex Italia, nec Tiro in Italia fuit, nec Pompeius animo ita tranquillo, ut Ciceronis ſcripta audire cupierit: vel certè alius Pompeius ſignificabitur. CORRAD. *Pomponius* item placet Manutio, & Cellario.

2. *Operas*] Quas præbère conſueſti.

3. *Noſtra*] Quæ ad me pertinent, quæ me eſſe facturum tibi promiſi. Manumiſſio ſignificatur. Ep. 14. MANUT.

4. *Fides ἔτυμον quod haberet*] Inde dicta, quia fiat id, quod dictum eſt. *Off.* I. 7.

TULLIUS ET CICERO, TERENTIA ET TULLIA, Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S. P. D.

ETSI opportunitatem operæ tuæ omnibus locis deſidero, tamen non tam meâ quàm tuâ cauſâ doleo, te non valere. Sed quando in quartanam converſa vis eſt morbi (ſic enim ſcribit Curius) ſpero te, diligentiâ adhibitâ, etiam firmiorem fore. Modò fac, id quod humanitatis tuæ eſt, ne quid aliud cures 11

ARG. Rogat ut valetudinis unicè rationem habeat. De ſuo ad urbem adventu; de turbato ſtatu reipublicæ, & de triumpho ac Campana præfectura ſignificat. *Anno* U. C. 704.

Digitized by Google

cures hoc tempore, nisi ut quàm commodissimè convalescas. Non ignoro, quantum [1] ex desiderio labores, sed erunt omnia facilia, si valebis. Festinare te nolo, ne nauseæ molestiam suscipias æger, & periculosè hyeme naviges. Ego ad urbem accessi pridie Nonas Januar. Obviam mihi sic est proditum, ut nihil possit fieri ornatius. Sed incidi in ipsam flammam civilis discordiæ, vel potiùs belli: cui cùm cuperem mederi, &, ut arbitror, possem, cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. Omnino & ipse Cæsar, amicus noster, minaces ad senatum & acerbas literas miserat: & erat [2] adhuc impudens, qui exercitum & provinciam invito senatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noster, & Q. Cassius, [3] nullâ vi expulsi, ad Cæsarem cum Curione profecti erant. Posteaquàm senatus consulibus, prætoribus, tribunis plebis, & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid respublica detrimenti caperet: nunquam majore in periculo civitas fuit: nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte diligentissimè [4] comparatur. Id fit auctoritate & studio Pompeii nostri, qui Cæsarem serò cœpit timere. Nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitavit triumphum: sed Lentulus consul, quò majus suum beneficium faceret, simul atque expedisset quæ essent necessaria de republica, dixit se relaturum. Nos agimus nihil cupidè, eóque est nostra pluris auctoritas. Italiæ regiones descriptæ sunt, quam quisque partem tueretur. [5] Nos Capuam sumpsimus. Hæc te scire volui. Tu etiam atque etiam cura ut valeas, literásque ad me mittas, quotiescunque habebis cui des. Etiam atque etiam vale. D. pridie Id. Jan.

M. T. C.

---

1. *Ex desiderio*] Mei.
2. *Adhuc impudens*] Fortè, *ad hoc*, id est, eousque impudens, ut parere Senatui recusaret jubenti exercitum & provinciam deponere. J. F. GRONOVIUS.
3. *Nullâ vi expulsi*] Sed vim interpretabantur S. C. quo removebantur à rep. Cæsar B. Civ. 5. IDEM.
4. *Comparatur*] Veteres absolutè *comparare*, intellecto ex proximis quid compareur, amant uti. Liv. XXXVIII. 12. Vide ibi Not. Gronov.
5. *Nos Capuam*] Ad Attic. VII. 11.

Digitized by Google

M. T. C. TIRONI SUO S. P. D.

QUo in discrimine versetur salus mea, & bonorum om- 12
nium, atque universæ reipublicæ, ex eo scire potes, quòd domos nostras, & patriam ipsam, vel diripiendam vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta est, ut, nisi quis deus vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Equidem ut veni ad urbem, non destiti omnia & sentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent: sed mirus invaserat furor non solùm [1] improbis, sed etiam his qui boni habentur, ut pugnare cuperent; me clamante, nihil esse bello civili miserius. Itaque cùm Cæsar amentiâ quadam raperetur, & oblitus nominis, atque honorum suorum, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupavisset, urbem reliquimus: quàm sapienter, aut quàm fortiter, nihil attinet disputare. Quo quidem in casu simus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in [2] Hispaniam: delectus qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad consulatûs petitionem se venturum, neque se jam velle, absente se, rationem haberi sui: se præsentem [3] trinundinum petiturum. Accepimus conditiones: sed ita, ut removeat præsi-

 dia

ARG. Deplorat statum reipublicæ, initia belli civilis exponit; Tironem, ut valetudinis rationem rediturus habeat, admonet. *Anno* U. C. 704.

1. *Improbis*] Admonuimus olim Mediceum codicem, & alium item bonum *improbis* habere, tertio multitudinis casu: & paulo pòst eadem ratione *his*. Animadvertimus postea optimos auctores ita locutos esse. Quare veterem omninò lectionem recipiendam censemus. Citatur testimonium Accii Meleagro, à Nonio Marcello in Vastities, *Quæ vastitudo hæc, aut unde invasit mihi?* Item Terentii Varronis è IV. libro de vita populi Romani 1413. *Tanta porrò invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cœlum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, exoptent.* Aliis etiam in locis apud eundem, nisi memoria me decipit, veteres scriptores ita locuti esse reperiuntur, & (ut arbitror) exempla passim occurrerent, nisi omnia quæ contra certas quasdam ipsorum regulas facerent, à recentioribus Grammaticis temerè deleta essent. VICTORIUS.

2. *Hispaniam*] Pompeii provinciam. Quod Cicero, vitandi belli civilis causâ, censuit. ep. 6. lib. VI. MANUT.

3. *Trinundinum*] Lex, ad populum ferenda, promulgabatur priùs, ut per trium nundinarum spatium populo pateret; quo posset, lege satis consideratâ, quid sentiret, suffragiis ostendere. Eadem, opinor, in magistratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant: ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto ante nosset. Atque hîc *Trinundinum*, pro Trinundini spatio dictum puto. IDEM.

Digitized by Google

dia ex his locis quae occupavit, ut sine metu de iis ipsis conditionibus Romae senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est pacis non honestae: leges enim imponuntur: sed quidvis est melius, quàm sic esse ut sumus. Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est: ejusmodi tamen, quod sustinere ille non possit, praesertim cùm à suis conditionibus ipse fugerit: tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere: quod sperabamus fieri posse. Delectus enim magnos habebamus, putabamúsque illum metuere, si ad urbem ire cœpisset, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimicissimas, praeter Transpadanos: ex Hispaniáque sex legiones, & magna auxilia, Afranio & Petreio ducibus, habet à tergo. Videtur, si insaniet, posse opprimi, modò ut urbe salvâ. Maximam autem plagam accepit, quòd is qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, [4] T. Labienus, socius sceleris esse noluit: reliquit illum, & nobiscum est: multique idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc orae maritimae praesum à Formiis. Nullum majus negotium suscipere volui, quò plus apud illum meae literae cohortationésque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum, video me castris & certis legionibus praefuturum. Habeo etiam illam molestiam, quòd Dolabella noster apud Caesarem est. Haec tibi nota esse volui: quae cave ne te perturbent, & impediant valetudinem tuam. Ego A. [5] Varroni, quem cùm amantissimum mei cognovi, *tum* etiam valde tui studiosum, diligentissimè te commendavi, ut & valetudinis tuae rationem haberet, & navigationis, & totum te susciperet ac tueretur: quem omnia facturum confido. Recepit enim, & mecum locutus est suavissimè. Tu, quando eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maximè operam & fidelitatem desideravi tuam, cave festines, aut committas, ut aut aeger, aut hieme naviges. Nunquam serò te venisse putabo, si salvus veneris. Adhuc neminem videram, qui te postea vidisset, quàm M. Volusius, à quo tuas literas accepi: quod non mirabar: neque enim meas puto ad te literas tantâ hieme perferri. Sed da operam ut valeas: &, si valebis, cùm rectè navigari poterit, tum naviges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia & Tullia Romae. Cura ut valeas. IV Kal. Febr. Capuâ.

M. T. C.

---

4. *T. Labienus*] Ep. 14. lib. XIV.

5. *Varroni*] De quo Caesar, *B. civ.* III. 19.

Digitized by Google

M. T. C. TIRONI S. P. D.

OMNIA à te data mihi putabo, si te valentem videro. Summâ curâ expectabam adventum Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut valeas: &, cùm te bene confirmaris, ad nos venias. Vale. IV Idus April. 13

ARG. Cohortatio ad valetudinem curandam. *Anno* U. C. 704.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

ANDRICUS postridie ad me venit, quàm expectaram. Itaque habui noctem plenam timoris ac miseriæ. Tuis literis nihilo sum factus certior, quomodo te haberes: sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione literisque omnibus careo: quas, antè quàm te videro, attingere non possum. Medico mercedis, quantum poscet, promitti jubeto. Id scripsi ad [1] Ummium. Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas, [2] humanitatémque, propter quam mihi es carissimus. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id cùm tuâ, tum meâ causâ facias, à te peto. Acastum retine, quo commodiùs tibi ministretur. Conserva te mihi. [3] Dies promissorum adest: quem etiam [4] repræsentabo, si adveneris. Etiam atque etiam vale. IV Idus, horâ VI. 14

ARG. Sollicitudinem suam, ægrotante Tirone, significat, & valetudinem ut curet, hortatur. *Anno* U. C. 704.

1. *Ummium*] Alii *Mumium*, alii *Numium*, vel etiam aliter. Unde conjicit Manutius, *Manium*, quod erat prænomen Curii; de quo suprà epist. 4.

2. *Humanitatémque*] Non dubito, quin *humanitatem* hîc Cicero, non pro facilitate quadam & benevolentia erga homines, sed pro eruditione posuerit. Vide Gellium lib. XIII. cap. 16. MANUT.

3. *Dies promissorum*] Manumissionem significari puto, ut etiam ep. 10. *Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, Fides ἔτυμον quod haberet.* Et ep. 15. *Ego te omni cura liberabo.* IDEM.

4. *Repræsentabo*] Non expectabo, sed antevertam. Nisi leg. *quæ*. Statim præstabo, nec opperiar diem. J. F. GRONOV.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

ÆGYPTA [1] ad me venit pridie Idus Apriles. Is etsi mihi nuntiavit, te planè febri carere, & bellè habere: tamen, quòd 15

ARG. Suam de Tyronis valetudine sollicitudinem significat. *An.* U. C. 704.

1. *Ægyp-*

Digitized by Google

quòd negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, & eo magis, quòd Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum sollicitudine de tua valetudine: quâ si me liberaris, ego te omni curâ liberabo. Plura scriberem, si jam putarem libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibíque conservandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale.

Scriptâ jam epistolâ, Hermia venit. Accepi tuam epistolam vacillantibus literulis: nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptam misi, quòd nec inhumanus est, & te visus est mihi diligere, ut is tecum esset: & cum eo cocum, quo uterere. Vale.

1. *Ægypta.*] Nomen servi, ad Att. ep. 15. lib. IX. Misit ad Tironem Cicero quinque servos suos, ut & benevolentiam in eum ostenderet, & de ejus valetudine certior fieri posset: Marionem primùm, ep. 1. deinde Menandrum ep. 13. postremò Hermiam & coquum, ep. 15. Acastum autem non misit, sed cum eo reliquit, ep. 5. MANUT.

Q. C. M. CICERONI FRATRI S. P. D.

16 *DE Tirone, mi Marce, ita te, meúmque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuúmque filium videam, ut mihi gratissimum fecisti, cùm eum indignum illâ fortunâ, ac nobis amicum, quàm servum, esse maluisti. Mihi crede, tuis & illius literis perlectis, exsilui gaudio. Tibi & ago gratias, & gratulor. Si enim mihi [1] Statii fidelitas est tantæ voluptati: quanti esse in isto hæc eadem bona debent, additis literis, sermonibus, humanitate, quæ sunt his ipsis commodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de causis, verùm etiam propter hanc, vel quòd mihi sic, ut debuisti, nuntiasti. Te totum in literis vidi. Sabini pueris & promisi omnia, & faciam. Vale.*

ARG. Quintus fratri de Tirone manumisso, & gratias agit, & gratulatur. *Anno* U. C. 704.

1. *Statii*] A Q. Cicerone manumissi. Vide epist. 18, & 19. libri II. ad Atticum, & ep. 2. lib. I. ad Quintum Fr.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

17 VIDEO quid agas. [1] Tuas quoque epistolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui [2] κανὼν esse meorum scriptorum

ARG. Tironem modestè reprehendit, quòd adverbio *fideliter* non rectè usus fuerat, & ut valetudini serviat, admonet. *An.* U. C. 708.

1. *Tuas*

rum soles, unde illud tam [3] ἄκυρον, *valetudini fideliter inserviendo*? Unde in istum locum *fideliter* venit? cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest, ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio. Sed hæc coràm. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu [4] ἀφωμίλησα: satis scis. Tu eum videlicet non potuisti videre: cras aderit: videbis igitur. Nam ego hinc perendie manè cogito. Valetudo tua me valde sollicitat: sed inservi, & fac omnia: tum te mecum esse, tum mihi cumulatissimè satisfacere putato. Cuspio quòd operam dedisti, mihi gratum est. Valde enim ejus causâ volo. Vale.

---

1. *Tuas quoque*] Ita ut meæ referuntur. Fuit enim hæc ipsius Tironis opera: quod & Nepos in Attici vita ostendit: & Cicero ipse ep. 4. lib. XVI. ad Att. negat quidem eas à se in volumina referri, à Tirone tamen ait aliquot servari. *Mearum epistolarum nulla est συναγωγὴ*, &c. MANUT.

2. Κανὼν] Regula. Utrùm hoc ad judicium Tironis, qui scripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam corrigere solitus esset, an ad diligentiam pertinet, qui summam in iis custodiendis ordinandísque curam poneret? ad judicium potiùs, ut opinor: quod indicant ea, quæ sequuntur. Miratur enim Cicero, parùm aptè translato verbo Tironem usum esse, quem ipse judicem suis in scriptis habere consuevisset. IDEM.

3. Ἄκυρον] Improprium, alieno loco positum.

4. Ἀφωμίλησα] Ernestus, præeunte Lambino, interpretatur, *me à colloquio separavi.* Joan. Fr. Gronovio legendum videtur, *ἀνωμίλησας* cui adstipulatur Quarterius, & sic interpretatur: Cujus ego Demetrii, comitúmque ejus consuetudine sum usus: nosti homines. Ἀνομιλεῖν est consuetudine alicujus uti, versari cum aliquo.

TULLIUS TIRONI S. P. D.

QUID igitur? [1] non sic oportet? Equidem censeo sic, addendum etiam, *suo*. Sed, [2] si placet, invidia vitetur: quam quidem ego sæpe contempsi. Tibi [3] διαφόρησιν gaudeo profuisse. Si verò etiam Tusculanum, dii boni, quanto mihi illud erit amabilius! Sed, si me amas, quod quidem aut facis, aut perbellè simulas; quod tamen in modum procedit: sed [4] ut est, indulge 18

ARG. Liberto Tironi respondet, patroni nomina ne invidiam ferant, deprecanti. De valetudine gratulatur, cui ut indulgeat, monet. Admiscet alia. *Anno U. C. 708.*

1. *Non sic oportet*] Inscribi epistolas meas.

2. *Si placet*] Quandoquidem tibi placet, omittamus hanc inscriptionem, ut vitetur invidia, quam tibi fortè concitaret.

3. Διαφόρησιν] Vocabulum medicum, quod significat *transpirationem*, *quæ fit per sudorem*, unde διαφορητικὰ ἰάματα, *medicamenta ad sudorem efficiendum accommodata & comparata.* ERNESTUS.

4. *Ut est*] Pro *ut ut*, quomodocunque. Te-

Digitized by Google

dulge valetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. Ea quid postulet non ignoras: [5] πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. Fac bellus revertare. Non modò te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem. [6] Parhedrum excita, ut hortum [7] ipse conducat: sic olitorem ipsum commovebis. [8] Helico nequissimus H-S CIↃ dabat, nullo [9] aprico horto, nullo [10] emissario, nullâ maceriâ, nullâ casâ. Iste nos tantâ impensâ derideat? calface hominem, ut ego M. Othonem: itaque [11] abutor coronis. [12] De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen velim scire. Horologium mittam, & libros, si erit sudum. Sed tu nullósne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. A. Ligurius, Cæsaris familiaris, mortuus est, bonus homo, & nobis amicus. Te quando expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

---

rent. Phorm. v. 4.

Lætus sum, ut meæ res se se habent, fratri obtigisse quod vult.

Hoc est, quomodocunque meæ res se se habent. Gronov. Observ. III. c. 6.

5. Πέψιν] Concoctionem: ἀκοπίαν, vitationem lassitudinis: περίπατον σύμμετρον, ambulationem moderatam: τέρψιν, oblectationem: εὐλυσίαν κοιλίας, facilit item alvi.

6. *Pa·hedrum*] Propriè, πάρεδρος, *Assessor* est: transfertur ad alia, & consiliarium, aut custodem significat. Fortasse loquitur Cicero de olitoris vicino. Manut.

7. *Ipsc conducat*] Est, nisi fallor, hujus loci sensus: Olitor nostrum hortum facit minimi, minimúmque pro eo pretium offert, ratus affuturum neminem, qui velit eum conducere. At quære inter vicinos aliquem, qui hortum hunc vel ad tempus conducat, aut fingat velle se conducere. Sic olitorem excitabis, & adduces, ut summam pecuniæ majorem mihi solvat. Quarter.

8. *Helico*] Sic veteres libri omnes, & opinor, mendosè, obscurè quidem certè. Obscura autem omnia si mutare conemur, ultrà implicabimur difficili curâ, nec semper necessariâ. Manut.

9. *Aprico horto*] Apricus hortus est tepido ac leni, non torrentissimo soli expositus. *Aprici colles*, qui orienti soli obversi sunt, Ovidio. *Apricas terras* poeta simpliciter opposuit frigidioribus. Cl. Salmas. exercitat. Plin. p. 990. ubi vide plura. Idem.

10. *Emissario*] Loco, qui aquam emittat, sistátve obicibus vel demissis, vel reclusis. Vide *Sueton.* Claud. cap. 20.

11. *Abutor coronis*] Nihil admodum floreas ejus coronas, aut dona ejusmodi moror: malim ut majus pro horto pretium constituat. Quarterius.

12. *De Crabra*] Agri Tusculani aqua. Vide Agrariam III. cap. 2.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

19 EXPECTO tuas literas de multis rebus: te ipsum multo magis. [1] Demetrium redde nostrum, & aliud, si quid [2] potest,

---

Arg. De literis, de Demetrio, de Aufidiano nomine. *An.* U. C. 708.

1. *Deme-*

Digitized by Google

test, boni. [3] De Aufidiano nomine nihil te hortor. Scio tibi curæ esse: sed confice. Et, si ob eam rem moraris, accipio causam: si id te non tenet, advola. Literas tuas valde expecto. Vale.

1. *Demetrium*] De quo epist. 17. 22.
2. *Potest*] Manutius, *potes.*
3. *De Aufidiano nomine*] Ut exigas ab Aufidio, quod debet. MANUT.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

SOLLICITAT, ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, citò te firmum fore. Libros [1] compone; indicem, cùm [2] Metrodoro lubebit, [3] quando ejus arbitratu vivendum est. [4] Cum olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis spectare gladiatores, postridie redire, & ita censeo. Verùm, ut videbitur. Cura te, si me amas, diligenter. Vale. 20

ARG. De cura valetudinis, & componendis libris, de olitore, de spectaculo Kalendarum. *Anno* U. C. 708.
1. *Compone*] Ordina, & dispone, suo quemque loco statue. MANUT.
2. *Metrodoro*] Medico. IDEM.
3. *Quando*] Alii, *quum*, alii, *quoniam.*
4. *Cum olitore*] Ep. 18.

C. FIL. TIRONI SUO DULCISSIMO S. P. D.

CUM vehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando venerunt post diem XL & VI, quàm à vobis discesserant: quorum mihi fuit adventus adoptatissimus. Nam cùm maximam cepissem lætitiam ex humanissimi & carissimi patris epistola: tum verò jucundissimæ tuæ literæ cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non pœnitebat intercapedinem scribendi fecisse: sed potiùs lætabar: fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum literarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatósque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: præstabóque, & enitar, ut in dies magis magísque hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorem fore existi- 21

ARG. Suum virtutis amorem studiúmque Cicero filius significat: de prædio empto gratulatur. *Anno* U. C. 709.

Digitized by Google

existimationis meæ, firmo id constantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem cruciatúmque attulerunt errata ætatis meæ, ut non solùm animus à factis, sed aures quoque à commemoratione abhorreant. Cujus te sollicitudinis & doloris participem fuisse, notum exploratúmque est mihi; nec id mirum. Nam cùm omnia meâ causâ [1] *velles mihi successa, tum etiam tuâ: socium enim te meorum commodorum semper esse volui. Quòd igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium, esse conjunctissimum. Nam cùm & audio illum libenter, tum etiam propriam ejus suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque sæpenumero partem: exoro enim ut mecum quàm sæpissimè cœnet. Hac introductâ consuetudine, sæpe inscientibus nobis & cœnantibus obrepit, sublatâque severitate philosophiæ, humanissimè nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quàm primùm. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore à me patior discedere: cujus cùm frugi severáque est vita, tum etiam jucundissima* [2] *convictio. Non est enim sejunctus jocus à philologia, & quotidiana* [3] συζητήσει. *Huic ego* [4] *locum in proximo conduxi: &, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Præterea declamitare Græcè apud* [5] *Cassium institui, Latinè autem apud Bruttium*

1. *Velles* mihi successa, *tum etiam*] Duas has voces, *mihi successa*, quæ fuerant interjectæ, delevi. Erant enim supervacaneæ, & solœcismum gignebant. Ita enim Latini loquuntur, Omnia tuâ causâ volo: neque addunt hæc, *mihi successa*. LAMBIN. Præiverat Henricus Stephanus in *Pseudocicerone*. Vulgatam tamen acerrimè tuetur Gasp. Scoppius, *Verisimilium*, lib. II. c. 3.

2. *Convictio*] Elegans hæc lectio debetur Mediceo, ut adnotat Egnatius, usurpavítque ut genuinam Victorius in editione suâ; posteaque in suam transmovit Lambinus. Confirmatur jam mihi de excerptis Vaticani. Alias plebeiè est: *jucundissima conjunctio*. Et cur non à *convivere*, *convictio*? GEBH.

3. Συζητήσει] Non placet Lambini interpretatio, *conquisitione*: nec ea, quæ antea afferri solebat, *mutuâ quæstione*. Intelligitur enim de illo quotidiano colloquio, quo de hac re modò, modo de illa disputatur: motis ultro citróque super ea dubitationibus & quæstionibus. Hoc autem qui faciunt, non *conquirere*, sed *disquirere* dici possunt: ut Horatius dixit, *Verùm hîc impransi mecum disquirite*. H. STEPHAN.

4. *Locum*] Hoc est, sive ædem, sive cubiculum, in quo habitet. Sæpe *locus* est diversorium, hospitium, ut in illa solenni locutione, *locus lautiáque legatis præbita*, quæ sæpe apud Livium legitur. GRÆVIUS.

5. *Cassium*] Neque iste quis fuerit, dicunt.

6. *Leonides*] Qui cùm ad Ciceronem de filio scriberet, certi nihil ausus est polliceri. Ep. 16. lib. XIV. ad Att. MANUTIUS.

7. Τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς] Quæ igitur ad nos pertinent, hæc sunt.

8. Διαῤῥήδην] Apertè.

Digitized by Google

tium exerceri volo. Utor familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatissimis. Multum etiam mecum est Epicrates, princeps Atheniensium, & [6] *Leonides, & horum cæteri similes.* [7] Τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς τάδε. *De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: sed omnia postposui, dummodo præceptis patris parérem.* [8] Διαῤῥήδην *enim scripserat, ut eum* [9] *dimitterem statim. Tergiversari nolui, ne mea nimia* [10] σπουδὴ *suspicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi succurrebat,* [11] *grave esse, me de judicio patris judicare. Tuum tamen studium, & consilium, gratum acceptúmque est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis accipio: scio enim, quàm soleas esse occupatus. Emisse te prædium vehementer gaudeo, feliciterque tibi rem istam evenire cupio.* [12] *Hoc loco me tibi gratulari nolo mirari: eodem enim ferè loco tu quoque, emisse te, fecisti me certiorem. Habes* [13] *ubi deponendæ tibi sint urbanitates.* [14] *Rusticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum jucundissimum conspectum propono; videor enim videre ementem te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia servantem ex mensâ secundâ* [15] *semina. Sed (quod ad rem pertinet) me tum tibi defuisse, æquè ac tu doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si modò fortuna me: præsertim cùm sciam, commu-*

9. *Dimitterem*] Causam, cur eum à filio dimitti Cicero voluerit, Plutarchus hanc narrat, quòd ad potum & voluptates adolescentem alliceret. Hoc fortasse magistro didicit strenuè bibere Cicero filius. Nam binos congios simul haurire solitum scribit Plinius lib. 14. cap. ult. MANUTIUS.

10. Σπουδὴ] Propensa voluntas ad Gorgiam retinendum.

11. *Grave esse, me de judicio patris*] Non rectè facere me, si de patris judicio ita judicare vellem, quasi falli posset in eo, quod existimaret de Gorgia. IDEM.

12. *Hoc loco*] Hac parte epistolæ: cùm gratulationibus tribuere primas ferè epistolarum partes soleamus.

13. *Ubi deponendæ tibi sint*] Ubi molestias & ineptias, quæ multæ sunt in urbe ferendæ, quoties earum tædium te ceperit, fugias & abjicias. J. F. GRONOVIUS.

14. *Rusticus Romanus*] Honestum nomen est plebeii ordinis: quia vera Romuli proles agrestibus operibus exercebatur, & rusticam plebem præponebat urbanæ, cùm proceres civitatis in agris morarentur, & ubi consilium publicum desiderabatur, è villis arcessebantur in senatum, unde qui eos evocabant, *viatores* nominati. Cic. pro Sextio in Optimatium, hoc est, qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat *municipales rusticósque Romanos.* Id. de Senectute: *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos & familiares meos.* Lib. I. de Divin. *Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis.* Tib. Atinium *de plebe hominem* appellat Livius. GRONOVIUS.

15. *Semina*] Pomorum, quæ comeduntur in secunda mensa. MANUT.

Digitized by Google

communem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quòd tibi curæ fuit, est mihi gratum. Sed peto à te, ut quàm celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus: multum mihi enim eripitur operæ in exscribendis [16] hypomnematis. Tu velim in primis cures ut valeas, ut unà [17] συμφιλολογεῖν *possimus. Antherum tibi commendo. Vale.*

16. *Hypomnematis*] Commentariis. 17. Συμφιλολογεῖν] De literis inter nos disputare.

TULLIUS TIRONI S. P. D.

22 SPERO ex tuis literis, tibi melius esse: cupio certè. Cui quidem rei omni ratione cura ut inservias: & cave suspiceris, contra meam voluntatem te facere, quòd non sis mecum. Mecum es, si te curas. Quare malo te valetudini tuæ servire, quàm meis oculis & auribus. Etsi enim & audio te, & video libenter: tamen hoc multo erit, si valebis, jucundius. Ego hîc cesso, quia ipse nihil scribo: lego autem libentissimè. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Una omninò [1] interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facilè legere soleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura ut facis. [2] Tertia aderit, modò ne Publius rogatus sit. Demetrius iste nunquam omnino [3] Phalereus fuit, sed nunc planè [4] Billienus est. Itaque te do [5] vicarium: tu eum observabis. [6] Etsi: veruntamen: de illis: nosti

ARG. Valetudinis curandæ admonet ægrotantem: librarios tamen regere jubet: addit de variis. *Anno* U. C. 708.

1. *Interpositio*] Verba interposita, hoc est, recentiori manu scripta, *de quadrimo Catone*, de puero Catone, quatuor annos nato. Locus in iis quæ supersunt Ciceronis, non extat. Hunc mendo vacuum non esse suspicabatur Victorius.

2. *Tertia*] Mulier post duas sorores nata, unde nomen. *Aderit*, in cœna, quæ dabitur in illo triclinio. MANUT.

3. *Phalereus*] Demetrius, de quo ad me scribis, nunquam fuit Demetrio Phalereo similis: nunquam fuit elegans, urbanus, &c. Ludit in *Demetrii* nomine. QUARTER.

4. *Billienus est*] Dignus suo nomine: vitio laborat ejus, cujus nomen gerit. Videtur enim Graius homo Demetrius cognomen sumpsisse Billieni, quòd per Billienum quendam libertatem & civitatem accepisset. J. F. GRONOVIUS.

5. *Vicarium*] Ut eâ diligentiâ in eo observando & cavendo utaris, quâ ego uterer, si adessem. *Vicarius* est, qui facit id, quod alius facere debebat. MANUT.

6. *Etsi. Veruntamen. De illis*] Hæc facilè supplere Tiro potuit, cui notæ erant Patroni cogitationes. Similis brevitas ad Att. XIII. 2. XIV. 8. & 12. J. F. GRONOV. Brevitas locum obscurat: opinor tamen Demetrii illius, quem observari à Tirone jubet, concisum perplexúmque sermonem repræsentarit. MANUT.

Digitized by Google

noſti cætera. Sed tamen, ſi quem cum eo ſermonem habueris, ſcribes ad me, ut mihi naſcatur epiſtolæ argumentum, & ut tuas quàm longiſſimas literas legam. Cura, mi Tiro, ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

TULLIUS TIRONI SUO S. P. D.

TU verò confice [1] profeſſionem, ſi potes. Etſi hæc pecunia 23
ex eo genere eſt, ut profeſſione non egeat. [2] Veruntamen. Balbus ad me ſcripſit, tantâ ſe epiphorâ oppreſſum, [3] ut loqui non poſſit, Antonius de lege quid egerit. [4] Liceat modò ruſticari. Ad Bithynicum ſcripſi. [5] De Servilio tu videris, qui ſenectutem non contemnis. Etſi Atticus noſter, quia quondam me commoveri [6] πανικοῖς intellexit, idem ſemper putat, nec videt, quibus præſidiis philoſophiæ ſeptus ſim: & hercle, quòd timidus ipſe eſt, [7] θορυβοποιεῖ. Ego tamen Antonii invetaratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere ſanè volo, ſcribámque ad eum, ſed non antequam te videro: [8] nec tamen te avoco à ſyngrapha, [9] γόνυ κνήμης. Cras expecto Leptam: etenim ad cu-

 jus

ARG. Hortatur, ut profeſſionem conficiat, ſcribítque ſibi in animo eſſe amicitiam Antonii conſervare. *Anno* U. C. 709.

1. *Profeſſionem*] *Profiteri*, eſt hîc, publicè denuntiare, quidquid pecuniæ, agri, aliarúmve rerum Cicero poſſideat. Et videtur, ut hæc per Tironem, ſic altera ſuperioris anni profeſſio per Philotimum eſſe facta. Vide ep. 33. lib. XIII. ad Att. MANUTIUS.

2. *Veruntamen*] Subaudi, *confice*: & hanc ipſam pecuniam profitere. IDEM. Hoc alii cum ſequentibus conjungunt. *Veruntamen Balbus*, &c.

3. *Ut loqui non poſſit*] Jocus: nam epiphora officium oculorum impedit, non linguæ. *Non poſſit* autem dixit, id eſt, nolit: quia ſtudioſus Antonii, & homo tectus. Ep. 21. lib. XIV. ad Attic. IDEM.

4. *Liceat modò ruſticari*] Quod urbanis rebus, quas Antonius conſul è ſua libidine adminiſtrat, antepono. IDEM.

5. *De Servilio*] Iſaurico, quem hoc anno obiiſſe teſtatur Dio lib. XLV. quem felicem videtur ſcripſiſſe Tiro, qui effugerit Antonii minas & gladios. Id ad me, inquit Cicero, non pertinet, qui cædem non timeo, & vitæ obſaturatus ſum, ſed ad te. J. F. GRONOV.

6. Πανικοῖς] Repentinis terroribus: quorum cauſam Pani deo tribuit Antiquitas: undè πανικά. Hoc ſatis eſt ad intelligentiam loci. Plura ſi quis poſtulat, Politianum legat Miſcell. cap. 28. MANUT.

7. Θορυβοποιεῖ] Tumultum facit: terrorem in aliis gignit. Vult enim timere me ab Antonio. IDEM.

8. *Nec tamen*] Etſi videre te cupio: nolo tamen te ab urbe diſcedere, priuſquam conficias eam rem, cujus rei cauſâ te miſi. Miſerat eum Cicero, ut pecuniam ſibi per ſyngrapham debitam, exigeret. IDEM.

9. Γόνυ κνήμης.] Genu tibiâ propius eſt. Nam ſubauditur, ἔγγιον. Theocritus in Idyllio, quod Charites inſcripſit, eodem ſenſu dixit, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα, id eſt, longiùs, quàm genu, tibia. Hoc proverbio ſignificatur, curanda magis eſſe, quæ magis ad nos pertinent. IDEM.

Digitized by Google

jus [10] rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

10. *Rutam pulegio*] Amarus, ut ruta, Leptæ sermo; suavis, ut pulegium, Tironis. Lepida similitudo. Amaritudo, inquit, sermonis Leptæ, sermonis tui suavitate, quasi ruta pulegio, condietur. Notissima est utraque herba. Manut.

Tullius Tironi S. P. D.

24 Etsi manè Harpalum miseram, tamen cùm haberem cui rectè darem literas, etsi novi nihil erat, iisdem de rebus volui ad te sæpius scribere: non quin [1] confiderem diligentiæ tuæ; sed rei me magnitudo movebat. Mihi [2] prora & puppis (ut Græcorum proverbium est) fuit à me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. [3] Offilio & Aurelio utique satis fiat. [4] A Flamma, si non potes omne, partem aliquam velim extorqueas, in primísque ut expedita sit pensio Kal. Jan. [5] De attributione conficies. [6] De repræsentatione, videbis. De domesticis hactenus. De publicis omnia mihi [7] certa, quid Octavius, quid Antonius: quæ hominum opinio: quid futurum putes. Ego vix teneor quin accurram. Sed [8] st! Literas tuas expecto: & scito Balbum tum fuisse Aquini, cùm tibi est dictum, & postridie Hirtium. Puto utrumque [9] ad aquas. Sed [10] quod egerint. Dolabellæ procuratores fac admoneantur. Appellabis etiam [11] Papiam. Vale.

Cice-

Arg. Domesticas res, deinde publicas narrat. *Anno* U. C. 709.

1. *Confiderem*] In editione pervetusta, quam cum MSS. ab Italo collatam mecum communicavit Nic. Heinsius, vir summus & mihi amicissimus, emendatum erat, *non quin diffiderem tuæ diligentiæ*. Sic omninò legendum. Quod & Gronovio τῷ πάνυ probabatur. Grævius.

2. *Prora & puppis*] Summa consilii mei. Nam prora & puppis totam navem continent. Unde natum proverbium apud Græcos, πρῴρα καὶ πρύμνα. Manut.

3. *Offilio & Aurelio*] Creditoribus.

4. *A Flamma*] Debitore. Hic est Flaminius Flamma, nominatus ad Att. XIV. 16. & XV. 1. 2. Idem.

5. *De attributione*] De assignatione pecuniæ, quam Ciceroni Dolabella, divortio facto cum Tulliola, ejus filia, debebat. Vide XV. 13. & XV. 3. Idem.

6. *De repræsentatione*] De pecunia ante diem solvenda. Id enim est *Repræsentare*. Unde, *Repræsentare diem promissorum*, μεταφορικῶς, epist. 14. Idem.

7. *Certa*] Perscribe. Verbum omittit, ut infrà, *Sed quod egerint*. Et sæpe in epistolis ad Att. figura est, quæ Græcè ἀποσιώπησις dicitur, in epistolis quæ ad familiares mittuntur, usurpata. Idem.

8. *St*] Vetustiores, *si*: unde Manutius *st*, quæ nota silentii est.

9. *Ad aquas*] Baianas. Hîc variant MSS. Vide Turneb. Advers. lib. VIII. cap. 5.

10. *Quod egerint*] Fac ut sciam: vel, *Scimus*, subaudiendum; amat enim hîc Cicero brevitatem, ut paulo antè: *De publicis omnia mihi certa*: subaudi, significa. Mei tamen veteres libri, *Seu*, non *Sed*, omnes habent. Itaque cogor de mendo suspicari. Manut.

11. *Papiam*] Mulierem Papiæ gentis, quæ Ciceroni pecuniam debebat. Idem.

Digitized by Google

CICERO FIL. TIRONI S. P. D.

ETSI *justâ & idoneâ usus es excusatione de intermissione literarum tuarum, tamen id ne sæpius facias, rogo. Nam etsi de republica rumoribus & nuntiis certior fio, & de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quavis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare, cùm in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potiùs expleas officium scribendi, quàm assiduitate epistolarum. Vale.* 25

ARG. Literas à Tirone quàm creberrimas requirit. *Anno* U. C. 709.

Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

VERBERAVI *te cogitationis tacito duntaxat convicio, quòd fasciculus alter ad me jam sine tuis literis perlatus est. Non potes effugere hujus culpæ pœnam. De patrono* [1] *Marcus est adhibendus: isque diù & multis lucubrationibus commentatâ oratione. Vide, ut probare possit, te non peccasse. Planè te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ: sic tu, etiam si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsivisse videaris. Valde enim mihi semper & vera, & dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, & vale.* 26

ARG. Negligentiæ in mittendis epistolis accusat, quas etiam sine argumento scribi postulat. Familiariter & jocosè. *An. incerto.*

1. *Marcus*] Frater.

Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

MIRIFICAM *mihi* [1] *verberationem cessationis epistolâ dedisti. Nam, quæ parciùs frater perscripserat, verecundiâ videlicet,* 27

ARG. Invehitur in Consules designatos Hirtium & Pansam. Benevolentiam suam significat. *Anno* U. C. 709.

1. *Verberationem cessationis*] Quid potest esse durius, aut magis diversum à Marci fratris purissimo sermone? Dicit hoc: Valde me, quia cessaverim in literis ad vos mittendis, verberasti in epistola tua: pro, tacitè reprehendisti. MANUT. Vide Turnebi Adversaria, lib. VIII. cap. 5.

Digitized by Google

licet, & properatione, ea tu sine assentatione, ut erant, ad me scripsisti, & maximè de consulibus designatis: quos ego penitus novi libidinum & languoris effœminatissimi animi plenos: qui nisi à gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est. Incredibile est, quæ ego illos scio, oppositis [2] *Gallorum castris, in æstivis fecisse; quos* [3] *ille latro, nisi aliquid firmius fuerit, societate vitiorum deliniet. Res est aut tribunitiis, aut privatis consiliis munienda. Nam isti duo vix sunt digni, quibus* [4] *alteri Cæsenam, alteri Cossutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego vos a. d.* III *Kal. videbo, tuósque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dissaviabor. Me ama. Vale.*

---

2. *Gallorum castris*] Quo tempore in Gallia cum Cæsare militabant. MANUT.

3 *Ille latro*] Antonium intelligit, contra quem illi bellum gesturi erant. Existimat enim Quintus Antonium, nisi copiis suis viribúsque confisus fuerit, aliâ viâ illos aggressurum esse: & omnia facturum ut illos sibi placet, & in sententiam suam traducat. Putat eum id facilè consecuturum similitudine vitæ, & societate vitiorum. VICTOR.

4. *Alteri Cæsenam*] Omnibus iniquus erat Quintus, & nemini parcebat, dummodo iræ suæ ac furori obtemperaret. De ambobus illis Coss. design. pessimè sentiebat: veruntamen quantum suspicari possumus, alterum illorum ignaviorem inertiorémque altero existimabat: nam quem aliquid consilii habere putabat, vix dignum esse dicebat cui Cæsena committeretur. Alterum, qui nullius consilii esset, sed penitus infirmi ingenii, ac intemperantissimæ naturæ, vix rectè posse judicabat curare fundamenta Cossutianarum tabernarum. IDEM. Vide iterum Turnebi Adversaria. VIII. 5.

HIERO-

Digitized by Google

HIERONYMI RAGAZONII
COMMENTARIUS
IN
M. TULLII CICERONIS
EPISTOLAS FAMILIARES:

In quo brevissimè, quo quæque earum ordine scripta sit, ex ipsa potissimùm historia demonstratur.

Digitized by Google

AMPLISSIMO VIRO,

VINCENTIO RICCIO,

Illust. Decemviralis Consilii Venetæ Reip. Secretario dignissimo

HIERONYMUS RAGAZONIUS S. D.

SI, quantum ingenii M. Cicero, VINCENTI *clarissime, ad epistolas eas quæ familiares vocantur, scribendas adhibuit, tantum, qui ab initio sexdecim earum volumina collegerunt, ad eas illustrandas industriæ attulissent: profectò iidem multò melius nobis quàm fecerunt, in hac tota literarum ratione consuluissent. Cùm autem res ita, nescio quo fato, ceciderit, ut quo magis Cicero in his epistolis excelluerit, eò minorem illi nostræ in iis componendis intelligentiæ rationem habuerint: propterea factum est, ut qui postea in iis aut emendandis, aut explanandis, aut quoquo modo illuminandis elaborarint, (quod multi hâc ætate iique eruditi viri fecerunt) ii meritò magnam laudem incredibili omnium hominum consensione adepti sint. Etenim summam illam, quæ plerósque ab hujusmodi studio deterrebat, obscuritatem, si non penitus, at certe magna ex parte sustulerunt. Ego autem illud in hac re præcipuè dolere soleo, quod maximas semper his epistolis tenebras offudit, id neminem hucusque, qui aliquâ ratione discusserit, extitisse. Id est, ut, quoniam nullo servato temporum ordine compositæ quondam fuerunt, ipsæ per tempora sua digererentur, atque describerentur. Quo ex labore cùm alia multa commoda consequuntur, tum illa in primis, ut propter negotiorum temporúmque conjunctionem, & faciliùs alteram ex altera intelligamus, & ipsius Ciceronis eorúmque annorum contextam historiam habeamus. Quorum non, perinde atque in epistolis ad Atticum colligendis factum est, rationem habitam esse demiror. Hoc autem ita esse, cùm ipse antea semper, ubi me ad hæc studia contuli, intellexi, tum meam hanc opinionem proximis hisce annis, multo etiam vehementius Caroli Sigonii auctoritas confirmavit: quem à me sæpe hac de re interrogatum, ita differentem audivi, ut non multis solùm laudibus consilium, fructúmque laboris hujus efferret, sed etiam quâ id potissimùm ratione perduci ad exitum posset, sigillatim ostenderet. Quamobrem cùm in quotidianæ vitæ consuetudine multa ab eo in hanc rem subtiliter & eruditè dicta attentè collegissem, jámque justum quasi eorum commentarium ad meum usum confecissem, tum me rem facturum esse omnibus harum epistolarum studiosis non ingratam putavi, si quæ ipse vel per me vel ab eo plurima in hoc genere didicissem, ea summo studio atque multorum dierum lucubratione conscripta, ad eorum qui illum non audiverunt, utilitatem, literis memoriaque mandarem.*

Id autem totum in tuo potissimum nomine apparere, VINCENTI *amplissime, volui, ut ipse intelligeres, quam tuis fidelissimis rectissimisque consiliis diligentissimè paruissem: quo præsertim auctore, Sigonio ipsi, postquam ille Venetiis publicè profiteri cœpit, assiduum me in hac literarum ratione auditorem addixi. Accedit, quòd quanquam tu gravioribus in studiis perpetuò ita versatus es, ut nullum honestioris disciplinæ genus sit quod non planè perceperis, nulla insignia ad laudem ornamenta, quæ non abundè retuleris: tamen cùm te publicis negotiis, quibus maximè distineris, aliquantulum relaxaris, his nostris etiam studiis summopere delectaris: præsertim verò cùm has ipsas epistolas ita ames, ut eas quotidie in manibus habeas: ita, si res ferat, in isto tuo amplissimo apud Decemvirale Consilium munere gerendo imiteris, ut planè exprimas: literatos autem homines ita omni studio atque officio complectaris, ut cuncti propterea magnum suorum studiorum præsidium in tua potissimum opera collocarint. Neque mehercule injuriâ. Nam cùm tu virtute, integritate, ac quotidiana officii assiduitate, præterea prudentia ac fide, (quibus rebus excellis) effeceris, ut apud principes in hac republica viros auctoritate plurimùm possis: idem etiam humanitate atque officio assecutus es, ut te non minùs posse quàm velle sibi prodesse homines intelligerent. Epistolas igitur familiares, in suum quamque annum, ut à me fieri potuit, relatas, ac brevi, cur ita faciendum sit, commentario illustratas, in tuo, ut dixi, nomine edo: ut eas, si probaveris, adversus obtrectatores tuâ auctoritate defendas: sin minus, eas tamen perpetuum meæ erga te singularis observantiæ testimonium habeas. Vale. Venetiis, prid. Idus Quintil.*

HIERO-

Digitized by Google

HIERONYMI RAGAZONII IN EPISTOLAS CICERONIS FAMILIARES COMMENTARIUS;

In quo brevissimè, quo quæque earum ordine scripta sit, ex ipsa potissimùm historia demonstratur.

M. Tullio Cicerone,
C. Antonio Coss.
Anno ab Urbe Condita 690.

Nullæ neque hoc anno, neque ante hunc annum, à Cicerone scriptæ extant epistolæ, de quibus affirmari pro certo possit.

D. Junio Silano,
M. Licinio Murena coss.
Anno ab Urbe cond. 691.

M. Tullius M. F. Cicero D. S. Cn. Pompeio Cn. F. Magno Imp.

Lib. V. epist. 7. *Si tu exercitúsque valetis, bene est. Ex literis tuis.*] Hæc epistola scripta est Silano & Murena coss. anno postquam Cicero consul fuit. Erat autem in Asia Pompeius, Mithridatico bello confecto. Itaque voluptatem se accepisse ait Cicero ex illa victoria: graviter autem tulisse, quòd Pompeius de rebus à se in consulatu, pulso ex urbe Catilina, gestis, sibi non fuerit gratulatus. Res hæ à Cicerone consule extremo consulatûs sui mense gestæ erant. Pompeius autem, Pisone & Messala coss. id est sequenti anno, ex Asia Romam rediit, & triumphavit, Plinio, cæterisque, auctoribus. Cicero quidem etiam libro primo ad Att. in epistola, quam Kal. Jan. scripsit, Pisone & Messala coss. prodromos Pompeianos de adventu Pompeii nunciare scribit. Qua de re nihil in hac epistola ait: ut omnino ante Kal. Jan. quibus consulatum Piso & Messala inierunt, scripta esse videatur.

Q. Metellus Q. F. Celer Procos. S. D. M. T. Ciceroni.

V. 1. *Si vales, bene est. Existimaram.*] Hic Metellus prætor priore anno, consule Cicerone, fuit: hoc autem anno Galliam pro consule administravit, quam Cicero consul in concione deposuerat. Auctores, Sallustius, Dio, & alii. Queritur Q. Metellum Nepotem fratrem à Cicerone in Senatu, se absente, fuisse oppugnatum. Hanc epistolam hoc anno scriptam esse, sequens Ciceronis responsio demonstrabit. Eandem autem ex provincia missam esse hæc verba indicant, *qui provinciæ exercituique præsum.*

M. T. Cicero Q. Metello Q. F. Celeri Procos. S. D.

V. 2. *Si tu exercitúsque valetis, bene est. Scribis ad me.*] Respondet Cicero superiori Q. Metelli Celeris proconsulis epistolæ. Hanc hoc anno scriptam esse, hinc intelligi potest, quòd in hac agitur de rebus recens actis

Digitized by Google

actis à Q. Metello Celeris fratre, tribuno plebis, qui fuit (Plutarcho, Appiano, Dione, & ipso etiam Cicerone auctoribus,) Silano & Murena coss. Id est, de iis rebus, quas ille tribunus contra se egit, prid. Kal. Jan.: Kal. Jan.: III. Non. Jan.: quo tempore Celer ipse Româ absuisse videtur. Quibus de rebus agit etiam Dio in consulatu Silani & Murenæ.

M. T. Cicero S. D. C. Antonio M. F. Imp.

V. 5. *Etsi statueram.*] Hic est C. Antonius, qui priore anno collega Ciceronis consulis fuit, & hoc anno provinciam Macedoniam, quam in consulatu obtinuerat, proconsule regebat: Dione, & aliis auctoribus. Hanc epistolam hoc anno scriptam esse, apparet ex eo quod in hac commendat ei T. Pomponium Atticum in Græciam proficiscentem, qui ante Kal. Jan. Pisone & Messala coss. profectus Româ fuisse videtur: cùm ad eundem lib. primo ad Attic. scribat epistolam Kal. Jan. his consulibus. Itaque in utraque epistola eadem ferè continentur. Nam quod in hac ait, *ne id dicam quod aiunt falsò in me solere conferri abs te*, ad Att. est, *Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & à me custodem communis quæstûs libertum esse missum.* Item quod in hac ait, *Sed reliqua multò majus meum studium desiderant*, id est quod ad Att. scribit, *prodromi Pompeiani nunciant apertè Pompeium acturum Antonio succedi oportere.* Idem confirmant verba epistolæ ad Att. cujus initium est, *Accepi tuas*: datæ VI. Kal. Feb. Messala & Pisone coss. quæ sunt hæc, *neque idipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare.*

M. VALERIO MESSALA, M. PUPIO PISONE COSS.

Anno ab Urbe condita, 692.

M. Cicero S. D. P. Sextio L. F. Procos.

V. 6. *Cùm ad me Decius.*] Hic P. Sextius quæstor C. Antonio consuli ac deinde proconsuli in Macedonia fuit: hoc autem tempore cum eodem in provincia erat. Itaque cùm C. Antonio proconsuli succedendum esset, P. etiam Sextio quæstori ejus succedendum erat. De successore autem ipsi Antonio mittendo egit in epistola superiore, agit etiam in hac, cùm ait, *Antonium in senatu gravissimè defendi.* Intelligit enim, ne ei succederetur. Pòst autem Cæsare & Bibulo coss. in judicio eum defendit de repetundis jam ex Macedonia reversum, Dione auctore libro XXXVIII. & Cicerone in oratione pro Cælio: quo judicio damnatus est, quòd suspicio erat ne cum Catilina olim conjurasset. Hæc autem epistola scripta est Messala & Pisone coss. quia Q. Fufius, de quo hîc mentio fit, tribunus pleb. his consulibus fuit, Dione auctore lib. XXXVIII. Item quod de domo à se empta scribit, de qua scribit etiam ad Att. in epistola 6. Kal. Feb. data, Messala & Pisone coss. Quæ cùm ita sint, puto in titulo epistolæ P. Sextium P. F. quæstorem, aut proquæstorem esse scribendum. Quod oratio ipsa Ciceronis pro P. Sextio ostendit, in qua eum Romæ & in Macedonia C. Antonio consuli & proconsuli quæstorem ait fuisse. De proconsulatu autem nihil.

L. AFRANIO, Q. METELLO CELERE COSS.

Anno ab Urbe condita, 693.

His consulibus nullæ extant scriptæ epistolæ.

C. JULIO CÆSARE, M. CALPURNIO BIBULO COSS.

Anno ab Urbe condita, 694.

His consulibus ne ullæ quidem scriptæ extant epistolæ.

L. CALPURNIO PISONE, A. GABINIO COSS.

Anno ab Urbe condita, 695.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, suis.

XIV. 4. *Ego minus sæpe.*] Hoc anno Cicero pulsus est à P. Clodio Trib. pleb. mense Martio (ut puto) extremo. Nam ipse, quemadmodum scriptum est lib. III. ad Att. cùm hoc tempore in Macedoniam tenderet,

Digitized by Google

deret; Naryce Locridis scripsit Id. Aprilis: post Vibonem venit: inde III. Idus Aprilis, scripsit Thurii, & XIV. Kal. Maii, Tarenti. Inde Brundusium venit XIII. Kalend. Maii. Brundusii verò fuit XIII. dies, ut in hac epistola scriptum est. Prid. autem Kal. Maii hanc epistolam Terentiæ scripsit Brundusii, quemadmodum in extrema epistola adscriptum est. Quæ cum ita sint, sanè apparet, cùm ait in hac eadem epistola, *Brundusio profecti sumus a. d.* V. *Kal. Maias*, legendum esse, a. d. II. Kal. Maias. Alioquin nec XIII. dies Brundusii fuerit, & dies epistolæ datæ repugnabit. Est autem intelligendum hanc ab eo epistolam scriptam esse tum cùm à Brundusio proficiscebatur. Quod significat cùm subjungit, *per Macedoniam Cyzicum petebamus*.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 2. *Noli putare.*] Hanc epistolam scripsit iisdem consulibus, cùm adhuc exularet, III. Non. Oct. Thessalonicæ. Thessalonicam autem venerat a. d. x. Kal. Jun. ut scribit ad Att. lib. III. 42.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 1. *Et literis multorum.*] Scripta est iisdem consulibus a. d. VI. Kal. Decemb. Dyrrachii. Dyrrachium autem se à Thessalonica paulo antè recepisse videtur, tum ex hac epistola, tum ex epistola ad Att. lib. III. 50. hoc eodem die Dyrrachii data.

M. Cicero Terentiæ, & Tulliolæ, & Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 3. *Accepi ab Aristocrito.*] Iisdem consulibus, pridie Kal. Decemb. Dyrrachii data: eodémque die scripsit epistolam ad Att. lib. III. 51.

P. LENTULO SPINTHERE, Q. METELLO NEPOTE COSS.

Anno ab Urbe condita, 696.

M. Tullius Cicero S. D. Q. Metello Nepoti Cos.

V. 4. *Litera Q. Fratris.*] Hic est Q. Metellus Nepos, de quo trib. pleb. antè diximus, qui hoc anno consul cum P. Lentulo Spinthere fuit. Petit ab eo Cicero ut se in patriam restituat: quod impetravit. Nam lib. IV. epist. ad Att. se prid. Non. Sept. hoc anno in urbem rediisse scribit. Itaque ante illud tempus hæc epistola scripta est.

CN. LENTULO MARCELLINO, L. MARCIO PHILIPPO COSS.

Anno ab Urbe condita, 697.

M. Cicero P. Lentulo Procos.

I. 1. *Ego omni officio.*] P. Lentulus, qui priore anno consul Ciceronem de exilio restituerat, hoc anno, id est, Marcellino & Philippo consulibus, proconsul in Cilicia erat, cupiebátque Ptolemæum regem à suis pulsum in regnum reducere. Hac de re quid actum sit, Cicero scribit Id. Jan. quemadmodum ex epistola elicitur. Ex quo intelligi potest, Lentulum extremo suo consulatu esse Româ profectum. Quod ex Fenestella etiam colligitur, auctore Nonio, qui sic scribit, *Ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam & Ptolemæo simul, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore cœpit.* C. autem Catonem hoc anno tribunatum plebis gessisse, apparebit ex sequentibus etiam ad Lentulum epistolis. Tribunos verò plebis IV. Id. Decemb. inire solitos esse, satis ex Livio Dionysióque perspicuum est.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 2. *Id. Jan. in senatu.*] Eidem Lentulo Proconsuli narrat, quid de Ptolemæo reducendo sit actum ab Id. Jan. usque ad XVI. Kal. Feb. quo die hæc epistola data est, in qua meminit Lentuli Marcellini consulis, & Lucilii tribuni pleb. qui fuerunt hoc anno.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 3. *A Trebonio.*] Eidem Lentulo proconsuli commendat negotia Trebonii, quæ multa in provincia Cilicia habebat. Hanc epistolam subsequi superiorem ex eo intelligi potest, quòd in quibusdam libris manuscriptis conjunctæ reperiuntur.

Digitized by Google

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 4. *A. d.* XVI. *Kal. Feb.*] Eidem Lentulo narrat quæ acta sint post diem XVI. Kal. Feb. de re Ptolemæi. Scripta tamen est ante Kal. Feb. quod inde intelligi potest, cùm ait, *Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Pupiam non potest.* Et quoniam iisdem de rebus scripsit ad Q. Fratrem lib. II. XIV. Kal. Feb. suspicari quis posset, eodem die hanc etiam scriptam esse, aut non ita multò pòst.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 5. *Tametsi nihil.*] Eundem Lentulum de eadem re quid actum sit certiorem facit. Haud ita multò post VIII. Id. Feb. scripta est, cujus diei in hac epistola meminit, & rerum quæ illo die acta sunt. Cùm, si post eum diem multis diebus scripta fuisset, pluribus aliis de rebus actis eum certiorem facere potuerit, de quibus agit in epistola ad Q. Fratrem XV. Kal. scripta.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 6. *Quæ gerantur.*] Cum eodem agit de eadem re Alexandrina Procul dubio hoc anno scripta est, præsertim cùm eadem impedimenta, de quibus paulò antè scripsit, commemoret.

Q. Metellus Nepos S. D. M. Ciceroni.

V. 3. *Hominis importunissimi.*] Q. Metellus, qui priore anno consul Ciceronem restituit, hoc anno proconsul cum imperio in Hispania erat, Plutarcho in Cæsare, & Dione, auctoribus. Itaque idem in hac epistola ait, *Ad Lollium perscripsi de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret, & commonefaceret.* Agit cum Cicerone de rebus à Clodio fratre hoc anno contra semetipsum & Ciceronem actis. Has res fuisse puto, de quibus agitur in oratione de Haruspicum responsis, quæ hoc anno dicta est, teste ipso Cicerone, qui in oratione ipsa Philippi & Lentuli consulum meminit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

V. 12. *Coràm me tecum.*] Luceius Romanam historiam scribebat. Petit igitur ab eo Cicero, ut de consulatu déque restitutione sua in patriam separatim scribat. Hanc epistolam Marcellino & Philippo consulibus esse scriptam, epistola quædam ad Att. indicat, his consulibus data: in qua hæc verba sunt, *Epistolam Luceio quam misi, qua res meas ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est. Eúmque ut approperet adhorteris, & quòd mihi se ita facturum rescripsit gratias agas.*

CN. POMPEIO MAGNO II. M. LICINIO CRASSO II. COSS. *Anno ab Urbe condita*, 698.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 7. *Legi tuas literas.*] Initio secundi consulatûs Pompeii & Crassi, qui hoc anno ex interregno consules facti sunt, (Appiano & Dione auctoribus) scripta est hæc epistola. Quod inde intelligi potest, cùm inquit, *stipendium Cæsari datum, & ne succederetur.* Hoc enim initio consulatûs sui secundi Pompeium egisse scribit App. & Dio. Scripta autem videtur ante mensem Aprilem, quia lib. IV. ad Att. scribit Aprili mense rumorem fuisse Puteolis, Ptolemæum esse in regno. In hac autem epistola reductionem ejus Lentulum habere posse ait. Reductum autem esse Pompeio & Crasso coss. tradit Dio lib. XXXIX. Præterea quod ait in hac epistola, *quod mihi de filia & de Crassipede gratularis*, ad Q. Fratrem lib. II. scribit, prid. Non. Aprilis, Marcellino & Philippo coss. Tulliam Crassipedi desponsatam.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 8. *De omnibus rebus.*] Hæc etiam scripta est Crasso & Pompeio coss. Hos enim notat, cùm ait, *res omnes sunt in amicorum nostrorum potestate.* Item, *otium nobis exoptandum est, quod ii, qui potiuntur rebus, præstaturi videntur.* Item, *Pompeium tibi amicum esse cognovi, & eo tu consule, quantum ego perspicio, quæ voles, obtinebis*, adhuc non reductum regem significat: quem tamen hoc eodem anno reductum esse à Gabinio proconsule Syriæ scribit (ut dixi) Dio.

M. Ci-

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 1. *Si te dolor.*] Marius in agris erat, Cicero Romæ. Minuit ei voluptatem ludorum, quos Pompeius consul II. id est hoc anno, edidit, quibus Marius non affuit. De quibus ludis latiùs scribit Dio lib. XXXVIII. in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero C. Sextilio Rufo Proquæstori S. D.

XIII. 48. *Omnes tibi commendo Cyprios.*] Hic C. Sextilius primus Cyprum pro quæstore rexit, ut hac epistolâ scribit Cicero. Cùm autem M. Cato, Dione auctore, superiore anno, Philippo & Marcellino coss. ex Cypro redierit, in quam Gabinio & Pisone coss. profectus erat, eámque interim in provinciæ formam redegerat: profectò apparet, hunc Sextilium hoc anno in Cypro fuisse: præsertim verò, cùm mentionem faciat legis P. Lentuli, qui biennio antè consul fuit. Huic ergo commendat Cicero omnes Cyprios, sed maximè Paphios. Neque verò pro certo rem affirmamus.

L. DOMITIO AHENOBARBO, AP. CLAUDIO PULCHRO COSS. *Anno ab Urbe condita*, 699.

M. Tullius Cicero M. Licinio P. F. Crasso S. D.

V. 8. *Quantum meum studium.*] M. Crassus priore anno consul Syriam provinciam adeptus, in eam eodem anno invitis & obnuntiantibus tribunis plebis profectus erat, auctore Dione, & Plutarcho. Cicero autem hujus anni initio pro eo egit in Senatu, cum consulibus Ap. Claudio & L. Domitio. Quid autem egerit, ad Crassum hac epistola in provinciam scribit. De eadem etiam contentione & defensione Crassi loquitur in epistola longa ad Lentulum, (quæ extremo hoc anno, ut ostendam, scripta est) ita, *Crassi causam, magnâ illius commendatione susceptam, defendi in Senatu.*

M. Tullius Cicero C. Cæsari Imp. S. D.

VII. 5. *Vide, quam mihi persuaserim.*] C. Cæsar jam quintum annum pro consule bellum gerebat in Gallia, cùm ad eum cum his literis C. Trebatium misit Cicero. Missum autem esse Domitio & Claudio coss. hinc intelligi potest, quòd cùm hanc epistolam scripsit, Balbus erat Romæ. Quod significat, cùm ait, *sustulimus manus & ego & Balbus.* Idem autem Balbus erat Romæ his consulibus, Id. Jan. quemadmodum ex epistola ad Q. Fratrem lib. II. intelligi potest, cujus initium est, *Gaudeo tibi jucundas esse.* At Trebatius iisdem consulibus est in Gallia, mense Maio: ut elicitur ex epistola ad Q. Fratrem, quæ incipit, *A. d.* III *Non. Jun.* ubi hæc verba sunt, *Cæsar, Trebatium quòd ad se miserim, persalsè & humaniter etiam mihi gratias egit.* Profectus est autem iisdem consulibus Q. Frater ad Cæsarem post Trebatium, ante mensem Junium. Quod indicat epistola ad eum proficiscentem scripta, cujus initium est, *Duas adhuc.* In qua extrema hæc verba sunt, *Trebatium ut valde ames, te valde rogo.*

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 6. *In omnibus meis epistolis.*] Cùm hæc epistola scripta est, Trebatius erat in Gallia cum Cæsare, itémque Balbus, quia ait, *in omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem aut ad Balbum mitto.* Hortatur eum ut desiderium urbis deponat, monétque ne in Britannia se decipi patiatur. Bis autem in Britanniam trajecit Cæsar: primùm priore anno Pompeio & Crasso coss. Dione auctore lib. XXXIX. iterum hoc anno, Domitio & Claudio coss. Dione auctore lib. XL. Itaque cùm suspicaretur Trebatium cum Cæsare in Britanniam trajecturum, hæc scribit. Si quidem in epistola quadam ad Att. lib. IV. his coss. data, ait, *ex Q. Fratris literis jam suspicor Cæsarem esse in Britannia.*

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 7. *Ego te commendare non desisto.*] Trebatium item de Britannia monet, ut si utile sit in eam trajicere, trajiciat: sin minus, in Gallia maneat. Meminit item literarum, quas à Q. Fratre multas accipit: de quibus antè diximus.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 8. *Scripsit ad me Cæsar.*] Scribit se accepisse literas à Cæsare, quibus eum sibi familiarem futurum affirmat. Has autem epistolas se accepisse ait a. d. III Non. Jan. ad

ad Q. Fratrem scribens, his verbis, *Cæsar, Trebatium quòd ad se miserim, persalsè & humaniter etiam mihi gratias egit.* Videtur suspicari, eum aut profectum jam, aut profecturum in Britanniam. Quia ait, *ego vestras Britannicas literas expecto.*

Cicero Trebatio S. D.

VII. 17. *Ex tuis literis.*] Hæc epistola superiorem sequitur: quia in illa suspicari videbatur eum profecturum esse in Britanniam: in hac verò profectum eum non esse, videtur scire, cùm ait, *in Britanniam te non esse profectum gaudeo. Ubi sis hiematurus, scribas ad me velim.* Cæsarem porrò a. d. VI Kal. Oct. exercitum Britanniâ reportasse scribit Cicero ad Att. lib. IV.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 9. *Jamdiu ignoro quid agas.*] Quærit item ab eo ubi sit hiematurus.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 10. *Legi tuas literas.*] Extremo hoc eodem anno videtur scripta hæc epistola: quia ait, *metuo ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo.* In Britanniam item eum non esse profectum, se scire significat, cùm ait, *quòd si in Britanniam quoque profectus esses, nemo te in illa tanta insula peritior fuisset.*

Cicero Trebatio S. D.

VII. 16. *In equo Trojano.*] Hæc item prope anni finem scripta videtur: quia ait, *nunc verò in hibernis injectus mihi videris.* Item, *ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac planè sciam.* Item non transisse eum in Britanniam, se scire significat, cùm inquit, *Britannia non nimis* φιλοθέωρον *te præbuisti.*

M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S. P. D.

I. 9. *Perjucundæ.*] P. Lentulus pro consule adhuc Ciliciam regebat. Ap. Claudio consule scripta est: ex his verbis, *Appius dixit, sese, si licitum esset, legem Curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, tibique successurum. Legem Curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse.* Hac eadem de re scribit etiam ad Q. Fratrem v Id. Oct. his coss. ut omninò extremo hoc anno hæc epistola scripta esse videatur. Exponit quærenti Lentulo, cur Vatinium, Crassúmque inimicos antè suos, defenderit.

M. T. Cicero S. D. L. Valerio Jurisconsulto.

I. 10. *Cur enim tibi hoc non gratificer nescio.*] Commendat Lentulo proconsuli Ciliciæ Valerium, qui in Cilicia erat. Credo autem commendasse eum in extremo consulatu ejus: nam eundem commendat etiam Ap. Claudio proconsuli, successori Lentuli, in prima ad eum epistola.

INTERREGNUM SEX MENSIUM ANTE CN. DOMITIUM CALVINUM, M. VALERIUM MESSALAM COSS. *Anno ab Urbe condita*, 700.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 11. *Nisi antè Roma.*] Trebatius item in Gallia erat. Hoc autem anno per sex menses interregnum fuit sine consulibus, ut ait Dio lib. XL. Inde in reliquum anni creati sunt consules, Cn. Domitius Calvinus, & M. Valerius Messala. Hanc autem epistolam per interregnum illud scriptam esse, ex his verbis intelligi potest, *quis enim tot interregnis jurisconsultum desiderat?*

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 1. *Quamquam me nomine.*] C. Curio in Asia erat, ut ex ea epistola apparet, cujus initium est, *Nondum erat auditum*: cùm ait, *& te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret.* Fuisse autem in Asia cum potestate, declarant verba illius epistolæ quæ incipit, *Hæc negotia*: quæ sunt, *Vel quòd excelso & illustri loco sit laus tua, in plurimorum & sociorum & civium conspectu.* Verisimile autem est quæstorem fuisse, quia paucis pòst annis fuit Tribunus plebis: ante tribunatum autem capiebatur quæstura. Quantopere autem & socios, & cives Romanos publicanos, qui in Asia negotiabantur, juvare & vexare possent quæstores, apparet

paret ex P. Rutilio, quæstore Q. Mucii Scævolæ: quem idcirco equites Romani damnarunt, quod Asianos à publicanorum injuriis defenderat. Priores hæ epistolæ, quo anno scriptæ sint, ex earum verbis non liquet, illud tantum constat, epistolam illam, *Nondum erat auditum*, scriptam esse hoc anno, Calvino & Messala coss. quia in ea commendat Curioni ex Asia Romam decedenti Milonem, consulatûs candidatum hoc anno: Dione, Appiano, & Pædiano, auctoribus. Cùm autem in omnibus epistolis ante illam agat de reditu ejus, eodem fortè anno omnes scriptæ esse videri poterunt, antequam Curio ex Asia decederet. Si quidem in hac ait, *ego te absuisse tamdiu à nobis gaudeo*. Hæc certè præcedit reliquas, quòd in ea Curionem à se requisivisse literas scribit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 2. *Gravi teste.*] Agit cum Curione absente de obitu patris ejus.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 3. *Rupæ studium.*] Hujus epistolæ cum superioris conjunctum ferè argumentum est. Agit enim de ludis funebribus in honorem patris Curionis edendis, eósque in adventum ejus differendos suadet. Ludorum spectandorum satietate omnes defessos ait, propter magnificentissimos (ut puto) ludos, quos Pompeius in secundo suo consulatu paulo antè dedit.

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 12. *Mirabar quid esset.*] Epicureum factum esse Trebatium se audisse ait à Pansa. Rogat item ut ad se scribat quid agat: ut in superiore ad eundem Trebatium.

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 13. *Adeóne me injustum.*] Hæc epistola his certè consulibus scripta est. Nam monet Trebatium ut vitet Treviros, quibuscum bellavit Cæsar hoc anno, Dione auctore. Scripta est autem a. d. III Non. Mart. ergo per interregnum.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 15. *Quàm sint morosi.*] Antè, se molestè tulisse ait quòd Trebatius in Gallia invitus esset: nunc dolere quòd illic sit libenter. Invitum autem fuisse ibi Trebatium, intelligitur ferè ex omnibus superioribus epistolis.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 18. *Accepi à te aliquot epistolas.*] In hac item significat, se cognovisse quàm forti animo militiam ferat, contra quam ille antea fecerat. Data est VI Id. Apr. de Pontino.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 4. *Epistolarum genera.*] Hortatur Curionem ad laudem, & maximam esse ejus expectationem ait. Rempublicam afflictam esse innuit: fortè quòd sine consulibus esset, nec comitia consularia haberi civili contentione possent. Scripta est certè post superiores: quia inquit, *utar eâ clausulâ quâ soleo, téque ad studium summæ laudis cohortabor.* Hac autem clausulâ usus est primâ & tertiâ antè epistolâ.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 5. *Hæc negotia.*] Admirabilem expectationem ejus reditûs esse ait. De Republica afflicta eadem repetit.

M. Cicero S. P. D. P. Sextio P. F.

V. 17. *Non oblivione.*] Hæc epistola sine dubio scripta est post reditum Ciceronis ab exilio: quia ait, *Et proximè, recenti adventu meo, cùm rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tamen nullâ re saluti tuæ defui: cùmque eo tempore invidia annonæ inimici non solùm mei, verùm etiam amicorum tuorum, plus valuisset, &c.* Nam invidiam annonæ, quæ gravior facta erat post reditum Ciceronis, fecit Claudius & Ciceroni & amicis ejus. Est autem intelligendum, tria judicia commemorari in hac epistola à Cicerone: unum, quo, cùm esset Sextius quæstor C. Antonii proconsulis Macedoniæ, accusabatur unà cum proconsule suo de repetundis, ut suprà dictum est: alterum, de ambitu: tertium, de vi: ut scribit ad Q. Fratrem, Marcellino & Philippo coss. In primo judicio ait se defendisse eum: cùm inquit, *primis illis temporibus, quibus in invidiam absens & in crimen vocabare, defendi.* Judicio de vi est absolutus, defendente Cicerone: quia scri-

scribit ad Q. Fratrem, epistolà scriptâ Lentulo & Philippo coss. ita, *Sextius noster absolutus est* III. *Id. Mart.* Tertio judicio de ambitu est condemnatus, de quo eum consolatur in hac epistola: cùm ait, *iniquitas totius judicii, multáque alia reipublicæ vitia, plus quàm causa ipsa veritásque, valuissent.* Cùm ergo damnatus illo judicio exularet Sextius, ad eum scripsit hanc epistolam Cicero consolandi causâ. Quia verò ait, *non oblivione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas misi.* Et paulo pòst, *cùm verò & intervallum jam satis longum fuisset*, significat aliquot tempora intercessisse post ejus exilium, de quibus non scripserat. Item quia ait, *illud utinam ne verè scriberem, eâ te republicâ carere, in qua neminem prudentem res ulla delectet*: propterea in eam opinionem adducor ut credam, scriptam esse hanc epistolam biennio post quàm Sextius damnatus fuerat: cùm propter seditiones civiles consules creari non possent, sed interregna alia ex aliis inirentur. Quod hoc tempore factum est. Quamobrem hîc ponendam esse hanc epistolam, nihil tamen affirmantes, duximus.

CN. DOMITIO CALVINO, M. VALERIO MESSALA COSS. *In reliquum anni.*

Cicero Trebatio S. D.

VII. 14. *Chrysippus Vectius.*] Adventante æstate scripta est, Calvinio & Messala coss. quia ait, *sin æstivus timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia.* In quam scilicet trajicere cum Cæsare anno superiore noluit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 6. *Nondum erat auditum.*] Superioribus proximis ad Curionem literis magnam esse reditûs ejus expectationem significavit: in hac autem eum ipsum Romam adventare ait. Itaque huic adventanti Milonem commendat, qui in annum sequentem consulatum petebat, Dione, Appiano, Pædiano auctoribus.

CN. POMPEIO MAGNO III. COS. SINE COLLEGA. *Anno ab Urbe condita*, 701.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 2. *Mandatum tuum.*] Hoc anno cùm civili contentione consularia comitia haberi non potuissent, quibus Milo, Hypsæus & Scipio petebant, interregnum fuit usque ad v Kal. Mart. quo die Cn. Pompeius Magnus consul creatus statim iniit, auctore Pædiano in Milonianam. Hæc igitur epistola Pompeio III. cos. scripta est, quia de nece Clodii agit, hoc anno per interregnum commissa, & de novis legibus, quas tulit Pompeius III. consul: ut ait Pædianus his verbis, *Pompeius statim consulatum iniit, deinde ante diem tertium de legibus novis ferendis retulit.* Eadem & de legibus & de judiciis Appian. lib. II. & Dio lib. XL. quæ nunc Cicero. Præterea de T. Munacio Planco Bursa damnato agit: de quo etiam Dio in tertio consulatu Pompeii. Damnatus est autem quòd curiam incenderat in funere Claudii, teste Dione.

M. Cicero S. D. T. Fabio.

V. 18. *Etsi egomet.*] Quanquam non admodum certa est hujus epistolæ sedes, tamen ante bellum civile Cæsaris scripta esse videtur. Quod ex his verbis intelligi potest, *Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quàm levissimâ pœnâ ab hac republica discesserit.* Consolatur autem Fabium de repulsa lata: quam repulsam ipse videtur tulisse Pompeio III. consule, rempublicam extraordinaria cum potestate administrante. Quod videtur his verbis significari, *& cùm unum sit judicium ex tam multis quod reprehendatur, ut quòd una sententia eáque dubia potentiæ alicujus condonatum existimetur, omnibus his de causis debes istam molestiam quàm lenissimè ferre.*

M. T. Cicero T. Titio, T. F. Legato S.

XIII. 75. *Etsi non dubito quin.*] T. Titius legatus erat rei frumentariæ curandæ. Commendat ei C. Avianum, ut commodet ei de loco

Digitized by Google

loco quo deportet frumentum: ut puto in Sicilia. Nam & , *C. Avianus in Sicilia est*, charta 232. & Sicilia horreum populi Romani solet esse. Sedes hæc videtur esse hujus epistolæ, quòd ait se hoc idem obtinuisse per triennium, dum Pompeius ei negotio præfuit. Pompeius autem, Lentulo & Metello coss. rem frumentariam in quinquennium est adeptus, Dione auctore: quo expleto, facilè hoc anno alius successit cum hoc Titio legato. Conjectura tamen est.

SER. SULPICIO RUFO,
M. CLAUDIO MARCELLO COSS.
Anno ab Urbe condita, 702.

M. T. Cicero Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 1. *Si ipsa respublica.*] Appius Claudius proconsul erat in Cilicia, successeratque ante biennium Lentulo: Cicero Romæ erat. Hujus autem epistolæ quanquam incerta sedes est, tamen illud affirmari posse videtur, non initio proconsulatûs Appii missam esse, cùm imperator, non proconsul, in titulo epistolæ nominetur. Scripta est certè antequam Ciceroni obtigisset ut Appio in provincia succederet. Successit enim his iisdem consulibus, ut infrà apparebit. De reconciliata gratia agit, quæ P. Clodii Fratris ejus causâ fuerat interrupta. Redierat autem in gratiam cum eo tum cùm consul esset. Ut eodem anno in epistola longa scripsit ad Lentulum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 2. *Cùm & contra.*] Nunciat Appio Claudio proconsuli Ciliciæ, sibi obtigisse ut ei in provincia succederet. Rogat eum ut sibi provinciam quàm expeditissimam tradere velit. Romæ adhuc erat Cicero, ut in sequenti ait. Non videtur autem proconsul esse nominandus, nisi posteaquam aut in provinciam pervenit, aut certè imperium ad urbem accepit.

M. T. Cicero Procos. Ap. Claudio Pulchro Imp. S. P. D.

III. 3. *A. d. XI. Kal. Jun.*] Scripta est tum cùm in Ciliciam proficiscebatur successurus Appio, mense Maio: quemadmodum ex epistolarum ad Att. lib. 5. intelligi potest. Fuit autem in Tusculano cum Attico Non. Maii. Inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompeiano, Trebulano peragratis, Beneventum venit a. d. v Id. Maii, Tarentum autem a. d. xv. Kal. Jun. At verò Brundusium a. d. XI. Kal. Jun. quemadmodum in hac epistola scribit. Ergo post XI. Kal. Jun. scripta: est tamen ante Kal. Jun. Si quidem ait, se C. Pontinium legatum expectare Brundusii, eúmque ante Kal. Jun. venturum arbitrari. De quo sic scribit etiam ad Att. lib. V. *De Pontinio rectè scribis. Est enim ita, ut si ante Kal. Jun. Brundusii futurus sit, minus urgendi fuerint M. Annius & Tullius.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 1. *Quod tibi decedenti.*] Cælius Ciceronem proconsulem in provinciam proficiscentem certiorem facit de rebus urbanis, quemadmodum ei decedenti pollicitus erat se facturum. Scripta est post IX Kal. Jun. sed tamen ante Kal. Jun. quia ait, *te a. d. IX Kal. Jun. subrostrani dissiparant periisse.* Item, *Marcellus consul provinciarum relationem in Kal. Jun. distulit.*

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 4. *Pridie Non. Jun.*] Scripta est post diem prid. Non. Jun. quo die se fuisse etiam Brundusii significat in epistola ipsa.

M. Cicero C. Memmio S. D.

XIII. 1. *Etsi non satis.*] C. Memmius Pompeio III. cos. de ambitu condemnatus, Athenis nunc exulabat. Quo Cicero venerat a. d. VI. Kal. Quint. ut est in epistolis ad Att. Ibi cùm videre Memmium exulantem non potuisset, (quòd se prid. quàm Athenas venerat Cicero, Mitylenas contulisset) scribit ad eum, doletque se non potuisse eum Athenis videre: petit autem ab eo ut Patroni cuidam commodet. Qua de re sic ad Att. lib. V. *Commodius visum est & Xenoni, & post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, (qui prid. quàm ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat) ut is ad suos scriberet, posse id suâ voluntate fieri.*

M. Cicero C. Memmio.

XIII. 2. *C. Aviano Evandro.*] Ad eundem Memmium scribit, atque ei commen-

Digitized by Google

dat Avianum statuarium, ut ei de habitatione accommodet. Scripta est ante Kal. Quint. quia inquit Aviano subitum esse remigrare Kal. Quint.

M. T. Cicero Procos. M. Cælio S. P. D.

II. 8. *Quid? ut me hoc tibi.*] Cicero Athenis profectus est prid. Non. Quint. cùm ibi decem dies ipsos fuisset. Ad Att eo die Athenis proficiscens hanc epistolam scripsit, ut ex ipsa epistola apparet. Respondet epistolæ Cælii superiori, cujus initium est, *Quod tibi.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 2. *Certè inquam.*] Certiorem facit Ciceronem absentem de rebus urbanis. Id est, Messalam absolutum, Marcelli impetus resedisse, Hirrum secum ædilitatem petere. Mandat ut, si ædilis creatus fuerit, sibi curet pantheras: & syngrapham Sitianam ei commendat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 3. *Est-ne? vici.*] Nuntiat item se in ædilitate competitorem habere Hirrum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 5. *Tralles veni.*] Cicero proficiscens in Ciliciam, Ephesum venit, XI Kal. Sext. Att. Tralles VI Kal. Sext. ex hac epistola. Laodiceam in provinciam pridie Kal. Sext. Att Fam Hanc scripsit post VI Kal. Sext. ante prid. Kal Sext. quia ait se putare illo die futurum Laodiceæ. De conveniendo in provincia Appio agit.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 4. *Invideo tibi.*] Scripta est Kal. Sext. ut adscriptum est in extrema epistola. Nuntiat de rebus urbanis: ut C. Marcellum consulem designatum esse, Curionem petere tribunatum plebis: comitia ædilitia, quibus ipse petebat, nondum esse habita. Pantheras & syngrapham Sitianam ei commendat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 5. *Quâ tu curâ sis.*] Timere se ait de copiis Ciceronis, si Parthi moveant. Optat ei tantum belli, quo triumphum consequi possit. Curionem designatum tribunum plebis nuntiat. Nihil de suis comitiis ædilitiis ait: nondum autem habita fuisse videntur.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 6. *Sic tu inquis.*] Nuntiat se vicisse competitorem Hirrum, & ædilem se factum. Rogat item eum de pantheris: séque a. d. IV Non. Sept. hanc dedisse ait.

M. Cicero Procos. S. D. M. Marcello Cos.

XV. 9. *Te & pietatis.*] Cùm accepisset à Cælio comitiis consularibus C. Marcellum consulem factum, gratulatur M. Marcello consuli de C. Marcello fratre ejus patruele in insequentem annum consule designato. Quia verò de Parthis nuntiari aliquid ait, neque se publicè adhuc ea de re scribere velle, propterea hæc epistola videtur præcedere eam quam publicè misit, in qua de Parthis nuntiat.

M. Cicero Procos. C. Marcello Cos. Des. S. D.

XV. 7. *Maximâ sum lætitiâ.*] Gratulatur ei quòd consul designatus sit.

M. Cicero Procos. C. Marcello Collegæ S. D.

XV. 8. *Marcellum tuum.*] Gratulatur C. Marcello collegæ in auguratu de C. Marcello filio consule designato.

M. Cicero Imp. L. Paulo Cos. Des. S. D.

XV. 12. *Etsi mihi nunquam.*] Gratulatur L. Paulo cos. des. de consulatu. Hæ quatuor epistolæ gratulationis eodem (ut puto) die scriptæ sunt. Non videtur autem in titulo epistolæ Imperator appellandus, quòd nondum in Amano rem gesserit.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

XV. 2. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Cùm prid. Kal. Sext.*] Quod nega-

Digitized by Google

negarat paulo antè, cùm scriberet ad M. Marcellum consulem, se adhuc de Parthico metu publicè scribere velle, id nunc facit. Nuntiat enim Senatui, ut venerit in provinciam prid. Kal. Sext. ut accepto nuntio de bello à Parthis in Syriam illato, iter in Ciliciam per Cappadociam facere cœperit. Cùm autem hæc scripsit, in Ciliciam per Cappadociam tendebat.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 6 *Cùm meum factum.*] Eodem tempore scripta est atque superior: quia ait, se prid. Kal. Sext. in provinciam venisse, prid. Kal. Sept. ab Iconio castra movisse, iter in Ciliciam per Cappadociam facere. Agit cum Appio de ratione conveniendi eum in provincia.

Cicero Imp. S. D. M. Catoni.

XV. 3. *Cùm ad me legati.*] Nuntiat quemadmodum legati ab Antiocho Commageno ad se venerint in castra ad Iconium a. d. III Kal. Sept. & nuntiarint regis Parthorum filium cum magnis Parthorum copiis ad Euphratem venisse: se tamen de hac re nihil publicè scribere. Non videtur autem imperator esse appellandus in titulo epistolæ, sed proconsul, ob causam quam antè diximus Præterea verò mendosè est in epistola, se in castris ad Iconium conventum esse à legatis a. d. III. Non. Sept. Si quidem ad Att. scribit se lustrasse exercitum apud Iconium III Kal. Sept. & ad Appium, castra movisse ab Iconio prid. Kal. Sept.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. P. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

XV. 1. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubiè.*] Ter antè Romam scripsit de metu Parthico: primò ad M. Marcellum consulem obscurissimè: qua in epistola negavit se ad eum de ea re scribere velle, ne publicè, cùm ad consulem scriberet, scribere videretur. Deinde eadem illa ad Senatum, id est, quemadmodum de bello à Parthis in Syriam illato quotidie & nuntii & literæ afferrentur: qua in epistola ait, se cum exercitu, per Cappadociæ partem eam quæ cum Cilicia continens est, iter fecisse, castráque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locasse. Tertiò in epistola ad Catonem, quâ ait, se in castris ad Iconium a. d. III. Kal. Sept. accepisse à legatis Antiochi Commageni regis Parthorum filium Euphratem transire cœpisse: ea tamen de re nihil publicè scripsisse. Quartò nunc ad Senatum scribit, atque se non solùm à legatis Commageni regis, Parthos Euphratem transire cœpisse audisse, sed etiam a. d. XIII. Kal. Oct. cùm exercitum in Ciliciam duceret, à Tarcondimoto accepisse Parthos item Euphratem transisse. Ergo quæ negarat Catoni se publicè scripsisse, nunc quia certiora habet, scribit. Se ad Taurum instituisse ducere ait. Hanc epistolam de Parthico tumultu recitatam in Senatu Non. Oct. scribit ad Att.

M. Cælius M. Cicero S. D.

VIII. 8. *Etsi de republica.*] Narrat senatus-consulta facta prid. Kal. Oct. ut C. Marcellus, L. Paulus cos. des. ad Kal. Mart. (quæ futuræ essent in suo consulatu) de provinciis Galliis referrent ad Senatum.

M. T. Cicero Procos. M. Cælio Ruso Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 9. *Plurimum tibi.*] Respondet epistolæ Cælii, cujus initium est, *Sic tu, inquis, Hirrum tractasti?* Gratulatur ei quòd ædilis factus sit: & seriùs se hoc facere ait, quia serò audierit. In iis enim & locis esse, quò & propter longinquitatem & propter latrocinia tardissimè omnia perferantur. Erat autem fortasse ad montem Taurum, de quo superiore epistolâ.

M. T. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro.

III. 8. *Etsi, quantum.*] Cicero Tarsum venit, Ciliciæ urbem, III. Non. Oct. *Att.* Tarso Amanum versùs profectus est Non. Oct.. ex hac epistola. Postridie ejus diei hanc epistolam scripsit, ut in hac ait. Querelis quibusdam Appii respondet. De Parthis quod falsò nunciatum erat Romæ, ita quærenti Appio respondet, *De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syria negant ullum.*

Digitized by Google

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 10. *Tu vide.*] Cicero a. d. III. Idus Octob. in Amanum montem venit: in eo rem bene gessit, apud Issum Imperator appellatus est. *Fam. Att.* Cùm hanc epistolam scripsit, in eo quintum & vigesimum jam diem Pindenissum oppidum oppugnabat, id est XVI. Kal. Decemb. Nam Pindenissum captum est Saturnalibus, ut scribit ad Att. id est XIV. Kal. Jan. cùm per septem & quinquaginta dies illud oppugnasset, ut ait in epistola ad Catonem. Nullas se à Cælio accepisse literas ait, postea quàm ædilis factus est. Neque enim dum accepisse videtur eas, quarum initium est, *Etsi de republica.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 10. *Sanè quàm.*] Hæc epist. scripta est a. d. XIV Kal. Decemb. ut ex ipsa apparet, in qua agit de falso metu Parthico à Cassio nunciato, qui Arabas ornatu Parthico in provinciam immisisse credebatur. Qua de re scripsit superiore etiam epistola ad Appium, postr. Non. Oct.

M. T. Cicero Procos. C. Curioni Trib. Pl. S. P. D.

II. 7. *Sera gratulatio.*] Gratulatur Curioni de tribunatu plebis, seriùs, ut ait, quia longiùs abest. Scripta est hæc epistola post captum Pindenissum, id est, post XIV. Kal. Jan. Quod intelligi potest ex his verbis, *Paucis diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut quoniam sane feliciter & ex mea sententia remp. gessimus, unis literis totius æstatis res gestas ad Senatum perscriberem.*

M. Cicero Volumnio S. D.

VII. 32. *Quod sine prænomine.*] Hæc epistola scripta esse videtur Decembri mense: quia meminit Curionis Trib. pleb. cùm ait, *Cupio nostrum illum amicum in Tribunatu quamplurimum habere gravitatis.* Dolet, post discessum suum omnia omnium dicta in se conferri.

M. Cicero Q. Thermo Propræt. S.

XIII. 53. *L. Genucilio Curvo.*] Q. Thermus proprætor erat Asiæ tum cùm Cicero proconsul erat Ciliciæ, quemadmodum ex sequentibus epistolis apertè apparebit. Commendat ei hac epistolâ L. Genucilium. Quo autem mense eam scripserit, ex verbis ejus non liquet.

Cicero Thermo Propræt. S.

XIII. 56. *Cluvius Puteolanus.*] Incertum est an hæc epistola scripta sit ante rem gestam à Cicerone in Amano, an verò posteaquam gessit. Illud non dubium est, scriptam esse postquam Ephesо profectus est. Ephesum autem venit XI. Kal. Sext. Att. siquidem ait, *Dixerat mihi Euthydemus cùm Ephesi essem.*

Cicero Thermo Propræt. S.

XIII. 55. *Etsi mihi videor.*] M. Anneius legatus Ciceronis rei suæ causâ profectus erat ad Thermum proprætorem Asiæ, quemadmodum apparet ex epistola ad Thermum, cujus initium est, *Quo magis.* Profectus autem videtur esse post rem à Cicerone in Amano monte gestam: quia ait, *Tum verò posteaquam mecum in bello ac in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantámque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam.* Hunc ergo commendat Thermo.

M. Cicero P. Silio Propræt. S. D.

XIII. 61. *T. Pinnio.*] Illud satis constare videtur, hunc Silium in provincia eodem tempore fuisse, atque Ciceronem: quia ait ipse Cicero ad Silium, *magnum theatrum habet ista provincia, non ut hæc nostra.* Item videtur eodem tempore fuisse in provincia quo Cicero & Thermus in Cilicia & Asia, & Bibulus in Syria, erant: quia scribit ad Att. *Thermum, Silium verè audis laudari. Valde se honestè gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles.* Quanquam eo in loco mendosè legitur *Silvium*, meo quidem judicio. Provincia verò in qua erat Silius, videtur fuisse Bithynia, in qua sunt Nicæenses,

Digitized by Google

ses, quorum in hac epistola meminit. Itaque hæ omnes epistolæ scriptæ ad Silium proprætorem, scriptæ sunt à Cicerone ex provincia: quibus verò mensibus, non liquet.

M. Cicero P. Silio Propræt. S. D.

XIII. 62. *Et in Atilii negotio.*] Gratias agit Silio de Atilio & commendat Q. fratrem. Ostendit autem se in provincia esse, cùm ait, *cùm enim serò venissem.*

M. Cicero P. Silio Propræt. S. D.

XIII. 63. *Non putavi.*] Commendat ei C. Lenium. Ostendit se esse in provincia, cùm ait, *Ego eum à me invitissimus dimisi, quòd consilio ejus fideli ac bono libenter utebar.* Rogat eum ut ad se confectis ejus negotiis quamprimum remittat.

M. Cicero P. Silio Propræt. S. D.

XIII. 64. *Nero meus.*] Commendat Silio Neronem, & quosdam ejus familiares.

M. Cicero Crassipedi S. P. D.

X. 9. *Quanquam tibi præsens.*] Difficile est de vera hujus epistolæ sede aliquid affirmare: sed tamen duplici conjecturâ ducor ut credam hoc tempore scriptam esse: altera, quòd is Crassipes, quæstor Bithyniæ fuisse videtur, cùm ait, *Cujus rei quantam potestatem Quæstor habeat, non sum ignarus*: ut Quæstor esse C. Silii proprætoris Bithyniæ videatur. Altera est, quòd utrique commendat socios Bithynicos familiares suos: in primis autem Crassipedi P. Rupilium, magistrum in ea societate: C. verò Silio P. Terentium Hysponem, qui operas in scriptura pro magistro daret, ut in sequenti epistola. Ex quibus intelligi potest id quod initio diximus, cùm hoc tempore quo Silius proprætor erat in Bithynia, scriptam esse hanc epistolam, tum verò Crassipedem Silii in Bithynia fuisse quæstorem.

M. Cicero P. Silio Propræt. S. D.

XIII. 65. *Cum P. Terentio Hyspone.*] Commendat P. Terentium Hysponem, qui in Bithynica societate operas in scriptura pro magistro daret. De cujus negotio se egisse ait cum Ephesiis cùm fuit Ephesi in Ciliciam veniens.

Cicero Silio S. P. D.

XIII. 47. *Qui ego tibi commendem eum.*] Commendat ei Egnatium. Quanquam non est adscriptum *Proprætori*, tamen idem Silius videtur esse. Videtúrque hæc epistola subsequi superiores, quia ait, *sed hæc coràm.*

L. ÆMILIO PAULO, C. CLAUDIO MARCELLO COSS.
Anno ab Urbe condita, 703.

M. Cicero Imp. C. Catoni S. D.

XV. 4. *Summa tua auctoritas.*] Jam Cicero æstivis confectis Q. fratrem legatum hibernis & Ciliciæ præfecerat. Inde in Asiam Tharso Non. Jan. reversus erat: *Att.* Tum igitur hanc epistolam scripsit, in qua omnes res à se gestas in Amano monte exponit. Se Pindenissum cepisse nunciat, exercitum in hiberna dimisisse, Q. fratrem provinciæ præfecisse. Supplicationem propterea ut sibi Cato decernat petit.

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

XV. 10. *Cùm id accidit.*] Petit item à consule ut de supplicatione sibi de rebus à se in provincia gestis decernenda referat.

M. Cicero Imp. L. Paulo Cos. S. D.

XV. 13. *Maximè mihi fuit.*] Petit idem à Paulo consule quod petiit suprà à collega Marcello. Misit etiam hoc eodem tempore de eadem re literas ad Senatum, quæ interciderunt: de quibus loquitur in superiore epistola ad Marcellum, cùm ait, *Peto à te ut quàm honorificentissimum S. C. literis meis recitatis, faciendum cures.* Non scripsisse autem se statim post res gestas, indicat in epistola ad Appium, cùm ait, *idque à me rectè factum puto, quòd non statim ut imperator*

tor appellatus sim, sed aliis rebus additis, æstivisque confectis, literas miserim. Atque hæ tres epistolæ eodem fere die scriptæ esse videntur.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 6. *Non dubito.*] Hæc epistola scripta videtur principio hujus anni, quia ait, *consules adhuc S. C. nullum nisi de feriis Latinis facere potuerunt.* Nam ejusmodi S. C. primis anni mensibus fiebant. Item, *Curioni nostro tribunatus conglaciat.* Et pòst, *pro Cæsare loqui cœpit.* Inierat autem IV. Id. Decemb. qui dies solennis erat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 7. *Quàm citò.*] Hæc epist. scripta videtur postridie quàm superior. Nam ait, *tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam.* Item audisse videtur rem à Cicerone bene gestam: quia ait, *quo adhuc feliciùs rem gessisti.*

M. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro.

III. 7. *Pluribus verbis.*] Hæc epistola scripta est dum Cicero esset Laodiceæ, ubi moratus est à III. Id. Feb. usque ad Non. Maii: *Att.* & *Fam.* Inquit enim in hac epistola. *Hæc scripsi subitò cùm Bruti pueri Laodiceæ me convenissent, & se Romam properare dixissent.* Item scripta est post brumam: quia ait, *tametsi id quidem fecerunt ridiculè: quas enim literas afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt.* Ex quo intelligi potest, imperatorem, non proconsulem, in titulo epistolæ esse appellandum: cùm priore anno imperator sit appellatus. Querelis item quibusdam Appii respondet.

M. Cic. C. Cassio Proquæst. S. D.

XV. 14. *M. Fabium.*] C. Cassius proquæstor erat Syriæ: eum hortatur ut Romam properans, curet ne quid sibi temporis in provincia prorogetur. Se de M. Fabio studiosè facturum quæ rogavit ait.

M. T. C. Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 14. *M. Fabio.*] Commendat Cælio rem M. Fabii. Scripta videtur per hiemem, quia ait, *Jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur.* Hoc fecisse C. Cassii rogatu videtur, ex superiore ad eum epistola.

M. Cicero C. Curtio Peduceano Præt. S. P. D.

XIII. 59. *M. Fabium.*] Commendat item huic rem M. Fabii. Ostendit etiam se in provincia esse, cùm ait, *etiam cùm procul absim.*

M. Cicero C. Titio L. F. Rufo Præt. Urb. S.

XIII. 58. *L. Custidius.*] Commendat huic L. Custidium. Ostendit etiam se in provincia esse, cùm ait, *etiam cùm longissimè absim.*

M. T. C. Imp. Ap. Pulchro S. D.

III. 9. *Vix tandem.*] Literas ab Appio jam placato, postquam ab urbem accesserit, se accepisse ait: rogat eum ut se adjuvet in supplicatione decernenda. Hæc aliquanto post superiores de supplicatione videtur scripta: quia ait, *Omnino seriùs misi literas quàm vellem. In quo cùm difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatûs incidisse credo meas literas.*

M. T. C. Imp. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 11. *Putarésne unquam.*] Respondet de pantheris. Se sollicitum esse quid de provinciis decernatur, & Romam redire cupere ait. Scripta est Megalensibus, id est, Non. Apr. ex epistola.

Cicero Thermo Proprӕt. S.

XIII. 54. *Cùm mihi multa.*] Commendat Thermo M. Marcilium. Scripta est hoc tempore, quia ait Marcilium ad se venisse Laodiceam, ubi hoc tempore erat Cicero, ut ostendimus.

Cicero Thermo Proprӕt. S.

XIII. 57. *Quo magis.*] Ante Kal. Maias scripta est. Quia ait, *Ego in Ciliciam profectus*

Digitized by Google

ficiſci cogito circiter Kal. Maias. Ante eum diem redeat Anneius legatus oportet. Erat autem Anneius ad Thermum profectus rei ſuæ causâ, ut diximus. Quæ cùm ita ſint, & ſuperiori & huic epiſtolæ in titulo addendum eſt IMP.

M. T. C. Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 13. *Raras tuas quidem*] Scripta eſt ante Non. Maii, quia ait, *Proficiſci in Ciliciam cogitabam Non. Maii, &, cùm primùm æſtiva attigiſſem, militarémque rem collocaſſem, decedere.* Reſpondet epiſtolæ Cælii, cujus initium eſt, *Non dubito.*

M. T. Cicero Imp. Q. Thermo Propræt. S. P. D.

II. 18. *Officium meum*] Scripta eſt tum cùm in Ciliciam revertebat ex Aſia: quia ait, *quod in Ciliciam proficiſcebar.* Monet ut provinciæ quæſtorem nobilem potius quàm legatos præficiat.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

III. 10. *Cùm eſt ad nos allatum*] Appius accuſatus à Dolabella, opem Ciceronis per literas implorarat. Pollicetur ei opem Cicero, cùm ait, *Promitto me pro tua dignitate in hac provincia, cui tu præfuiſti, rogando, deprecatoris: laborando, propinqui: auctoritate, cari hominis (ut ſpero) apud civitates: gravitate, imperatoris ſuſcepturum officia atque partes.* Intelligit autem, ut legatos ex Cilicia mittendos ſuadeat periculi Appii deprecatores. Scripta videtur, vel cùm Laodiceæ erat, vel poſtquam in Ciliciam reverſus eſt: quia ait, *Pontinus conſcendens jam navim Epheſo Laodiceam revertit.* Sperat eum propediem Cenſorem auditurum. Petit ne quid ſibi temporis addatur in provincia.

M. T. Cicero Imp. Papirio Pæto S. D.

IX. 25. *Summum me ducem*] Hæc epiſtola ſcripta videtur poſtquam Laodiceâ diſceſſit: quia ait, *Is cùm ad me Laodiceam veniſſet.* Commendat Papirio item rem M. Fabii: quam ſuprà commendavit etiam Cælio.

M. T. Cicero Imp. C. Cælio L. F. Quæſt. Deſ. S. P. D.

II. 19. *Cùm optatiſſimum*] Scripta eſt poſt Kal. Quint. quia ait, *Accepi à te miſſas literas in Cilicia, cùm eſſem in caſtris, a. d. x. Kal. Quint.* Item quod ait, *Gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me in Ciliciam quam primum veneris.*

M. T. Cicero Imp. Cælio Rufo Ædili Cur. Deſ. S. P. D.

II. 12. *Solicitus equidem*] De deceſſione cogitat: quod ait, *quare etſi eùm hæc leges, ego jam annuum munus confecero: tamen obviam mihi velim ſint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni rep. ne hoſpes planè veniam.* Eum videre ædilem ſe cupere ait.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro, ut ſpero, Cenſori S. P. D.

III. 11. *Cùm eſſem in caſtris*] Adhuc in Cilicia eſt Cicero: quod inde intelligitur, cùm ait, *Cùm eſſem in caſtris ad fluvium Pyramum, redditæ mihi ſunt uno tempore à te epiſtolæ duæ.* Fuit autem in caſtris a. d. x. Kal. Quint. ut ſuprà diximus. Item cùm ait, *fiet à me cùm per Aſiam decedam.* Gratulatur eum abſolutum eſſe de majeſtate, cenſorem jam illum eſſe ſperat.

M. Cato M. Ciceroni Imp. S.

XV. 5. *Quod & reſp.*] Reſpondet Cato epiſtolæ Ciceronis, cujus initium eſt, *Summa tua auctoritas.* In qua ſupplicationem petierat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 11. *Non diu*] De ſupplicatione ejus quid egerit Curio Trib. pleb. Paulus, & Marcellus, coſſ. Cato, Favonius, Furnius, Lentulus, Balbus, nunciat. Item, ut Pompeius cum ſenatu incubuerit ut Cæſar ante Id. Novemb. decedat è provincia.

M. T. Cicero Imp. Caninio Saluſtio Proquæſt. S. P. D.

II. 17. *Literas à te mihi ſtator*] Saluſtius erat proquæſtor Bibuli proconſulis Syriæ. Scripta eſt poſt XVI. Kal. Sext. quia ait, *literas*

teras à te mihi stator tuus reddidit Tarsi, a. d. XVI. *Kal. Sext.* Se prid. Kal. Sext. decessurum putat: quia ait, *quin ad diem decedam nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 13. *Gratulor tibi affinitate*] Gratulatur Ciceroni filiam Dolabellæ nupsisse. Nunciat ei mortem Q. Hortensii, cùm ait, *Q. Hortensius, cùm has literas scripsi, animam agebat.* Videtur scripta hæc epistola quo tempore Cicero è Cilicia decessit: quia scribit in Bruto, *cùm è Cilicia decedens Rhodum venissem, & eò mihi de Q. Hortensii morte esset allatum.*

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

III. 12. *Gratulabor tibi priùs*] Gratulatur Appio, quòd absolutus sit de ambitu: excusat se quod Tulliam Dolabellæ accusatori ejus collocaverit. Scripta est paulo post quàm discessit: quia ait, *Decedenti mihi, & jam imperio annuo terminato a. d.* III. *Non. Sext. cùm ad Sidam navi accederem, literæ à meis sunt redditæ.*

M. T. Cicero M. Catoni S. D.

XV. 6. *Lætus sum*] Agit gratias Catoni de supplicatione. Jam autem propiùs accessisse videtur: quia ait, *ego, ut spero, propediem te videbo.*

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

XV. 11. *Quantæ tibi curæ*] Agit gratias de supplicatione. Eodem tempore quo superior, scripta videtur: quia ait, *ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo.*

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. D.

III. 13. *Quasi divinarem*] Agit gratias de supplicatione: eum jam sperat Censorem.

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 15. *Non potuit accuratiùs agi*] Agit gratias de supplicatione, & quòd sibi gratulatus sit de matrimonio Tulliæ. Respondet epistolis superioribus Cælii, *Quam citò, & Gratulor tibi affinitate.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 12. *Pudet me*] Queritur de injuriis Appii, jam Censoris: & se Ciceronem expectare ait, atque eum quamprimum videre cupere.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 14. *Tanti non fuit*] In hac etiam de Appio Censore agit, rogátque Ciceronem ut quamprimum veniat. Ad arma rem spectare ait, propter contentionem Cæsaris & Pompeii de exercitibus dimittendis. Item ait, *scis Appium Censorem hic ostenta facere? de signis, de tabulis, &c.* At ad Att. scribit Id. Oct. ita, *scribe de censoribus, maximéque de signis, tabulis, quid fiat.* Ergo hæc ante Id. Oct. scripta.

M. Cicero Terentiæ, & Tul. suis, S. D.

XIV. 5. *Si tu, & Tullia lux nostra*] Cicero Epheso discessit Kal. Oct. Att. Athenas venit prid. Id. Oct. ex hac epistola, quæ scripta est XV. Kal. Novemb. Se ad arma rem spectare audisse ait.

Tullius, & Cicero meus, & Frater, & Fr. F. Tironi suo S. D.

XVI. 1. *Paulo faciliùs*] Cicero discedens Patris ægrotum ibi Tironem reliquerat. Ad eum igitur de valetudine scribit, III. Non. Novemb.

Tullius Tironi suo S.

XVI. 2. *Non queo ad te*] Scripta est Non. Novemb. Alyziâ. De valetudine item Tironis agit.

Tul-

Tullius, & Cicero Tironi ſuo S. D. & Q. Frater & Filius.

XVI. 3. *Nos apud Alyziam*] Scripta eſt VIII. Id. Novemb. quia ait, *nos apud Alyziam diem unum commorati ſumus. Is dies fuit Non. Novemb. Inde ante lucem proficiſcentes a. d.* VIII. *Id. Novemb. has literas dedimus.* De valetudine Tironis item agit.

Tullius Tironi ſuo S. P. D. & Cicero, & Q. Frater, & Q. F.

XVI. 4. *Variè ſum affectus*] Data eſt VII. Id. Novemb. Leucade. De valetudine Tironis item agit.

Tullius, & Cicero F. & Q. Q. Tironi Humaniſſ. & Optimo S. P. D.

XVI. 5. *Vide quanta in te ſit*] Scripſit hanc epiſtolam Leucade proficiſcens, VII. Id. Novemb. De valetudine Tironis agit.

Tullius, & Cicero, & Q. Q. Tironi S. P. D.

XVI. 6. *Tertiam ad te*] Scripta Actio veſperi, VII. Id. Novemb.

Tullius, & Cicero, S. D. Tironi ſuo.

XVI. 7. *Septimum jam diem*] Data XV. Kal. Decemb. Corcyræ. Mendosè autem legitur XV. Kal. Novemb. quia ait in epiſtola ſequenti: *Corcyræ fuimus uſque ad* XVI. *Kal. Decemb. tempeſtatibus retenti: a. d.* XV. *Kal. à portu Corcyræorum ad Caſſiopen ſtadia* CXX. *proceſſimus.* De ægritudine agit.

Tullius & Cicero Tironi ſuo S. P. D.

XVI. 9. *Nos à te*] Corcyrâ ad Caſſiopen ſe proceſſiſſe ait a. d. XV. Kal. Decemb. ibi fuiſſe uſque ad IX. Kal. Poſtridie in Italiam ad Hydrunten perveniſſe. VII. autem Kal. Decemb. Brunduſium veniſſe, & ſecum in oppidum Terentiam introiſſe, a. d. V. Kal. Decemb. Brunduſii Tironis literas accepiſſe, quibus cognovit Tironem convaluiſſe. Rogat igitur eum ne temerè naviget: videtúrque Brunduſio diſceſſiſſe: quia ait, *equum & mulum Brunduſii tibi reliqui.*

C. CLAUDIO MARCELLO, L. CORNELIO LENTULO COSS. *Anno ab Urbe condita*, 704.

Tullius & Cicero, Terentia, Tullia, Q. Q. Tironi S. P. D.

XVI. 11. *Etſi opportunitatem*] Cicero a. d. VIII. Id. Decemb. in Trebulanum venit: Att. De Formiano verò Taracinam venit prid. Kal. Jan Inde in Albanum Pompeii. Ita a. d. III. Non. Jan. ad urbem cogitabat: *Att.* Hanc autem epiſtolam Tironi ſcripſit prid. Id. Jan. qua certiorem Tironem facit (qui adhuc ægrotus erat Patris) quemadmodum ad urbem acceſſerit pridie Non. Jan. Item quemadmodum Cæſar ad ſenatum minaciter ſcripſerit, & ut ſenatus conſulibus, prætoribus, tribunis plebis, & ſibi proconſuli remp. commendarit. Italiæ regiones, quas quiſque tueretur, deſcriptas eſſe: ſe Capuam ſumpſiſſe Hoc autem S. C. factum eſſe VII. Id. Jan. ſcribit Cæſar lib. I. De bello civili.

Cicero Rufo S.

V. 20. *Quo modo potuiſſem*] Videtur hæc epiſtola ſcripta tum cùm Cicero ad urbem erat: primùm quia ait, ſe tribunos militum, contubernales & præfectos, detuliſſe (quæ delatio non niſi ad urbem fiebat) deinde quia addit, *cùm Tullius rure redierit, mittam eum ad te.* Agit cum quæſtore ſuo Rufo de relatis provinciæ rationibus.

Tullius Terentiæ, & Pater Tulliolæ, duabus animis ſuis: & Cicero Matri optimæ, ſuaviſſimæ Sorori S.P.D.

XIV. 14. *Si vos valetis, nos valemus*] Data eſt VIII. Kal. Feb. Minturnis: nam mendosè legitur VIII. Kal. Quint. fuit enim Mintur-

Digitized by Google

Minturnis hoc die, ut scribit ad Att. Accedit quòd agit cum uxore, & filia, an debeant Româ cedere adventu Cæsaris: an ibi tutò esse per Dolabellam possint. Qua de re agit etiam in sequenti epistola, VII. Kal. Feb. data Formiis.

Tullius Terentiæ, & Pater suavissimæ Filiæ: Cicero Matri & Sorori S. P. D.

XIV. 18. *Considerandum*] Data est VII. Kal. Feb. Formiis. Agit de eadem re atque in superiore egit.

M. Tullius S. D. Tironi suo.

XVI. 12. *Quo in discrimine*] Cicero VI. Kal. Feb. venit Capuam: Att. Hanc scripsit IV. Kal. Feb. Capuâ. Tiro adhuc erat Patris: se adhuc præesse oræ maritimæ à Formiis ait. Cæsarem Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium occupasse ait, urbem à se relictam esse. Hortatur Tironem ne aut æger aut hieme naviget.

Q. Cicero Tironi S. D.

XVI. 8. *Magnæ nobis*] Q. Cicero rogat Tironem ne se tam longæ navigationi committat, & viæ per hiemem, nisi bene firmus sit. Quod ab eo petiit etiam superiore epistolâ M. Cicero.

M. Cælius Ciceroni S. D.

VIII. 15. *Ecquando*] Cicero Capuâ profectus est Formias. III. Kal. Feb. Inde à consulibus jussus rediit prid. Non. Att. Capuâ verò discessit VII. Id. Att. Pompeius X. Kal. Mart. Canusii erat: Att. Canusio profectus est VIII. Kal. Att. V. Kal. Mart. Brundusium venisse poterat. Expeditus enim antecesserat legiones Luceriâ: Att. Cæsar. Kal. Arpis fuit. VII. Id. Brundusium venit, persequens Pompeium: Att. Pompeius Brundusio conscendit Id. Mart. Att. vel a. d. XVI. Kal. Apr. Att. Hoc autem tempore hæc epistola scripta videtur, quia ait, *Cæsar me, cùm expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare. Id quod jam existimo confectum: nisi maluit Pompeium Brundusii circumsedere.*

Tullius Tironi S.

XVI. 13. *Omnia à te data*] Data est IV. Id. Apr. Monet ut convalescat.

Tullius Tironi S. D.

XVI. 14. *Andricus*] Data III. Id. Apr. De ægritudine agit.

Tullius Tironi S.

XVI. 15. *Ægypta*] Data est post prid. Id. Apr. quia ait: *Ægypta ad me venit prid. Id. Apr.* Se accepisse ab eo epistolam vacillantibus literulis ait: ex quo apparet jam Tironem convalescere: præsertim cùm addat sibi nunciatum, eum febri carere, & belle habere.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 1. *C. Trebatius*] Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, post Id. Mart. Romam redierat, ad senatum de rep. retulerat, ærarium diripuerat. Itaque hac epistolâ rationem affert Cicero cur rogante Cæsare non venerit in senatum. Post fugam Pompeii scriptam esse, hæc verba indicant, *Vides orbem terrarum imperiis distributis ardere bello, urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine lege, sine fide, relictam direptioni & incendiis.* Scripta tamen est ante diem illum qui dicitur III. Kal. Maias, ex sequenti ad eundem epistola. Agit cum eo de conveniendo illo, séque cogitare ait ab urbe longiùs discedere.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 16. *Exanimatus*] Rogat Ciceronem Cælius ne se ad Pompeium Italiâ pulsum conferat, ne Cæsarem offendat. Itaque ait, *Cæsar iratus Senatui exiit.* Intelligit autem extra urbem, ut in Hispaniam contra Afranium & Petreium, legatos Pompeii erat. Et pòst addit, *Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta, quas tibi nuncio adventu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio.* Non videtur autem adhuc discessisse Italiâ Cæsar: quòd ait, *me secum in Hispaniam ducit. Nam nisi ita faceret, priusquam ad urbem accessissem, ubicunque esses, ad te percurrissem.* Meminit harum

Digitized by Google

harum literarum Cælii, in epist. ad Att. in qua ait se in Cumano Sulpicium expectare.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 2. *A. d.* III. *Kal. Maias*] Agit cum eodem de conveniendo, & de consilio profectionis ad Pompeium, qui in Epiro erat cum consulibus. Scripta est post III. Kal. Maias, ut ex epistolæ primis verbis apparet. Ad Att. etiam ait se Servium expectare ad Non. quod in Cumano se facturum esse, in hac epistola scribit.

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 16. *Magno dolore*] Respondet epistolæ Cælii, qua se deterruerat ne Pompeium Italiâ pulsum sequeretur.

M. Cicero Rufo S.

V. 19. *Etsi mihi*] Scripta est paulo antequàm iret ad Pompeium: quia ait, *mihi consilium captum est jamdiu.* Item, *quare si simul placebit, statim ad me venias.* Intelligit autem profectionem ad Pompeium, ut apertè apparet ex epistola.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 7. *Omnes molestias*] Cæsare in Hispaniam profecto, Cicero se ad Pompeium in Græciam contulit, auctore Plutarcho in Cicerone. Ex itinere autem hanc epistolam scripsit. Quod intelligitur, cùm ait, *Navim spero nos valde bonam habere. In eam simulatque conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te & Tulliam nostram diligentissimè commendabo. Tu velim iis villis utare quæ longissimè absint à militibus.* Data est VII. Id. Jun.

Cæsar hoc eodem anno, Hispaniis victis, Placentinâ militum seditione compressâ, Romam iterum reversus est: & Dictator creatus comitia habuit, quibus se & Isauricum consules in insequentem annum creavit, atque intra undecim dies Dictaturâ abdicavit. Auctor App. & Cæsar lib. III. De bello civili.

C. JULIO CÆSARE II. P. SERVILIO ISAURICO COSS.

Anno ab Urbe condita, 705.

Cæsar hoc anno prid. Kal. Jan. trajecit in Epirum, adversùs Pompeium, eùmque per quatuor fere menses obsedit. Auctores, Suetonius in Cæsare, & Cæsar lib. III. De bello civili.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 17. *Ergo me potiùs*] Quo tempore Pompeius ad Dyrrachium in Epiro, & Cæsar ad flumen Tapsum castra habebant, Cælius Romæ Prætor hanc epistolam scripsit. Cæsar De bello civili lib. III. Hoc indicare etiam Cælius in epistola videtur, cùm ait, *Quid istic facitis? prælium expectatis, quod firmissimum est.*

Dolabella Ciceroni S. D.

IX. 9. *Si vales, gaudeo*] Scripta est cùm Pompeius ad Dyrrachium obsessus est à Cæsare: quia ait, *Pulso Italiâ Pompeio, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique.* Hortatur eum ut Pompeium tanquam victum relinquat. Terentiam minus belle habuisse nunciat, sed eam jam convaluisse.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 8. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Valetudinem tuam*] Cicero cum Pompeio erat. In castris sibi nunciatum ait, Terentiam in febrim subitò incidisse. Data IV. Non. Jun.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 21. *Si vales, bene est: valeo. Da operam*] Monet eam ut det operam ut convalescat.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 6. *Nec sæpe est*] De prædio vendendo agit. Data Id. Quint.

Digitized by Google

Pompeius hoc anno in Pharſalia, mediâ ætate (ut ait Plut. in Bruto) ſummo prælio cum Cæſare decertavit. Ex qua victus in Ægyptum ſe recepit, atque ibi interfectus eſt, eodem die quo de Mithridate triumphaverat, Dione auctore: id eſt, pridie Kal. Oct. Plinio & Capitolinis lapidibus teſtibus. Itaque Cicero IV. Kal. Decemb. ſcribit ad Att. de exitu Pompeii.

M. Cicero Terentiæ ſuæ S. P. D.

XIV. 12. *Quod nos in Italiam*] Data eſt prid. Non. Novemb. Brunduſio. Nunciat ſe rediiſſe in Italiam, & à bello receſſiſſe ſignificat, cùm ait, *perturbati dolore animi magniſque injuriis, metuo ne id conſilii ceperimus quod non facilè explicare poſſimus.* Qua de re etiam ad Att. Hoc eſt autem tempus illud quo Cicero Brunduſii per multos menſes moratus eſt. Cæſarem autem poſt prælium Pharſalicum in Ægyptum ſe contuliſſe, atque ibi per novem menſes fuiſſe, tradit Appianus. De quo tempore ſic Cicero in Oratione pro Q. Ligario, *Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc ſciret, tamen me antequam vidit, reip. reddidit; qui ad me ex Ægypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem: qui, cùm ipſe imperator in toto imperio populi Rom. unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: à quo, hoc ipſo C. Panſa nuncium perferente, conceſſos mihi faſces laureatos tenui, quoad tenendos putavi. Qui mihi tum denique ſe ſalutem putavit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet.*

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 19. *In maximis*] Agit de valetudine Tulliæ, de qua agit etiam in epiſt. ad Att. quæ data eſt IV. Kal. Decemb. De convenienda illa loquitur his verbis, *Quod me propiùs vultis accedere, video ita eſſe faciendum. Etiam antè feciſſem, ſed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita ſunt.* Qua de re agit etiam in epiſtola ad Atticum, de qua dixi.

M. Cicero Terentiæ ſuæ S. P. D.

XIV. 9. *Ad cæteras*] Agit de valetudine Dolabellæ, & item Tulliæ; ut ante.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 17. *Si quid haberem*] Agit item de valetudine Tulliæ.

C. JULIO CÆSARE DICTATORE II. *Anno ab Urbe condita*, 706.

Hoc anno Cæſar in Ægypto alteram Dictaturam iniit, ſine conſulibus, magiſtro equitum M. Antonio. Auctore Dione.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 16. *Si vales, bene eſt: ego valeo. Etſi ejuſmodi tempora*] Data eſt prid. Non. Jan. Videtur ſcripta poſteaquam reliquit Pompeium: ex his verbis, *quanquam alia ſunt quæ magis curemus, magiſque doleamus: quæ me ita conficiunt ut ii voluerunt qui me de mea ſententia detruſerunt.* Quod videtur de iis dictum qui illum invitum coëgerunt partes Pompeianas relinquere.

M. Cicero Terentiæ ſuæ S. P. D.

XIV. 11. *Si vales, bene eſt: ego valeo. Tullia noſtra*] Data eſt XVII. Kal. Quint. Cogitabat Ciceronem filium obviam Cæſari mittere: quem deceſſiſſe Ægypto fama erat, ut ait ad Att. Tulliam ad ſe veniſſe prid. Id. Jun. ait. Itémque ad Att.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 15. *Si vales, bene eſt. Conſtitueramus*] Data eſt XII. Kal. Quint. Ait ſe mutaſſe conſilium de mittendo Cicerone Cæſari obviam: ſecum adhuc habere Tulliam.

Tullius Terentiæ ſuæ S. P. D.

XIV. 10. *Quid fieri placeret*] Data VII. Id. Quint.

M. Cicero Terentiæ ſuæ S. P. D.

XIV. 13. *Quod ſcripſi ad te*] Data VI. Id. Quint.

Tullius

Digitized by Google

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 24. *Si vales, bene eſt: valeo. Nos neque*] Data IV. Id. Sext. Se nihil habere certi de Cæſaris adventu ait.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 23. *Si vales, bene eſt: valeo. Redditæ mihi*] Data prid. Id. Sext. Redditas ſibi jam tandem à Cæſare literas ſatis liberales ait. Intelligit autem illas de quibus ait in oratione pro Q. Ligario, hoc modo, *qui ad me ex Ægypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem.* Incertum ſe eſſe ait, an Cæſari venienti obviam procedat, an ibi ubi eſt, eum expectet; id eſt, Brundufii.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 22. *Si vales, bene eſt: valeo. Nos quotidie*] Data Kal. Sept. Se ex literis Terentiæ capturum conſilium ait quid ſit agendum. Id eſt, an Cæſari obviam eundum, an eum Brundufii expectandum: an propiùs Romam accedendum.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

XIV. 20. *In Tuſculanum*] Jam Cicero acceptis à Cæſare literis, de quibus ſuprà dictum eſt, Romam propiùs acceſſerat. Siquidem ſcripſit hanc epiſtolam v. Kal. Oct. de Venuſino: in qua ſe venturum in Tuſculanum ait Non. aut poſtridie.

M. Cicero Trebonio S. P. D.

XV. 21. *Et epiſtolam tuam*] C. Trebonius in Hiſpaniam miſſus fuerat à Cæſare poſt prælium Pharſalicum, ut Longino ſuccederet, auctore Dione, & Cicerone in hac epiſtola. Quæ ſcripta ad eum videtur in Hiſpaniam hoc tempore, id eſt ante bellum Africanum, quod initio ſequentis anni geri cœptum eſt: quia legiones Trebonii cùm ab eo ad Scipionem, qui in Africa erat, defeciſſent, eúmque mortuum bello Africano audiſſent, Scapula & Aponio ducibus lectis Trebonium ex Hiſpania exegerunt, Dione auctore. Ex quo apparet hanc epiſtolam ſcriptam eſſe ante defectionem legionum paulo pòſt factam. Hic autem C. Trebonius priore anno prætor urbanus fuerat, Servilio conſule. Cæſar lib. III. De bello civili.

Q. Fufio Caleno, P. Vatinio coss.

Cæſar, qui ſine conſulibus alteram Dictaturam hoc anno geſſit, Romam tertiùm ſ. ex Ægypto & Ponto reverſus, ſibi in ternos noviſſimos menſes Q. Fuſium Calenum, P. Vatinium, conſules ſubrogavit. Dio, Suetonius.

C. Julio Cæsare III, M. Æmilio Lepido coss.
Anno ab Urbe condita, 707.

Cæſar cùm extremo ſuperiore anno XIV. Kal. Jan. Lilybæum ab urbe perveniſſet, atque à Lilybæo in Africam VI. Kal. Jan. conſcendiſſet, hujus demum anni initio bellum Africanum aggreſſus eſt cum Scipione, Catone, & Juba rege.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

IV. 14. *Binas à te accepi*] Jam Cicero in urbem reverterat, in gratiam cum Cæſare redierat: quanquam illum in Italiam venientem non viderat, ut ipſe ſcribit ad Caſſium, Terentiam uxorem repudiarat, Publiliam alteram duxerat. Reſpondet hac epiſtolâ Plancio Corcyræ exulanti, qui gratulatus erat Ciceroni, & quòd Cæſar ei veniam dediſſet, & quòd alteram uxorem duxiſſet. Scripta videtur dum Africanum bellum gerebatur: quia ait, *ut ea quæ partim jam adſunt, partim impendent, moderatè feramus. Quod eſt difficile in hujuſmodi bello, cujus exitus ex altera parte cædem oſtentat, ex altera ſervitutem.*

M. Cicero M. Terentio Varroni S. D.

IX. 1. *Ex iis literis*] Varro videtur Româ abfuiſſe aliquandiu: cùm autem adventus ejus appropinquare diceretur, Cicero ſcripſit ad eum hanc epiſtolam, poſtquam venit in urbem: quia ait, *me ſcito, poſteaquam in*

in urbem venerim. Item per bellum Africanum: quod intelligitur, cùm ait, *videor sperare debere, si te viderim, & ea quæ premant, & ea quæ impendeant, me facilè transiturum.* Cupit cum eo congredi, sive in Tusculano, sive in Cumano, sive Romæ.

M. Cicero S. D. C. Cassio.

XV. 15. *Etsi uterque nostrûm*] C. Cassius Brundusii morabatur, ut scribit paulo post. Se reliquisse arma ait, & in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis versari. Properasse, ut Cæsarem in Italia videret, nec potuisse. Scripta est per bellum Africanum: quia ait, *utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoris. Quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia.* Id est, priore anno, Cæsare è Ponto per Asiam & Græciam decedente, & veniam omnibus dante.

Cicero Domitio S. D.

VI. 22. *Non ea res me deterruit*] Consolatur Domitium Cicero de eversa republica, pollicetúrque ei operam suam, quacunque in re ei prodesse possit. De bello, quod gerebatur, nescio quid intelligere videtur, cùm ait, *Hæc quanquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora.* Videtur item Romæ esse, ex epistola.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

IV. 15. *Accepi perbreves*] Consolatur iterum Plancium de exilio. Scripta est multo post alteram ad eundem Plancium, quia ait, *sed tamen etsi antea scripsi quæ existimavi scribi oportere.*

M. Cicero L. Planco S. P. D.

XIII. 29. *Non dubito*] Satis constat hanc epistolam scriptam esse post bellum Alexandrinum à Cæsare superiore anno confectum. Videtur autem Plancus esse cum Cæsare in bello, Africanóne, an Hispaniensi? Africano certè, in quo, auctore Oppio, fuit, cùm Romæ per bellum Hispaniense fuerit, ex Philippica II. ubi ait M. Antonium ex itinere Romam revertisse, ne L. Plancus prædes suos venderet. Commendat ei hereditatem Capitonis apud Cæsarem.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 1. *Etsi ea perturbatio*] A. Manlius Torquatus cùm pro Pompeio contra Cæsarem stetisset, hoc tempore exulabat Athenis. Eum igitur Cicero consolatur. Scripta est hæc epistola quo tempore bellum Africanum gerebatur: quia ait, *cúmque omnium bellorum incerti exitus sint, ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem sejunctum sit ab omnium interitu: ab altera te ipsum nunquam timuisse certò scio.* Item, *Hoc verò tempus quo exanimati omnes & suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quòd & in ea urbe es, ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ.* Item, *Et habes Ser. Sulpicium, quem semper unicè dilexisti*: qui Sulpicius tunc Achaiæ præerat, cùm bellum in Africa gerebatur. De Cæsare ita ait, *nec enim is, qui adhuc in te injustior, quàm tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati.*

Cicero Allieno Procos. S. D.

XIII. 78. *Democritus*] Allienus prætor erat in Sicilia, ut apparet ex epistola sequenti, atque dum bellum Africanum gerebatur, ut scribit Oppius de bello Africano, his verbis: *deinde Allieno prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo.*

Cicero Allieno Procos. S. D.

XIII. 79. *Et te scire arbitror*] Eodem tempore scripta videtur quo superior: quia ait, *C. Avianus in Sicilia est.*

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 3. *Superioribus literis*] Et hæc etiam Africani belli tempore scripta: quia ait, *quotidie aliquid audimus rerum earum.* Item, *quem exitum acies habitura sit divinare nemo potest.* Item, *nihilo te nunc majore in discrimine esse, quàm quemvis aut eorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. Alteri dimicant, alteri victorem timent.* Superiores literas intelligit eas, quarum initium est, *Etsi ea perturbatio.* Quibus se eum consolatum esse ait. Cicero adhuc Romæ est, Torquatus Athenis.

M. Ci-

Digitized by Google

M. Cicero S. D. L. Messinio.

V. 21. *Gratæ mihi*] Romæ scripta est belli Africani tempore : quia ait, *me nulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio rerum Africanarum. Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen.*

Cicero Thoranio S. D.

VI. 21. *Etsi cùm hæc ad te*] Extremo hoc bello scripta videtur : quia ait, *appropinquare exitus hujus calamitosissimi belli, aut aliquid actum & confectum, cùm hæc scriberem, videbatur.* Quanquam de Hispaniensi bello potest etiam intelligi. Consolatur eum de exilio.

Cicero Thoranio S. D.

VI. 20. *Dederam*] Scripta est triduo post superiorem, in qua illum se tum consolatum esse ait. Adventum Cæsaris innuit, cùm ait, *non est quod te advenientibus offerre gestias*, item, *quòd si recipiet ille se, ad tempus aderis.*

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 4. *Novi, quod ad te*] Hoc eodem tempore scripta est, quia ait, *cùm hæc scribebam, aliquid jam actum putabam, non quòd ego certò scirem, sed quòd non difficilis erat conjectura.* Item, *equidem quòd nos Romæ sumus, miserrimum duco.* De Cæsare autem scribit hoc modo, *ejus enim qui tardior in te levando fuit, non est mihi dubia de tua salute sententia.* Torquatus autem adhuc erat Athenis : quia ait, *reliquum est quod te angat, quòd absis tamdiù à tuis.* Item, *Servium discessisse Athenis molestè tuli.*

Cicero Varroni S. D.

IX. 2. *Caninius, idem tuus*] Agit cum Varrone, quemadmodum convenire possint. Rationem affert cur Romæ sit, non autem absit, ut ille. Extremo Africano bello scripta est : quia ait, *censeo latendum tantisper ibidem, dum defervescat ista gratulatio, & simul dum audiamus quemadmodum negotium confectum sit : confectum enim esse existimo.* Cæsar a. d. XI. Kal. April. in acie contra Scipionem constitit. Oppius lib. V.

Cicero Varroni S. D.

IX. 3. *Etsi quid scriberem*] Agit de conveniendo illo. Videtur autem esse adhuc in urbe, quia ait, *scribam, quod te velle puto, me ad te citò esse venturum, etsi vide quæso satisne rectum sit, nos hoc tanto incendio civitatis in istis locis esse.*

Cicero Varroni S. D.

IX. 4. Περὶ δυνατῶν] De conveniendo illo item agit : quia ait, *tu si minus ad nos, nos accurremus ad te.*

Cicero Varroni S. D.

IX. 5. *Mihi verò ad Non.*] De conveniendo illo etiam agit : quia ait, *mihi si spatium fuerit in Tusculano ante Non. veniendi, istic te videbo : sin minùs, persequar in Cumanum.*

Cicero Varroni.

IX. 6. *Caninius noster*] Scripta est quo tempore Cæsar, confecto bello Africano, Romam redibat; quia ait, *nec qua venturus sit sciri.* Hirtium familiarem Cæsaris secum Romæ esse significat.

Cicero Varroni S. D.

IX. 7. *Cœnabam apud Seium*] Agit item de adventu Cæsaris : quia ait, *quando, qua, quo, nihil adhuc scimus.* Item, *adventat Dolabella : eum puto magistrum fore.* Fuit autem in Africa Dolabella cum Cæsare, auctore Plutarcho, Cicerone in secunda Philippica. Præcessit autem Cæsarem. Itaque ad Attic. ait, *Ego misi Tironem Dolabellæ obviam.* Quod autem ait, *nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat*, idem est apud Hirtium, qui ait Cæsarem Romam per Sardiniam venisse. Item, *non desino apud istos qui nunc dominantur cœnitare.* Agit de conveniendo eo.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 16. *Delectaverunt*] Nondum Cæsar rediisse Romam videtur : quod intelligitur ex his verbis, *Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur. Ita enim ipse mandavit.* Item in urbe ipsum esse apparet, quòd ait, *Hirtium & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse, illos apud me declamitare, me apud illos cœnitare.*

Digitized by Google

M. Cicero Volumnio S. D.

VII. 33. *Quod declamationibus*] Eodem tempore scripta est, cùm adhuc esset in urbe. Meminit enim declamationum, meminit item Hirtii, Dolabellæ, Cassii, discipulorum. Inquit præterea, *quanquam venies, ut ipse intelligo, in maximum quasi concursum occupationum, quas si, ut volumus, exceperimus, ego verò multam salutem & foro dicam & curiæ.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 18. *Cùm essem otiosus*] Cicero jam Româ exierat. Quod se facturum indicaverat superioribus epistolis. Erat autem in Tusculano apud Hirtium, quia ait, *cùm essem in Tusculano.* Item, *ego me hîc Hirtiano jure delecto,* cœnas significans Hirtianas. Scripta est quo tempore Cæsar redibat ex Africa; quia ait se misisse discipulos obviam Cæsari venienti. Diù autem in expectatione fuit adventus Cæsaris: nam qui Id. Jun. Uticæ conscendit, nonnisi VII Kal. Sext. Romam pervenit. Oppius lib. V.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

XI. 2. *Peto à te*] Eodem tempore scripta est quo superior, quòd & ab urbe absit, & de recreata valetudine, ut in superiore, agat. Sic enim suprà, *ipse melior fio, primùm valetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram.* Hîc autem, *peto à te ne me putes, oblivione tui, rariùs ad te scribere quàm solebam, sed aut gravitate valetudinis (quâ tamen jam paululum videor levari) aut quòd absim ab urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim.* Videtur propiùs accessisse Torquatus: quia ait, *fac sciam quid agas, & ubi futurus sis: ut quò veniam scire possim.* Et videtur ei Cæsar ignovisse: quia ait, *nec eos à quibus recipieris, vereri debes, nec eos quos adjuvisti.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 19. *Tamen à malitia*] Jam Cæsar quartùm Romam reverterat, id est ex Africa. Narrat quemadmodum Balbus, qui cum Cæsare inde venerat, rectà à porta domum suam venerit. Videtúrque Cicero in urbem rediisse, credo propter Cæsaris adventum, cùm ex verbis his, tum ex iis quæ sequuntur, *sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam ut te serò à me certiorem factum putes.*

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 3. *Persæpe*] Reddit rationem cur ante ad Pompeium venerit, postea eum reliquerit. Scripta videtur confecto bello Africano: quia ait, *discessi ab eo bello in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscenda mors voluntaria.* Innuit autem Catonem, qui hoc bello sibi mortem consciverat. Videtur eodem tempore in urbe scripta quo superior, quia ait, *Ego si quæ volo expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 17. *Non tu homo*] Respondet quid de agris futurum speret, quos divisurum militibus suis Cæsarem fama erat. Itaque ait, *Veientem quidem agrum & Capenatem metiuntur. Hic non longè abest à Tusculano: nihil tamen timeo.* In urbe autem esse videtur cum Cæsare: quia ait, *Hoc tamen scito, non modò me, qui consiliis non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit.* Apparet præterea hoc anno scriptam esse: quia ait, *de lucro propè quadriennium vivimus;* Si quidem hic erat quartus belli civilis annus.

M. Cicero S. D. Papirio Pæto.

IX. 20. *Dupliciter*] Romæ se esse significat, cùm ait, *manè salutamus domi & bonos viros multos, sed tristes, & hos lætos victores.* Hirtio cœnam dedisse sine pavone ait. Item se non potuisse venire ad Papirium, ut constituerat: venturum tamen, & cum eo cœnaturum.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 23. *Heri veni in Cumanum*] Agit de conveniendo Papirio, & cœnando cum eo, ut suprà. Se verò venisse in Cumanum nuntiat.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 4. *A. d. IX. Kal.*] In Cumanum se venisse ait, quod etiam scripsit in superiore epistola ad Papirium. Monet Marium ut se biduo

biduo aut triduo expectet, quia in epistola ad eundem, cujus initium est, *Persæpe*, dixerat, *ego, si qua volo expediero, brevi tempore, te, ut spero, videbo.* Hoc eodem tempore fingit se cum Varrone in Cumano sermonem illum habuisse, quem scripsit lib. IV. Academicorum ad Varronem.

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.

IV. 3. *Vehementer*] Servius Sulpicius Achaiam pro consule regebat præfectus à Cæsare, antequam in Africam iret: quemadmodum scribit ad Cæcinam, *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.* Et ad Torquatum exulantem Athenis, *& habes Ser. Sulpicium, quem semper unicè dilexisti.* Item, *Servium discessisse Athenis molestè tuli.* Consolatur eum de communibus miseriis. Scripta videtur hoc tempore cùm Cicero Romæ cum Cæsare esset: quia ait, *Cæsar ipse ita de te judicat, & omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere sanctitatem, prudentiam, & dignitatem tuam.* Illa autem indicant Servium abesse, quæ sequuntur, *quòd autem à tuis abes, id eò leviùs ferendum est, quòd eodem tempore à multis ac magnis molestiis abes.*

M. Cicero P. Servilio Isaurico Procos. Collegæ S. D.

XIII. 68. *Gratæ mihi vehementer*] P. Servilius Isauricus, qui biennio antè consul fuit, Asiam pro consule regebat. Hoc tempore hæc epistola scripta videtur: quia Ciceronem cum Cæsare Romæ fuisse apparet, qui nunquam cum eodem per bellum civile antea fuerat, ex his verbis, *Ego ad te de republica summa quid sentiam non sæpe scribam, propter periculum ejusmodi literarum. Quid agatur autem scribam sæpiùs. Sperare tamen videor, Cæsari collegæ nostro fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam rempublicam, cujus consiliis magni referebat te interesse: sed si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiæ præesse, & istam partem reipublicæ malè affectam tueri, &c.*

M. Cicero P. Nigidio Figulo S. D.

IV. 13. *Quærenti*] Idem dico de hac epistola ac de superioribus proximis: quod ex his verbis intelligitur, *nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit.* Item, *obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem.* Item, *ego, quod intelligere, & sentire, quia sum Romæ, & quia curo attendóque, possum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutiùs futurum.* Item scripta videtur antequam Marcellus restitueretur: quia ait, *ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo.* Neque enim nisi post Marcelli restitutionem Cicero in republica loqui cœpit, ex oratione pro Marcello. Consolatur Nigidium de exilio.

T. Cicero Trebatio S. D.

VI. 10. pag. 204. *Antea misissem*] Exulabat pariter Trebatius, atque Torquatus, & Nigidius. Hunc igitur consolatur, eique operam suam pollicetur, ut illis. Quoniam autem easdem sententias ponit in his duabus epistolis ad Trebatium, quas usurpavit in iis ferè quæ scriptæ sunt ad Torquatum & Nigidium, propterea eo adducti sumus ut putaverimus eas eodem tempore scriptas esse. Sententiæ autem potissimum sunt hæ, *& ipse qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem & ad rerum naturam videtur, &c.* Item, *Neque ipse Cæsar, (ut multis rebus intelligere potui) est alienus à nobis: & omnes ferè familiarissimi ejus casu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter observant & colunt. Itaque si quis mihi erit aditus, de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, agam per me ipse, & moliar.* Itémque alia ejusmodi. Præcedit autem hæc inferiorem: quia in hac significat, se nunquam antea ad illum scripsisse: cùm ait, *antea misissem ad te literas.* Hic autem non est Trebatius ille, ad quem Cicero scripsit lib. VII. quoniam ille Cæsari amicus fuit, hic inimicus.

M. T. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 7. *Et si eo te adhuc consilio*] M. Marcellus, quia in consulatu suo Cæsari inimicissimus fuerat, & partes Pompeianas secutus erat, nec Cæsari victori supplex ire voluerat, Mitylenis morabatur. Hortatur eum Cicero, ut Romam veniat, & se Cæsari summittat. Neque enim adhuc ei Cæsar ignoverat: ex his verbis, *sic enim intellexi, nihil aliud esse quod dubitationem afferret ei penes quem*

Digitized by Google

quem est potestas, nisi quòd vereretur ne tu illud beneficium omnino non putares.

M. Cicero Q. Ligario S. D.

VI. 13. *Etsi tali tuo tempore*] Docet Ligarium quid de salute ejus à Cæsare petenda speret. Nam & ipse, quòd contra Cæsarem stetisset in Africa, exulabat. Se cum Cæsare Romæ esse, satis apertè in ipsa epistola ostendit.

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 10. *Ego quanti te faciam*] De hac epistola suprà dictum est.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 8. *Neque monere*] Iterum hortatur Marcellum ut se Cæsari summittat, sui ipsius exemplo: cùm ait, *ut quod ego facio, tu quoque in animum inducas.* Item, *is etiam qui omnia tenet, favet ingeniis, nobilitatem verò, & dignitatem hominum, quantum ei res & ipsius causa concedit, amplectitur.* Quæ verba ostendunt, nondum Cæsarem ignovisse Marcello.

M. Cicero Gallo S. D.

VII. 27. *Miror*] Scripta videtur dominante Cæsare: quia ait, *& ais fore ut te Cæsar restituat.* Quia verò subjungit, *negas me audere quod sentiam dicere*, hoc anno scripta videtur, antequam loqui in republica cœpisset. Cujus rei initium fecit cùm pro Marcello in senatu dixit: ex oratione ipsa.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 4. *Accipio excusationem*] Adhuc Ser. Sulpicius Achaiæ præerat. Nunciat ei Cicero ut Cæsar in Senatu dixerit, se M. Marcello redeundi potestatem facere: atque ut ipse Cæsari propterea pluribus verbis gratias egerit, cùm silere in perpetuum statuisset.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 9. *Etsi perpaucis*] Hortatur Marcellum ut domum redeat. Scripta est postquam Cæsar Marcello ignovit: quia ait, *denique si fuit magni animi non ipse supplicem victori, vide ne sit superbi, aspernari ejusdem liberalitatem.* Ostendit præterea, se paucis antè diebus ad eum literas dedisse, quibus doceret quid ei faciendum esset. Fuerunt autem illæ, quibus nuntiavit Cæsarem in senatu pepercisse: quæ non extant.

M. Cicero Ampio Balbo S. D.

VI. 12. *Gratulor tibi, mi Balbe.*] Gratulatur Balbo quòd à Cæsare restitutus sit. Erat in urbe Cicero cum Cæsare: quia ait, *omnia promissa, confirmata, certa & rata sunt, quæ ad reditum & salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui.*

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 11. *Dolabellam*] Gratulatur Trebatio quòd à Cæsare per Dolabellam restitutus sit.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 6. *Vereor*] Cæcina scripserat librum contra Cæsarem, & ea de re exulabat. Nuntiat se brevi gratulaturum esse quòd ei Cæsar ignoverit, pollicetúrque ea in re operam suam. Scripta est posteaquam Cæsar Marcello pepercit: quia ait, *Marcellum cui maximè succensebat, cum maxima illius dignitate restituit.* Ostendit præterea se Romæ cum Cæsare esse, cùm ait, *me amicissimè quotidie magis Cæsar amplectitur.*

M. Marcellus M. Ciceroni S.

IV. 11. *Plurimùm.*] Respondet Marcellus literis Ciceronis, quæ interciderunt: quibus Cicero gratulatus erat quòd ei Cæsar ignovisset, & suaserat ei ut Romam rediret. Quod ex his verbis colligitur, *Res quemadmodum acta sit, vestræ literæ declarant.* Item, *gratulatio tua, &c.*

M. Cicero Curio S. D.

VII. 28. *Memini*] Curius hoc tempore morabatur Patris, urbe Achaiæ, quemadmodum ex epistola, cujus initium est, *M. Curius*, intelligi potest: in qua M. Curium Ser. Sulpicio Achaiæ hoc tempore procos. commendat. Laudat eum quòd absit ab urbe, eversâ republicâ. De Cæsare autem, & de se, qui Romæ unà esse videntur, ita ait, *nec verò nunc culpa in eo est, in cujus potestate omnia sunt.* Item, *cùm salutationi nos dedimus*

Digitized by Google

mus amicorum (*quiá fit hoc etiam frequentiùs quàm solebat, quòd quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre*) *abdo me in bibliothecam.*

Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 15. *Duabus*] Scripta est antequam Cæsar in Hispaniam proficisceretur (profectus est autem extremo hoc anno) item, cùm idem præfectus esset moribus, (præfectus est autem postquam ex Africa rediit, auctore Dione.) Hæc autem ex his verbis intelliguntur, *quandiu hic erit noster hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cùm vero aberit, ad fungos me tuos conferam.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 26. *Accubueram*] Eodem tempore scripta videtur quo superior: quia ait se ad eum venturum, & cum eo cœnaturum, ut in superiore: cùm inquit, *nihil est quòd adventum nostrum extimescas. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.* Item in utraque legis sumptuariæ meminit. Suprà enim, *domum si habebo, in denos dies singulos legis sumptuariæ conferam.* Hic verò, *epulamur unà non modò contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem, & quidem aliquanto.*

M. Cicero Q. Ligario S. D.

VI. 14. *Me scito*] Nuntiat se pro eo supplicasse domi Cæsari. Extremo autem anno scripta est, quia ait, *Ego idem tamen cùm ad* II. *Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem manè ad Cæsarem.* Intelligit autem II Kal. intercalares priores, ultimum diem prioris mensis, ex duobus illis quos interposuit Cæsar, se & Lepido coss. inter Novembrem & Decembrem menses, ut annum confusum ordinaret: auctore Macrobio lib. primo Saturnalium.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 8. *Cùm esset*] Quia Kal. Jan. præfinitæ erant à Cæsare Cæcinæ, quibus ille esse in Sicilia posset, idque ex Largo Cæcinæ amico Cicero audierat, propterea, profecto in Hispaniam Cæsare, à Balbo & Oppio, qui Romæ remanserant, impetrarat, ut ultra Kal. Jan. esse posset. Qua de re Cæcinam hac epistolâ certiorem facit. Monet præterea ne ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscatur: dátque ei literas commendatitias, quas Furfano proconsuli in Siciliam profecturo reddat: quæ sequuntur.

M. Cicero T. Furfano S. D.

VI. 9. *Cum A. Cæcina*] Hæ literæ cum superioribus conjunguntur.

A. Cæcina M. Ciceroni S. D.

VI. 7. *Quod tibi non tam citò*] Excusat filium quòd librum non tam citò Ciceroni reddiderit. De Asiatica negotiatione ita respondet, *De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas premebat, ut imperasti, feci.* Oratoris Ciceronis meminit quem scripsit ad M. Brutum hoc anno in Galliam, absoluto Catone: ex Oratore.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 5. *Quotiescunque*] Respondet se legisse librum, eúmque, ut ille superiore epistolâ præceperat, diligentissimè custodire. Consolatur de exilio.

Huic loco subjungere placuit epistolas quasdam commendatitias ad Ser. Sulpicium, M. Brutum, P. Servilium, L. Acilium, qui in provinciis erant hoc anno. Quod fecimus hoc consilio, ne, cùm difficilis earum dispositio esset (quia nihil præter commendationem continerent) reliquarum superiorum historiam impedirent.

Quæ ad Ser. Sulpicium in Achaiam scriptæ sunt.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

XIII. 17. *M. Curius*] Ser. Sulpicium hoc anno Achaiæ præfuisse, satis ante demonstravimus: huic commendat M. Curium, qui Patris negotiabatur.

M. Cicero Ser. Sulpicio S.

XIII. 18. *Non concedam*] Commendat res Attici Epiroticas.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 19. *Cum Lysone Patrensi*] Commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 20. *Asclapone Patrensi*] Commendat Asclaponem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 21. *M. Æmilius*] Commendat domum Aviani, & rem familiarem, quæ est Sicyone.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 22. *T. Manlium*] Commendat Manlium, qui negotiatur Thespiis.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 23. *L. Cossinio*] Commendat libertum L. Cossinii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 24. *Cùm antea*] Rursus commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 25. *Hagesaretus*] Commendat Hagesaretum Larissæum.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 26. *L. Mescinius*] Commendat negotia L. Mescinii, quæ erant in Achaia. Scriptam autem esse hoc anno hanc epistolam quo consul fuit M. Lepidus, apparet ex eo quod ait, *quod quo minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido consule, &c.*

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 27. *Licet eodem exemplo*] Commendat rursus rem Aviani, & meminit Ser. Sulpicii filii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 28. *Etsi libenter*] Commendat rursus rem Mescinii.

Quæ ad M. Brutum in Galliam scriptæ sunt.

M. Cicero Bruto S. P. D.

XIII. 10. *Cùm ad te tuus Quæstor*] M. Brutus præfectus fuerat à Cæsare Galliæ citeriori, eo tempore quo in Africam profectus est, teste App. & Plutarcho in Bruto. Itaque scribit Cicero ad Cæcinam lib. VI. *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.* Apparet etiam ex Oratore Ciceronis M. Brutum præfuisse Galliæ, post bellum Africanum. Quia in eo ait, se Catone absoluto aggressum esse scribere Oratorem ad M. Brutum, qui tum erat in Gallia. Addit præterea, *Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in quo frueris ipse te, cùm in Italiæ luce cognosceris.* Successit autem Bruto hoc anno III Kal. Jan. Pansa. Fam. Huic Cicero commendat Varronem quæstorem, tum cùm Galliæ præerat.

M. Cicero Bruto S. P. D.

XIII. 11. *Quia semper*] Commendat Arpinates.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 12. *Alia epistola*] Commendat Q. Suffidium Arpinatum legatum.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 13. *L. Castronius*] Commendat L. Castronium.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 14. *L. Titio*] Commendat Strabonem.

Quæ ad P. Servilium Isauricum scriptæ sunt.

M. Cicero P. Servilio S. D.

XIII. 66. *A. Cæcinam*] P. Servilium Isauricum in Asia pro consule fuisse antè demonstratum est. Ei commendat A. Cæcinam.

M. Ci-

M. Cicero P. Servilio S. D.

XIII. 67. *Ex provincia*] Commendat Andronem Laodicensem.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S.

XIII. 69. *C. Curtius*] Commendat rem C. Curtii, quam habet cum quodam Colophonio.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 70. *Quia non est obscura*] Commendat T. Ampium Menandrum.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 71. *Multos tibi commendem*] Commendat T. Agusium.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 72. *Cerelliæ*] Commendat possessiones Asiaticas Cerelliæ.

Quæ ad Acilium proconsulem Siciliæ scriptæ sunt.

M. Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 30. *L. Manlius*] Acilius hic proconsul erat in Sicilia, quemadmodum ex epistolis sequentibus omnibus apparet: erat autem quo tempore Cæsar dominabatur: quia in una harum epistola, cujus initium est, *cum Demetrio Mega*, ait, *ei Dolabella rogatu meo civitatem à Cæsare impetravit, qua in re ego interfui.* Ex his verbis intelligi potest, & Cæsarem obtinere hoc tempore rempublicam, & Ciceronem cum illo fuisse in gratia. Quod fieri non potuit nisi postquam bellum Africanum confectum est, & Cæsar Romam rediit. Nam nisi post bellum Africanum Cæsarem Cicero non vidit. Huic Acilio fortè successit Furfanus, de quo in epistola ad Cæcinam. Acilius autem fortè is est qui sequenti anno Ser. Sulpicio in Græciam successit. Commendat ei L. Manlium.

Cicero Acilio Procos. S. D.

XIII. 31. *C. Flavio*] Commendat Flavium.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 32. *In Alesina*] Commendat M. & C. Clodios ex Alesina civitate, quæ est in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 33. *Cn. Otacilio*] Commendat negotia Nasonis, quæ habet in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 34. *Avitum*] Commendat Lysonem Lilybætanum. Lilybæum autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 35. *C. Avianus*] Commendat negotia Aviani.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 36. *Cum Demetrio Mega*] Commendat Demetrii Siculi negotia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 37. *Hippiam*] Commendat Hippiam Calatinum. Calate autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 38. *L. Brutius*] Commendat L. Brutium, amicum suum jam inde à quæstura sua Siciliensi.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 39. *Cùm familia Titurnia*] Commendat M. Titurnium.

CÆSARE DICTAT. III, DES. IV. ET COS. IV. SINE COLLEGA.

Anno ab Urbe condita, 708.

M. Cicero Leptæ S. D.

VI. 18. *Simul accepi*] Cæsar hoc anno cum Pompeii liberis pugnavit in Hispania, cùm eo extremo superiore anno Româ 27. diebus

diebus pervenisset (Appiano auctore) & in castris tertiam Dictaturam iniisset, auctore Dione. Hoc igitur tempore scripsisse videtur hanc epistolam Cicero: quia ait; *De Hispaniis novi nihil. Magnum tamen exercitum Pompeium habere constat. Nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Patieti literarum, in quo erat, illi XI esse legiones.* Præterea meminit Oratoris sui, ita, *Oratorem meum tantopere à te probari vehementer gaudeo.* Se Romæ esse significat, cùm ait, *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cùm ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XV. 18. *Longior epistola*] Scripta est initio belli Hispaniensis: quia ait, *de Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino novi.*

M. Cicero S. D. C. Cassio.

XV. 17. *Præposteros*] Scripta est eodem tempore quo superior: quia ait, *de Hispania novi nihil: sed expectatio valde magna, rumores tristiores. Pansa noster paludatus a. d. III. Kal. Jan. profectus est.* Id est, in Galliam Cisalpinam, ut M. Bruto succederet: ex epistola ad Att. Nuntiat P. Syllam mortuum. Hanc secundam esse ad Cassium epistolam indicat, cùm ait, *alteras habebis has breves.*

Cicero P. Dolabellæ S. D.

IX. 10. *Non sum ausus*] Dolabella erat in Hispania cum Cæsare, ex Philippica II. Scripta hæc est eodem tempore quo superior: quia ait, *te scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Syllæ morte*, cujus meminit in superiore.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XV. 16. *Puto te jam suppudere*] Hanc tertiam epistolam vocat: seque eam scripsisse ait antequam ab illo ne schedulam quidem acceperit. Ex quo intelligi potest, non multo post secundam esse scriptam. De spectris Catianis agit.

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

XV. 19. *Non mehercule*] Respondet superioribus epistolis, quibus Cicero nuntiarat de Pansa, & de spectris Catianis egerat. Eodem tempore scripta est: quia ait, *in Hispaniis quid geratur rescribe. Si Cæsar vincit, celeriter me expecta.*

Cicero Dolabellæ S. D.

IX. 13. *C. Suberinus*] Commendat Dolabellæ (qui in Hispania erat cum Cæsare) C. Suberinum, quem repentino bello oppressum esse ait in Hispania: in qua post Afranium superatum, nemo bellum fore putarat.

Cicero C. Cæsari Imp. S.

XIII. 15. *Præcilium*] Cæsar in bello erat, ut puto, Hispaniensi, cùm Præcilium hac epistolâ ei Cicero commendavit. Quoniam autem in titulo est *Imp.* videtur scripta post XI Kal. Mart. nam eo die Cæsar Imp. appellatus est, Ateguâ in Hispania captâ, auctore Oppio.

M. Cicero C. Cæsari Imp. S.

XIII. 16. *P. Crassum*] Commendat Cæsari P. Crassum. Eundem esse in Hispania, hinc intelligitur, quòd ait, *in Hispaniam ad te maximè ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus.*

Cicero Dolabellæ suo S. D.

IX. 11. *Vel meo*] Cicero hoc anno, mense (ut puto) Januario, filiam amisit, quæ ex partu periit, ut ait Pædianus in Pisonianam. Itaque Cæsar scripsit literas consolatorias ex Hispania ad Ciceronem, pridie Kal. Maii datas, ut ait ad Att. Cùm autem ejus rei ignarus Dolabella desideraret literas Ciceronis, ipse ei hac epistolâ ita respondet, *Vel meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quàm eo casu quo sum gravissimè afflictus: quem ferrem certè moderatiùs, si te haberem.* Non scribit autem apertè de obitu Tulliæ, quia fama jam accepisse eam putat, quemadmodum Cæsar acceperat. Quod autem addit, *sed quoniam brevi tempore, ut opinio nostra fert, te sum visurus*: item, *celeriter unà futuros nos arbitror*, id ait, quia finem belli Hispaniensis adesse intelligebat. Sic enim scribit ad Att. *Hirtius literas dedit Narbonæ XIII. Kal. Maii, in quibus scriptum erat Sex. Pompeium Cordubâ exisse, & fugisse in Hispaniam citeriorem, Cneium fugisse nescio quò*;

Digitized by Google

quò: *nihil præterea novi.* Hirtius autem lib. V. tradit, Cn. Pompeium interfectum esse à Cæsare prid. Id. April. at Dio scribit victoriam Cæsaris Hispaniensem Romæ nuntiatam esse pridie Parilia, id est x. Kal. Maii.

Ser. Sulpicius M. Ciceroni S.

IV. 5. *Posteaquam*] Ser. Sulpicius ex Græcia consolatur Ciceronem de obitu filiæ. Certiorem se esse facturum eum de provincia ait, ubi tranquilliore eum esse animo cognoverit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

V. 13. *Quanquam*] Luceius (ut cæteri) consolatus erat literis Ciceronem de obitu filiæ: quæ literæ interciderunt. His respondet Cicero, cùm ait, *ergo & domestica feremus, ut censes, & publica paulo etiam fortiùs fortasse quàm tu ipse, qui præcipis.* Item, *ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestiis & angoribus abducam.* Sic ad Att. de morte filiæ, *vellem tam domestica ferre possem, quàm ista contemnere.*

Tullius Tironi S.

XVI. 22. *Spero ex tuis literis*] Tiro hoc tempore iterum ægrotaverat. Quantum autem intelligi potest ex XII. epistolarum ad Att. mense Maio convaluerat. Inquit enim, *Ego hîc vel sine Sica, (Tironi enim melius est) facillimè possem esse, ut in malis.* In hac autem inquit, *spero ex tuis literis tibi melius esse.* Item, *Ego hîc cesso. Quia ipse nihil scribo.* In agris Cicero erat, Tiro Romæ.

Tullius Tironi S.

XVI. 17. *Video*] Nondum firmus erat Tiro: quia ait, *Valetudo tua me valde sollicitat, sed inservi, & fac omnia: tum te meum esse, tum mihi cumulatissimè satisfacere putato.* Idem autem scripsit in superiore, cùm inquit, *mecum es, si te curas.* Docet eum, non rectè dici, *Fideliter inservire valetudini.*

Tullius Tironi S.

XVI. 20. *Sollicitat*] Sperat Tironem citò firmum fore, si diligentiam adhibuerit. Item ait, *tu potes Kal. spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo.*

Tullius Tironi S.

XVI. 19. *Expecto*] Se ait expectare literas Tironis, Tironem magis. In hac, ut in superiore, meminit Demetrii.

Tullius Tironi S.

XVI. 10. *Ego verò cupio*] Jam firmior esse videtur Tiro: quia ait: *ego verò cupio te ad me venire: sed viam timeo: gravissimè ægrotasti.* Item, *jam ad id biduum quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuò ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III. Kal. esse volo: ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.* Scripta est post epistolam, cujus initium est, *Video.* Quia ait, *docui te, fides ἔτυμον quod haberet.* Quod autem ait, *Pompeius erat apud me cùm hæc scribebam,* videtur legendum *Pomponius.* Data est XIV Kal. ut puto, Jun.

Tullius Tironi S.

XVI. 18. *Quid igitur*] Jam Tiro videtur in Tusculanum venisse: quia ait, *si verò etiam Tusculanum tibi profuerit, dii boni, quanto illud mihi erit amabilius.* Item, *fac bellus revertare: non modò te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem.* Item, *te quando expectemus, fac ut sciam.*

M. T. Cicero S. D. Ser. Sulpicio.

IV. 6. *Ego verò*] Respondet epistolæ qua Sulpicius se consolatus est de morte filiæ. Jam Sulpicius decedere cogitabat è Græcia: quia ait, *sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare.* Quod idem significat etiam Sulpicius in epistola, cujus initium est, *Etsi scio,* prid. Kal. Jun. Athenis data. In agris esse se ostendit, cùm ait, *Itaque & domo absum & foro.*

M. Cicero M. Marcello S.

IV. 10. *Etsi nihil novi*] Jam Cicero expectabat Marcellum, qui se illius consilio usurum esse rescripserat. Quod intelligitur ex his verbis, *magisque tuas literas expectare incipiebam, tum te potius ipsum.* Veretur autem ne, quanquam Marcellus redire decreverat, tamen tardiùs decedat: si quidem ait, *venit mihi in mentem subvereri interdum ne te delectet tarda decessio.* Scripta est autem multo

to post superiorem illam, *Etsi perpaucis*: quia ambas has literas ait se dedisse Theophilo liberto ejus ad eum proficiscenti. Oportet enim Theophilum post superiores illas literas in Græciam allatas Romam rediisse, nunc autem ad Marcellum iterum in Græciam proficisci.

Ser. Sulpicius Ciceroni S.

IV. 12. *Etsi scio*] Has literas dedit Sulpicius prid. Kal. Jun. Athenis, quibus certiorem facit Ciceronem, M. Marcellum Italiam versus navigaturum, antequam conscenderet, à P. Chilone esse interfectum.

L. Luceius Q. F. S. D. M. T. Ciceroni M. F.

V. 14. *Si vales, bene est: ego valeo, sicut soleo*] Cicero in solitudine erat, mense Junio, ut est ad Att. Ut autem Brutus consolatus est Ciceronem de morte filiæ, tum cùm in solitudine erat, (ut est ad Att.) sic Luceius eodem tempore eundem iterum consolatus est, ut apparet ex epistola.

M. Cicero L. Luceio Q. F. S. D.

V. 15. *Omnis amor tuus*] Respondet superiori epistolæ, quâ se consolatus est Luceius.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

V. 9. *Si vales, bene est, ego valeo. Si tuam consuetudinem*] P. Vatinius hoc anno cum imperio à Cæsare missus est in Illyricum, hac occasione, (auctore Appiano in Illyrico) cùm Q. Cornificius quæstor Cæsaris pro prætore in Illyrico à M. Octavio Pompeii duce, qui se ex fuga Pharsalici prælii magnâ classe in illum sinum contulerat, premeretur, Gabiniúsque mandato Cæsaris in Illyricum cum legionibus novis profectus, ibi mortuus animum Octavio addidisset, tum Vatinius Brundusio cum aliquot navibus adversum Octavium missus est: qui victo demum fugatóque Octavio, & provinciâ receptâ, ac Cornificio redditâ, victor cum toto exercitu & classe Brundusium se recepit, ut tradit Oppius lib. IV. Has deinde Illyriorum, qui cum Octavio steterant, injurias cùm Cæsarem ulturum esse, confectis omnibus bellis, Illyrii timerent, ad Cæsarem legatos miserunt, qui se ut in amicitiam fidémque reciperet peterent. Quibus Cæsar respondit, se, si tributa penderent, obsidésque darent, veniam illis esse daturum. Utrumque autem pollicentibus ipsis, Vatinium cum legionibus & magno equitatu ad eum misit. Hoc autem factum est, quantum ex Appiano & ex his epistolis intelligi potest, hoc anno, victis quidem Hispaniis, verùm nondum Cæsare Romam reverso. Qua in provincia, oblatâ belli gerendi occasione, cùm Vatinius bene rem gessisset, atque imperator appellatus fuisset, de rebus gestis ad Senatum misit literas, petiitque per has etiam literas à Cicerone ut supplicationem ea de causa sibi decerneret. Epistola data est III. Id Quint. Naronæ. Ergo ante reditum Cæsaris. Nunciat præterea se audisse, servum ejus fugitivum esse cum Vardæis, de quo nihil Cicero sibi mandarit: se illum inventurum, nisi in Dalmatiam aufugerit. Ex quo apparet eum nunc in Illyrico esse.

Cicero Varroni S. D.

IX. 8. *Etsi munus*] Mittit ad Varronem quatuor libros Academicos. Apparet hanc epistolam scriptam esse hoc anno circa Id. Quint. ex epist. ad Att.

M. Cicero Sulpicio Imp. S.

XIII. 77. *Cùm his temporibus*] Plerique existimant in titulo hujus epistolæ scribendum esse VATINIO pro SULPICIO, atque his literis Ciceronem Vatinii superiori epistolæ respondere, quòd se ei lubenter supplicationem decrevisse dicat. Quibus & ipse assentirem, nisi hæc verba subsequerentur, *præterea à te peto majorem in modum pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, ut hac etiam in re elabores. Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cùm multos libros surripuisset, nec se impunè laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum & M. Bollanus & multi alii Naronæ viderunt. Ego si hominem per te recuperavero, summo me à te beneficio affectum arbitrabor.* Neque enim intelligi potest cur Cicero ad Vatinium ita scripsisset, cùm ille in suis literis ita nuntiasset, *dicitur mihi servus tuus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse, &c.* Accedit, quòd si ad Vatinium scripsisset, non videtur verisimile

similé ita locuturum fuisse. *Non existimavi me salvo jure nostræ veteris amicitiæ, multorúmque inter nos officiorum, facere posse. ut honori tuo deessem*, cum quo inimicitiæ fuerunt. Itaque vereor ne hic P. Sulpicius alter, proconsul Illyrici sit, pari cum Vatinio imperio à Cæsare missus. Quandoquidem Vatinius in re gesta contra Octavium collegam habuit etiam Sulpicium. Quod intelligitur ex his verbis Oppii lib. V. *Cæsar cum cohortibus septem, quæ ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio & Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus, proficiscitur ad portum.* Quod si ita est, ergo ut Vatinius, sic Sulpicius ob rem bene gestam de supplicatione à Cicerone petierat. Ut autem Vatinii literæ extant, sic Sulpicii exciderunt: ut ad Vatinium responsio desideratur, sic ad Sulpicium habetur: ut Vatinius se sine literis Ciceronis de servo ejus curaturum scripserat, sic Sulpicius de eodem servo investigando rogatur.

Cicero Leptæ S.

VI. 19. *Maculam*] Scripta est dum expectabatur Cæsar ex Hispania: quia ait, *Ego me Asturæ diutiùs arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* Meminit etiam Oppii & Balbi, qui Romæ remanserant, Cæsare in Hispaniam profecto. Balbum autem ægrum fuisse, & in hac epistola ait, & ad Att. in epistola hoc tempore scripta.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 24. *Amoris quidem tui*] Judicium P. Sextii, de quo fit in hac epistola mentio, ostendit eam hoc tempore scriptam esse, quia eadem de re scribit ad Att. mense Sextili, antequam Cæsar Romam venerit.

Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 25. *Quod epistolam*] Apparet scriptam esse adventante Cæsare ex Hispania: quia ait, *Magister adest citiùs quàm putaramus.* Magistrum autem dictatorem Cæsarem intelligit. Sic in epist. ad Att. scripta mense Sextili ait, *Cæsar adest.*

Q. Fabio Maximo, C. Trebonio coss.

Hoc anno Cæsar postquam ex Hispania rediit, Consules sibi suffecit in reliquum anni Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium. Auctore Dione.

M. Cicero Q. Cornificio Collegæ S.

XII. 17. *Grata mihi vehementer*]. Jam Cæsar quintum & ultimum à bello Romam reverterat, id est, ex Hispaniis. Revertit autem Octobri mense, auctore Velleio, lib. II. Q. Cornificium in provincia Syriæ finitima esse apparet: quòd ait, *Ex Syria tumultuosiora quædam nobis nuntiata sunt: quæ quia tibi sunt propiora quàm nobis, tuâ me causâ magis movent quam meâ.* Scripta videtur epistola, cùm, reverso ex Hispania Cæsare, populus Romanus variis spectaculis operam dabat: quia ait, *Romæ summum otium est, sed ita ut malis salubre aliquod & honestum negotium: quod spero fore, quia vides id curæ esse Cæsari.* Significat autem bellum Parthicum, quod parabat Cæsar antequam interficeretur. Meminit etiam Oratoris sui, cùm ait, *me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam & licentiam nactum, scribere audaciùs: & cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proximè scripsi de optimo genere dicendi.* Hanc autem epistolam primam esse ex iis quas ad Cornificium scripsit in provinciam, ex his verbis colligitur, *grata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti literis, &c.*

M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt. S. D.

XIII. 4. *Cum municipibus*] Q. Valerius præpositus erat à Cæsare agris dividendis, credo postquam ex Hispania rediit, quia Cicero in epistola, quâ commendat ei C. Curtium, ait ita, *Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit.* Senatum autem supplevisse Cæsarem, postquam rediit ex Hispania, scribit Dio. Hac epistolâ commendat municipes Volaterranos, quorum agris dividendis Valerius præfectus erat.

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt. S. P. D.

XIII. 5. *Non molestè fero*] Commendat Valerio C. Curtium, qui possessionem habebat in agro Volaterrano.

Digitized by Google

M. Cicero C. Cluvio S. P. D.

XIII. 7. *Cùm in Galliam*] Cluvius item videtur, ut Valerius, præpositus fuisse à Cæsare dividendis agris: quia ait, *Etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio & quæ tua potestas sit, tibique negotium datum esse à C. Cæsare, non judicium.* Commendat ei agrum vectigalem municipii Atellani.

M. Cicero M. Rutilio S. P. D.

XIII. 8. *Cùm & mihi*] Item M. Rutilius præpositus erat agris dividendis à Cæsare, ut ex ipsa epistola apertissimè apparet. Commendat ei prædia Laberii.

Cicero Cornificio Collegæ S. D.

XII. 18. *Quod extremum*] Loquitur de tumultu in Syria excitato (ut in superiore ad eundem) cùm ait, *quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temerè, nec antequam scisses quo ille nescio quis Cæcilius Bassus erumperet, &c.* Hic enim Bassus tumultuatus est in Syria, Dione auctore. Loquitur etiam de ludis Cæsaris, cùm ait, *equidem sic jam obdurui, ut ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem T. Plancum, &c.* de quibus ludis suprà diximus.

M. Cicero P. Vatinio Imp. S. D.

V. 11. *Grata tibi*] Cicero Sulpicio supplicationem decreverat, sic etiam Vatinio. Ut autem desiderantur literæ quibus Cicero decretam ei à se supplicationem esse nuntiaverat, sic etiam Vatinianæ, quibus Ciceroni gratias agebat. Hæc enim epistola rescripta est ad literas Vatinii, quibus ille gratias egerat, & Pompeiam uxorem ei commendaverat. Quod autem ait, *Dalmatis dii malefaciant, qui tibi molesti sunt: sed tamen, ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas*, ostendit, Vatinium ex Illyrico jam tum, cùm eas literas scripsit, in Dalmatiam profectum esse, quòd à Dalmatis lacesseretur: sperátque res Dalmaticas accessionem futuras Illyricæ victoriæ, ob quam ei supplicatio decreta fuerat. Monet de Dionysio.

M. Curius M. Cicer. suo S. D.

VII. 29. *Si vales, bene est. Sum enim*] Data est a. d. IV. Kal. Novemb. à M. Curio, qui Patris erat. Rogat Ciceronem ut Sulpicii successori se commendet, qui mense Junio ex Achaia decessit. Huic epistolæ respondet Cicero initio sequentis anni.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

V. 10. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio*] Data est Non. Dec. Naronæ. P. Vatinius, cùm in Dalmatiam profectus bellum gerere cœpisset, inde recedere propter frigora coactus fuerat. Petierat tamen à Cæsare ob res Dalmaticas gestas supplicationem. De ea verò adhuc non retulisse Cæsarem molestè fert. Petit à Cicerone, ut apud Cæsarem causam suam agat. Sic enim ait, *Cæsar adhuc mihi injuriam facit. De meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert. Quasi verò non justissimi triumphi in Dalmatia res gesserim, &c.* Quod autem addit, *Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum*, intelligitur post supplicationes de rebus Illyricis. De Dionysio se nihil adhuc extricare respondet. In Illyricum verò recessisse ostendit, cùm ait, *quòd me frigus Dalmaticum, quòd illinc ejecit, etiam hîc refrigeravit.* Item, *indignéque oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere sum coactus.*

Cicero Dolabellæ S. D.

IX. 12. *Gratulor Baiis nostris*] Dolabella ad Baias erat, ac orationem pro Dejotaro à Cicerone requisierat, quam dixit Cicero domi apud Cæsarem ex Hispania reversum. Quod ex his verbis orationis intelligitur, *Non dubito quin Dejotarus tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone dedisti, se magis etiam erexerit.* Est enim Tarraco urbs Hispaniæ. Ad eum orationem hanc se mittere ait. Et ipse Cicero rusticari videtur, cùm ait, *Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram.* Cæsarem porrò cum Dolabella ad Baias fuisse hoc anno, post tertia Saturnalia, id est, XII Kal. Jan. intelligitur ex epistola ultima lib. XIII. ad Att.

C. JULIO

Digitized by Google

C. JULIO CÆSARE V, M. ANTONIO COSS.

Anno ab Urbe condita 709.

Cicero Curio S. D.

VII. 30. *Ego verò jam te nec hortor*] Scripta est hæc epistola initio anni hujus, ex his verbis, *In campo certè non fuisti, cùm horâ secundâ comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nunciato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, consulem hora septima renuntiavit, qui usque ad K. Jan. esset, quæ erant futuræ manè postridie.* Hic autem fuit C Caninius Rebilus, qui in locum Q. Maximi suffectus est. Dio, Macrob. Respondet epistolæ Curii superiori.

M. Cicero Aristo Procos. S. D.

XIII. 50. *Sumpsi hoc mihi*] Petierat Curius à Cicerone ut se commendaret successori Sulpicii: qui videtur fuisse Acilius. Itaque in superiore ad Curium epistola ita respondet, *Acilio, qui in Græciam profectus est cum legionibus, de te scripsi, eámque epistolam cum hac conjunxi.* Hæc autem epistola videtur esse quæ ad Aristum scripta est, cui commendat M. Curium. Fortasse enim appellatus est Acilius Aristus.

M. Cicero Cornificio S.

X. 19. *Libentissimè*] Ex superioribus ad Cornificium epistolis apparet eum fuisse cum imperio non longè à Syria provincia, & bellum Parthicum susceptum fuisse. Ex hac autem constat eum Syriam & bellum Parthicum à Cæsare obtinuisse, quod Cæsar parabat hoc anno antequam interficeretur. Hanc rem ei hac epistolâ gratulatur.

Cicero Curio S. D.

VII. 31. *Facilè perspexi*] Hæc epistola multò post superiorem ad Curium scripta est: quia ait, *Acilio non fuisse necesse meas dari literas, facilè patior.* Hunc Acilium successorem fuisse Sulpicii intelligi potest, cùm addit, *Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuisse.*

M. ANTONIO, P. DOLABELLA COSS.

Cæsar cos. v. Id. Mart. interfectus est, cùm quinque menses Romæ post reditum ex Hispania fuisset, (auctore Velleio) in cujus locum suffectus est P. Dolabella.

D. Brutus M. Bruto, & C. Cassio S. D.

XI. 1. *Quo in statu simus, cognoscite*] M. Brutus & C. Cassius, prætores urbani, post necem Cæsaris armis Antonii cos. diffidentes Româ aberant. D. Brutus socius ejusdem conjurationis Romæ erat. Quod ex his verbis intelligitur, *Heri vesperi apud me Hirtius fuit: quâ mente esset Antonius demonstravit. Pessima scilicet. Nam neque provinciam mihi dare posse aiebat, neque tutò quemquam nostrûm in urbe esse.* Quæ verba indicant non multò post necem Cæsaris hanc epistolam esse scriptam. Ad Att. certè scribit, M. Brutum visum esse sub Lanuvio, post prid. Id. Apr.

Tullius Tironi S. D.

XVI. 24. *Etsi manè*] Cicero rusticabatur eo tempore quo Octavius ex Apollonia ad cernendam hereditatem Cæsaris Romam venit. Mandat Tironi, (quem à se, ut ait, Romam dimiserat) ut sibi pecuniam curet: & ut omnia certa sibi rescribat, quid Antonius, quid Octavius, quæ hominum opinio, quid futurum putet. Addit præterea, vix teneri quin accurrat. Item Aquini fuisse Hirtium, qui tum Romæ erat cùm superior epistola scripta est. Scripta autem hæc videtur post XIV. Kal. Maias: quia Octavius ex Apollonia Romam venit illo die, *ad Att.*

M. Cicero Bithynico S.

VI. 17. *Cùm cæterarum*] Non est dubium quin hæc epistola extremis iis bellis civilibus quibus Cicero interfuit, scripta sit: cùm ita scribat, *cum cæterarum rerum causâ cupio esse aliquando rempublicam constitutam.* Item quod ait, *eos qui temporibus valuerunt, aut valeant, &c.* nam *qui valuerunt*, referre videtur ad Cæsarianos: *qui valeant*, ad Antonianos

nianos & Octavianos. Præterea scribit ad Tironem in sequenti epistolâ, *ad Bithynicum scripsi.* Quod tamen an de hac epistola & de hoc Bithynico dictum sit, affirmare non ausim.

Tullius Tironi S.

XVI. 23. *Tu verò confice*] Mandat item ut pecuniam curet. Scripta est hoc tempore: quia ait, *Balbus ad me scripsit, tantâ se epiphorâ oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit.* Legem autem intelligit, quam fixerat Antonius post mortem Cæsaris, quâ Siculi cives Romani facti sunt. Ad Att. Adhuc etiam rusticabatur, cùm ait, *liceat modò rusticari.* Neque dum amicitiam cum Antonio diremerat: quia ait, *ego Antonii inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sanè volo: scribamque ad eum.*

Cicero Dolabellæ Cos. S. D.

IX. 14. *Etsi contentus eram*] Gratulatur Cicero Dolabellæ consuli de rebus ab eo præclarè gestis. Intelligit autem columnam in foro Cæsari mortuo erectam, quam ipse prostraverat. Scripta videtur VIII. Id. Maias ex epist. ad Att. ubi ait, *epistolæ ad Dolabellam exemplum tibi misi. Ego ad Dolabellam VIII. Id. dederam literas.*

C. Trebonius M. Ciceroni S.

XII. 16. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Athenas*] C. Trebonius in Asiam proficiscebatur provinciam, cùm has literas dedit VIII Kal. Jun. Athenis. Narrat Ciceroni ut viderit Athenis filium ejus literis operam dantem. Se item audisse turbulenta quædam de republica, quæ cupit esse falsa.

M. Cicero C. Trebonio S. D.

XV. 20. *Oratorem meum*] Eodem tempore quo Trebonius ad Ciceronem scripsit epistolam superiorem, Cicero hanc ad illum. Mittit ad eum Oratorem suum, petit ut ad se crebrò scribat, in primísque ut doceat cujusmodi iter suum fuerit: ubi Brutum viderit, quamdiu simul fuerit. M. autem Brutum intelligit, qui per hæc tempora in agro Antiati erat.

M. Cicero C. Matio S. D.

XI. 27. *Nondum satis constitui*] Agit cum Matio de ludis Octavii ab eo curatis in honorem Cæsaris mortui. Scripta verò hoc tempore videtur: quia ad Att. in epistola data post XV Kal. Jun. ita ait, *de ludorum apparatu Matius mihi displicet.* Item, quia in hac epistola ait, *cùm in Tusculanum vesperi venissem.* Nam ad Att. scribit in Tusculanum se venturum VI Kal. Jun.

M. Brutus, & C. Cassius Præt. M. Antonio Cos. S. P. D.

XI. 2. *De tua fide*] Brutus, & Cassius prætores (ut dixi) urbani cùm Româ abessent, petunt ab Antonio an Romæ Kal. Jan. tutò esse possint in magna veteranorum frequentia, quæ conventura erat. Ex quo apparet hanc epistolam ante Kal. Jun. scriptam esse.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 1. *Finem nullum facio*] Hoc tempore scripta est: quia ait, *republicâ a Dolabella meo præclarissimè gestâ. Manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi & otio diffiderem urbano.* Intelligit autem columnam eversam à Dolabella, de qua suprà. Addit præterea, *tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exules reducuntur, S. C. falsa referuntur.* Item, *cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus.* Quæ verba indicant hanc epistolam scriptam esse post Kal. Jun. quia scribit in prima Philippica, post illum diem hæc acta esse ab Antonio. Cassius adhuc non longè ab urbe aberat: quia ait, *verùm hæc propediem, & multa alia coràm.*

C. Matius M. Ciceroni S. P. D.

XI. 28. *Magnam voluptatem*] Respondet Matius epistolæ superiori, cujus initium est, *Nondum satis constitui.* Rationem affert cur Cæsaris ludos curarit, cùm ait, *At ludos quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium & ad honestatem reipublicæ pertinebat.* Addit præterea sæpe se venisse domum Antonii consulis.

M. Cicero M. Oppio S.

XI. 29. *Dubitanti mihi*] Scripta est cùm Cicero proficisceretur in Græciam: quia ait, *Dubitanti mihi de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa*

ta veniebant : magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium & consilium tuum. Item quia ait, *gravissimum judicium de mea fide fecisti, cùm post mortem Cæsaris te ad meam amicitiam contulisti.* Profectus est autem in Græciam mense Quintili, ut infrà apparebit.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 20. *Amabilior mihi Velia*] Data XIII Kal. Sext. Veliâ, cùm in Græciam proficisceretur. Quod & ex hac epistola & ex proœmio Topicorum apparet.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 19. *Vide quanti*] Data est V Kal. Sext. Rhegio. Ait se, ut primùm Veliâ navigare cœperit, instituisse Topica Aristotelica conscribere, eúmque librum Rhegio ad eum mittere.

Brutus & Cassius Præt. Antonio Cos. S. D.

XI. 3. *Literas tuas legimus*] Data est prid. Non. Sext. à M. Bruto, & C. Cassio, prætoribus urbanis, qui Româ aberant, sed tamen in Italia. Conqueruntur de minis Antonii, & de edicto quodam, quo Antonius minabatur idem supplicium optimis civibus, quod Cicero sumpserat de sceleratissimis. *Philipp.* III.

M. T. Cicero T. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 1. *Et absui*] Scripta est postquam rediit è Græcia: quia ait, *Et absui proficiscens in Græciam, & posteaquam de medio cursu reipublicæ sum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui.* Reversus est autem in urbem pridie Kal. Septemb. quod ex prima Philippica intelligitur.

M. T. Cicero S. D. Titio.

V. 16. *Etsi unus*] Consolatur Titium de morte filii. Difficile est autem intellectu, an impendente civili bello Cæsariano an Antoniano hanc epistolam scripserit, cùm scribat ita, *neque tantum hæ proficere videntur debere, quantum status ipse nostræ civitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum : cùm beatissimi sint qui liberos non susceperunt, minùs autem miseri qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bonâ, aut denique aliquâ rep. perdidissent.* Item, *hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea miseri, parari, impendere reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi deceptus esse videatur.* Item, *non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseriis videretur.*

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S.

XI. 4. *Si de tua in me voluntate*] D. Brutus Galliæ citeriori à Cæsare (auctore Appiano) præfectus, in eam provinciam aliquanto post necem Cæsaris profectus erat atque in ea nunc bellum gerebat. Cùm autem rem præclarè gessisset, literas ad Senatum scripserat, fortasse de supplicatione. Petit à Cicerone ut suam causam in Senatu defendat. Inquit autem, *progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quàm cupiens militibus satisfacere, firmósque eos ad tuendas nostras res efficere.* Item, *cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi. Non sine causa ad senatum literas misi. Adjuva nos tuâ sententiâ.* Itaque Philip. VI. ait, *Annon D. Brutus potuit legiones Antonio & provinciam tradere? domum redire? triumphare?*

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 16. *Permagni interest*] Jam Brutus Imp. appellatus erat, ex superiore epistola. Commendat duabus epistolis Bruto L. Lamiam, præturam petentem : credo, veritus ne altera earum intercepta periret. Hoc autem anno petiit præturam Lamia, quia ædilis fuit sub victoriam Cæsaris Africanam. Inter ædilitatem autem & præturam biennium intercedebat. Petit autem Cicero à Bruto, ut ad Lupum Romam mittat, ut equitum sibi centurias, in quibus ille regnat, conficiat.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 17. *Lamia*] Eodem tempore scripta est quo superior, ut ibi dictum est. Commendat iterum ei præturam Lamiæ.

M. Ci-

Digitized by Google

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 2. *Vehementer lætor*] Scripta est post XIII Kal. Oct. postquam Philippicam secundam in Antonium dixerat. Se tutò in Senatum venire non posse ait. Cædem enim eum quærere, ejúsque initium a. d. XIII Kal. Oct. à se facturum putasse. Cassius adhuc cum M. Bruto abesse ab urbe in Italia videtur: quia ait, *Quare spes est in vobis: qui si idcirco abestis ut sitis in tuto, ne in vobis quidem: sin aliquid dignum vestrâ gloriâ cogitatis, velim salvis nobis. Sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum recuperabit.*

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 2. *Meum studium*] L. Plancus petierat à Cicerone ut causam suam ageret in Senatu. Respondet Cicero, se id facturum fuisse, si aut tutò in Senatum aut honestè venire potuisset. Ex quo intelligi potest, hanc epistolam eodem tempore scriptam esse quo superior est.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 3. *Auget tuus amicus*] Nondum videtur Cassius in Syriam provinciam profectus, quòd se, quid consilii ei det, non habere Cicero dicat. Scripta est post VI Non. Oct. quia ait, *itaque a. d. VI Non. Oct. productus in concionem à Canusio, turpissimè ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus.*

M. T. Cicero Cornificio S. D.

XII. 23. *Omnem conditionem*] Cornificius Africæ hoc tempore prætor erat, quod sequentes epistolæ indicant. Scripta hæc est post VII Id. Oct. quia ait, *A. d. VII Id. Oct. Antonius Brundusium venerat, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecuniâ cogitabat, easque ad urbem adducere, & in cervicibus nostris collocare.*

M. Cicero Cornificio S.

XII. 21. *C. Anicius*] Extant epistolæ quædam ad Cornificium scriptæ, tum cùm in Africa erat: quarum quia sedes incerta est, earum aliquot huic epistolæ subjiciemus. Hac ei commendat C. Anicium, legatum in Africa legatione libera.

M. T. Cicero Cornificio S.

XII. 26. *Q. Turius, qui in Africa negotiatus est*] Commendat Q. Turium, qui in Africa negotiatus erat.

M. Cicero Cornificio.

XII. 27. *Sex. Aufidius*] Commendat Aufidii negotia, quæ erant in Africa.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 5. *Lupus, familiaris noster*] Scripta est post V Id. Decembr. quia ait, *Romam veni ante diem V Id. Decembr.* Nondum videtur Antonius provinciam Galliam à populo obtinuisse: quia ait, *si iste provinciam nactus erit, spem reliquam nullam video salutis.* Hortatur præterea ut Antonio resistat, & libertatem recuperet.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 7. *Cùm adhibuisset*] M. Antonius edixerat ut adesset Senatus frequens a. d. VIII Kal. Decemb. Eo die ipse non affuit, in a. d. IV Kal. Decemb. distulit: adesse in Capitolio jussit: quod in templum ipse nescio quâ per Gallorum cuniculum ascendit. Cùm de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit: effugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit: inde paludatus urbe fœdè ac miserè fugit, cùm vesperi illo ipso die senatus-consultum de provinciis fecisset. Cùm igitur Antonius in Galliam, quam à populo obtinuerat, D. Bruti provinciam, irrupturus cum exercitu videretur, hortatur Brutum Cicero ne in salute & libertate populi Romani conservanda auctoritatem Senatûs expectet, nondum liberi. Meminit Cæsaris adolescentis, qui exercitum privato consilio contra Antonium paraverat, item legionis Martiæ & quartæ, quæ Antonium consulem reliquerant.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 6. *Lupus noster*] Scripta est post XIII Kal. Jan. quia ait, *Cùm tribuni plebis edixissent,*

Digitized by Google

sent, senatus adesset a. d. XIII. *Kal. Jan. haberémque in animo de præsidio cos. des. referre, quanquam statueram in senatum ante Kal. Jan. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis sileretur (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam, si quid honorificè de te diceretur, me non adesse. Itaque in Senatum veni manè, &c.* Eo autem die in Senatu dixit tertiam Philippicam, & ad Populum quartam: in quibus D. Brutum laudavit, quòd edictum fecit quo se Galliam in S. P. Q. R. potestate retenturum pollicebatur.

M. Cicero S. P. D. Cornificio.

XII. 22. *Nos hic cum homine*] Scripta & hæc est post XIII. Kal. Jan. quia ait, *a. d.* XIII. *Kal. Jan. senatus frequens mihi est assensus de provinciis ab iis qui obtinerent retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex S. C. successisset.* Quod idem Cornificii causa suasisse ait, ne scilicet C. Calvisio, cui Antonius Africam tradiderat, provincia cederet. Suasit autem hoc Cicero in tertia Philippica, his verbis, *censeo senatum ad summam reip. pertinere arbitrari, ab iis qui provincias obtinent obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum successum sit.*

Q. Cicero Tironi suo S. D.

XVI. 27. *Mirificam mihi verberationem*] Scripta videtur hoc anno: quia reprehendit consules des. Hirtium & Pansam.

Cicero F. Tironi suo dulciss. S. D.

XVI. 21. *Cùm vehementer*] Cicero F. erat Athenis cum M. Bruto & Cassio, sequenti autem anno cum Bruto proficiscitur in Macedoniam. Erat autem hoc tempore Athenis, ut in epist. Trebonii. Hoc verò tempore epistolam hanc scriptam esse apparet, quia nunquam amplius fuerit Brutus Athenis quàm nunc. Eo enim Macedoniam proficiscens profectus est.

Cicero F. Tironi suo S.

XVI. 25. *Etsi justa*] Scripta videtur cùm esset Cicero F. Athenis, ut superior.

Bithynicus Ciceroni S. D.

VI. 16. *Si mihi tecum*] Bithynicus (ut ait Appianus) post mortem Cæsaris in Sicilia prætor erat. Petit igitur à Cicerone tunc in Senatu potente, ut se absentem defendat.

A. HIRTIO, C. VIBIO PANSA COSS.
Anno ab Urbe condita, 710.

M. Cicero Cornificio.

XII. 24. *Ego nullum*] M. Antonius a. d. IV. Kal. Decemb. cùm de legione quarta nuncium in Senatu accepisset, ex urbe fugit paludatus: in provinciam Galliam cum exercitu irrupit, D. Brutum resistentem Mutinæ obsedit: Cicero Philip. III. & V. Ad Antonium deinde legatos de pace Senatus misit prid. Non. Jan. Cicero Philip. VI. Antequam legati reverterentur, hæc epistola scripta est: quia ait, *cùm hæc scribebam, in expectatione erant omnia. Nondum legati redierant, quos Senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.*

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 8. *Eo tempore Polla*] Eodem tempore scripta est quo superior: quia ait, *omnia erant suspensa propter expectationem legatorum, qui quid egissent nihil dum nunciabatur.* Jam Hirtius & Cæsar exercitum contra Antonium duxerant: itaque ait, *De reliquis rebus jam à te literas expectare debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum copulatos fore.*

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 3. *Cùm ipsum Furnium*] Hortatur L. Plancum ad rempublicam & libertatem populi Romani defendendam. Scriptam autem mense Januario esse declarat responsio Planci, quæ sequetur.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 4. *Vellem Id. Mart.*] Jam C. Cassius in Syriam proconsul venerat. Scripta est postquam legati ab Antonio redierant: quia ait, *nihil fœdius Philippo & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cùm essent missi ut Antonio ex senatus sententia certas res nuntiarent, cùm ille earum rerum nulli paruisset, ultrò ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt.* Dolabellam vituperari ait, quod Cassio, qui vix triginta dies in Syria fuisset, succederet.

M. T. Cicero C. Trebonio S. D.

X. 28. *Quàm vellem*] Trebonius in Asia proconsul erat. Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, qui in legatione ad Antonium obierat ex IX. Philippica. Quod ex his verbis colligitur, *magnum damnum factum est in Servio. L. Cæsar optimè sentit: consules egregii, præclarus D. Brutus, egregius puer Cæsar.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 5. *Hiemem credo prohibuisse*] Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, dum adhuc Brutus obsideretur: ex his hujus epistolæ verbis, *Res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obsidebatur, quòd magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hirtius, ad forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnásque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ compararat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate (ut mihi crebris literis significat) acturus videbatur. Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus. Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est & rectus: Ser. Sulpicii morte magnum præsidium amisimus.*

Plancus Ciceroni S. D.

X. 4. *Gratissimæ mihi tuæ literæ fuerunt*] Respondet epistolæ Ciceronis, cujus initium est, *Cùm ipsum Furnium.* Scripta videtur Februario mense, quia ait, *Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Januario mense geratur, ut sciam.* Optimo se in rempublicam animo esse ait.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 24. *Rufum istum*] Hæc epistola extremâ hieme scripta est: quia ait, *te ad cœnas itare desisse molestè fero. Spurina magnum periculum summæ reipublicæ demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem, tum cùm Favonius flaret, revertisses. Hoc tempore ferri posse, si fortè tu frigus ferre non posses.* Addit præterea, quod hanc epistolam Antonianis temporibus scriptam esse probare potest, *cave existimes me, quod jocosiùs scribam, abjecisse curam reipublicæ: sic tibi persuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint. Nullum locum prætermitto monendi, &c.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 7. *Quanto studio*] Nunciat se dignitatem ejus defendisse in senatu. Hoc autem (ut arbitror) fecit in undecima Philippica, cùm bellum contra Dolabellam Cassio mandandum censuit: idem se ad Populum etiam egisse ait. Quæ tamen oratio non extat.

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S.

XII. 11. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam*] Data est Non. Mart. ex castris Taricheis. Nunciat se accepisse exercitum à L. Murco & Q. Crispo Imperatoribus, & legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, quatuórque legiones, quas Allienus ex Ægypto duxit, posteaquam illi audiverunt quæ Romæ gererentur. Intelligit autem S. C. factum in sententiam Ciceronis undecima Philippica.

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 31. *Minime mirum*] C. Asinius Hispaniæ præerat cum exercitu: quid sibi agendum sit, Ciceronem consulit. Data est XVII. Kal. Apr. Cordubæ.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

X. 5. *Binas à te accepi literas*] Respondet epistolæ Planci, cujus initium est, *Gratissimam mihi*; & gratulatur, eum optimo esse in remp. animo: hortatúrque ut persistat.

Libera-

Liberalibus, id eſt, XVI. Kal. Apr. nec poſtero die fuit ſenatus. Quinquatribus, i. XIV. Kal. Apr. frequens fuit, decrevítque ut Minerva Ciceronis, cuſtos urbis, quam turbo dejecerat, reſtitueretur. Panſa literas Cornificii recitavit. Summa approbatio conſecuta eſt, cum offenſione Calviſii, qui Africam petebat, ut ait Cicero in Philip. III. Factum de Cornificio S. C. honorificum, ex epiſt.

Cicero Planco Imp. Coſ. Deſ. S. D.

X. 6. *Quæ locutus eſt Furnius*] Data eſt XIII. Kal. Apr. Hortatur Plancum, ut D. Brutum collegam ſuum ab Antonio Mutinæ obſeſſum exercitu juvet, neque pacis auctor ſit, quæ poſitis armis ab Antonio petenda ſit.

T. Cicero M. Lepido S. P. D.

X. 27. *Quod mihi pro mea ſumma*] Monet Lepidum, qui decretâ ſibi Hiſpaniâ adhuc in Gallia ulteriori morabatur cum exercitu (auctore Velleio) ne ſe interponat in pacificationem Antonii & ſenatus, de qua hoc tempore agebatur, auctore Dione. Quod idem etiam ſuaſit in ſuperiori epiſtola Planco.

L. Plancus Imp. Coſ. Deſ. S. D. Coſ. Præt. Trib. Pl. S. P. Pl. Q. R.

X. 8. *Si cui forte*] Rationem affert cur non adhuc arma contra Antonium pro rep. ceperit: ſe paratum eſſe vel provinciam tueri, vel ire quo reſp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciámque; C. Furnium, legatum cum mandatis ad Senatum ante miſiſſe ait. Cujus rei meminit Cicero in epiſtola cui initium eſt, *Quæ locutus eſt Furnius*. Cùm autem hanc epiſtolam ſcripſit, Brutus adhuc obſidebatur. Quod inde intelligi poteſt, cùm ait, *quòd præmatura denunciatio boni civis imparati quàm periculoſa eſſet, ex caſu collegæ videbam.*

Planc. Imp. Coſ. Deſ. Ciceroni S. D.

X. 7. *Plura tibi*] Hæc epiſtola cum ſuperiore conjuncta eſt: quia ait ſe breviorem eſſe, quòd publicis literis omnia perſecutus ſit.

Cicero Planco Imp. Coſ. Deſ. S. D.

X. 10. *Etſi ſatis ex Furnio*] Reſpondet ſuperiori epiſtolæ Planci, cujus initium eſt, *Plura tibi*. Gratas literas ejus ſenatui fuiſſe ait: hortatur ut in ſuſcepta ſententia perſiſtat. Data eſt IV. Kal. April. antequam prælium ad Mutinam fieret. Quod ex his verbis cognoſcitur, *quamobrem quanquam uno in prælio omnis fortuna reip. diſceptat: quod quidem, cùm hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore*, &c.

M. Cicero Planco Imp. Coſ. Deſ. S.

X. 12. *Etſi reip. cauſa*] Data eſt III. Id. Apr. Reſpondet literis quibuſdam Planci, quæ interierunt: alias item literas Planci ad Senatum, quæ non extant, recitatas fuiſſe ait. Se pro Planco VII. VI. V. Id. Aprilis in Senatu cum Servilio & Titio Tribunis pleb. qui S. C. interceſſerant, contendiſſe ait.

M. Cicero Cornificio.

XII. 28. *Aſſentior tibi*] Scripta eſt hoc tempore, cùm ambo conſules ad Mutinam erant: quia ait, *Senatus ſæpius pro dignitate tua appellaretur, ſi abſentibus conſulibus unquam niſi ad rem novam cogeretur.* Hoc autem idem ſcripſit etiam in ſuperiore ad Plancum epiſtola, cùm Senatum abſentibus conſulibus à prætore urbano Cornuto habitum eſſe dixit.

M. Cicero Cornificio.

XII. 29. *Non modo tibi*] Commendat res L. Lamiæ. Scripta hoc anno videtur: quia ait, *quanquam erat nobis dictum, te exiſtimare alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, ſcribendo Lamiam affuiſſe, qui omnino conſulibus illis nunquam affuit ſcribendo: deinde omnia tum falſa S. C. deferebantur. Intelligit autem conſules Antonium & Dolabellam.*

M. Cicero C. Caſſio S. P. D.

XII. 6. *Qui ſtatus rerum fuerit*] Scripta eſt paulo ante quàm ad Mutinam pugnaretur;

retur: quia ait, *res, cùm hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat.*

Ser. Galba M. Ciceroni S.

X. 30. XVII. *Kal. Maii*] Data est a. d. XII. Maii, ex castris: Nunciat rem bene gestam cum Antonio.

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. P. D.

X. 9. *Nihil me tibi temerè*] Post VI. Kal. Maias scripta est, tum cùm Plancus properaret in Galliam citeriorem, ut subveniret Decimo Mutinæ obsesso; ait enim, *exercitum a. d. VI. Kal. Maias Rhodanum trajeci: ipse, si à Lepido non impediar, celeritate satisfaciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco & genere & numero & fidelitate firmissimas.* In hanc sententiam in epistola etiam cujus initium est, *Immortales*, scripsit, *Cùm Rhodanum copias trajecissem, ipséque iter Mutinam dirigerem, de prælio facto, Brutóque & Mutina obsidione liberata audivi.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 9. *Pansa amisso*] Data est IV. Kal. Maii ex castris Regii. D. Brutus obsidione liberatus mortuos consules nunciat: pollicetur se daturum operam ne Antonius in Italia commoretur: rogat ut Lepidum, Asinium, Plancum confirmet, de quorum voluntate erga remp. dubitabat.

M. Cicero Cornificio.

XII. 25. *Liberalibus*] Scripta est post consules ad Mutinam interfectos: quia ait, *Hirtium quidem & Pansam, collegas nostros, homines in consulatu reip. salutares, alieno sane tempore amisimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 10. *Non mihi remp.*] Data est III Non. Maii ex castris, Dertone. Nuntiat ut Antonius omne genus hominum arripiendo, satis magnum numerum effecerit, ut cum eo Ventidius ad Vada se conjunxerit. Antonium aut ad Lepidum se collaturum, aut Apennino Alpibúsque retenturum, aut rursus se in Etruriam recepturum.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

XI. 11. *Eodem exemplo*] Data est prid. Non. Maii ex castris, finibus Statiellensium. *In itinere est* (inquit) *Antonius, ad Lepidum proficiscitur. Ne de Planco quidem adhuc spem abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. In quibus, quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat.*

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S. D.

XII. 12. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas literas*] Rogat ut se & Murcum & Crispum imperatores, qui sibi exercitum tradiderunt, militésque ipsos suâ auctoritate defendat atque ornet. Se audisse ait, Dolabellam, qui nefariè Trebonio occiso Asiam occupavit, in Ciliciam venisse cum suis copiis. Itaque se item in Ciliciam profecturum. Data est Non. Maii, ex castris.

Plancus Ciceroni S. P. D.

X. 11. *Immortales ago tibi gratias*] Respondere videtur epistolæ Ciceronis, cujus initium est, *Etsi reip. causâ.* quâ Cicero scripserat, quantam contentionem pro ejus dignitate suscepisset. Nuntiat se, audito Mutinensi prælio, in Allobrogibus constitisse: audivisse autem VI Kal. Maias, suprà diximus. Se paratum esse ait, ut quoquo modo possit resistat Antonio, si in Galliam se contulerit.

Cic. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 14. *O gratam famam*] Data est III. Id. Maii. Respondet epistolæ superiori Planci, cujus initium est, *Nihil me tibi temerè.* Hortatur eum ut fusum Antonium persequatur.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 22. *Cum Ap. Claudio*] Commendat Bruto Ap. Claudium, qui se cum Antonio conjunxerat, rogátque ut eum sua auctoritate servet incolumem.

Plan-

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

X. 15. *His literis scriptis*] Nuntiat se, in Isara flumine, quod est in finibus Allobrogum, ponte uno die facto exercitum a. d. IV. Id. Maii traduxisse, fratrem cum equitum quatuor millibus prid. Id. Maii L. Antonio præmisso cum equitibus ad forum Julium obviam misisse: ipsum maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu, subsecuturum.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

X. 17. *Antonius Id. Maii*] Nuntiat Id. Maii Antonium ad forum Julium venisse, Ventidium bidui spatio ab eo abesse, Lepidum ad forum Voconii castra habere: ibi se expectare constituisse.

Cicero Planco S. D.

X. 16. *Nihil post hominum memoriam*] Literas quasdam Planci in Senatu recitatas esse, easque gratissimas senatui fuisse, deque his S. C. factum esse in sententiam suam ait. Suadet præterea ut in rebus agendis consilium senatûs non petat, sed ipse sibi sit senatus. Nondum videtur Antonius se conjunxisse cum Lepido.

M. T. Cicero S. P. D. Cornificio.

XII. 30. *Itáne*] Scripta est hoc tempore: quia ait, *orbus senatus consulibus amissis.* Item, *cùm Pansæ mortem ignorares, scripsisti quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere.* Item, *sic vehementiùs nos laboramus, quia profligato bello, ac penè sublato, renovatum bellum gerere conamur.*

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 18. *Etsi ex mandatis*] Data est XIII. Kal. Jun. De bello renovato Antonii agit, his verbis, *etenim cùm te incluso spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio: quis erat qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec verò Lepidum timebamus. Quis enim esset qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum reip. indiceret?* Item paulo pòst, *quare velim equidem (id quod spero) ut plane abjectus & fractus sit Antonius. Sin aliquid virium fortè collegerit, sentiet, nec senatui consilium, nec populo R. virtutem deesse, nec reip. te vivo, imperatorem.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 19. *Ad senatum*] Data est XII. Kal. Jun. Vercellis. Dolet, se cum tironibus egentissimis esse: rogat ut quas ad senatum misit literas, perlegat, & si qua videbuntur, commutet.

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 34. *Si vales, bene est: ego quoque valeo. Cùm audissem*] Data est XII. Kal. Jun. ex castris, ex Ponte Argenteo. Nunciat se venisse ad forum Voconium contra L. Antonium: Silanum & Culeonem ab eo discessisse: se neque Senatui, neque reip. in hoc bello defuturum.

M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

X. 25. *Si interest*] Deterret Furnium legatum Planci à petenda prætura: hortatur autem ut reliquias belli conficiat. Id est, ut Antonium persequatur, post fugam Mutinensem bellum renovantem.

Plancus Ciceroni S.

X. 18. *Quid in animo habuerim*] Se accersitum esse nuntiat à Lepido. Itaque a. d. XII. Kal. Jun. ab Isara castra movisse: pontem tamen reliquisse, & præsidia firma ibi posuisse, ut advenienti Bruto exercituíque ejus sine mora transitus esset paratus: ipsum se diebus octo cum Lepidi exercitu conjuncturum.

Plancus Ciceroni S.

X. 21. *Puderet me*] Scripta est biduo post superiorem: quia ait: *Scripsi tibi biduo ante, me confidere bono Lepido esse usurum, communique consilio bellum administraturum. Credidi chirographis ejus, affirmationi præsentis Laterensis, qui tum apud me erat, reconciliarémque me Lepido, fidémque haberem orabat.* De hac autem re sic in epistola superiori, *itaque post discessum legatorum, cùm binis continuis literis & Lepidus me ut venirem rogaret, & Laterensis multo etiam magis propè implorans obtestaretur, &c.* Se, cùm ad

Digitized by Google

ad Lepidum iret, jussu ejus constitisse, ac propterea suspectam ejus fidem habere ait.

Cicero Planco S. D.

X. 22. *In te, & in collega*] Scripta est antequam Lepidus Antonium reciperet: quia ait, *concordia vestra, quæ senatui declarata est.* Intelligit autem consensum Planci & Bruti ad persequendum Antonium. Scribit autem Appianus, cùm hoc tempore, antequam Antonius reciperetur à Lepido, D. Bruti exercitus laboraret morbo, Plancum cum exercitu propiùs accessisse.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 15. *Etsi mihi tuæ literæ*] Eadem sententia, quâ utitur, ostendit eodem tempore hanc epistolam scriptam esse, quo superior est: quæ est hæc, *conjunctio tua cum collega, concordiaque vestra, quæ literis communibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit.*

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

X. 13. *Ut primùm*] Nuntiat senatus consultum factum esse in suam sententiam, in laudem Planci. Hortatur ut Antonium opprimat: cùm ait, *qui M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit.*

Cicero Planco Imp. S. D.

X. 19. *Quanquam gratiarum actionem*] Idem agit atque in superiore, cùm ait, *Incumbe ut belli extrema perficias. Qui M. Antonium oppresserit, is hoc teterrimum bellum periculosissimumque confecerit.*

M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S. D.

XI. 12. *Tres uno die*] Respondet literis Bruti, quarum initium est, *Non mihi remp.* & eodem exemplo hortatur ad persequendum Antonium, cùm ait, *is bellum confecerit qui Antonium oppresserit.* Addit prætérea, *itaque homines alii fracti sunt: nonnulli etiam queruntur quòd persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant.*

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 33. *Quo tardius*] Hoc tempore scripta videtur: quia ait Antonium habere equitatum, ac legiones sub signis armatas tres: Ventidium cum eo se conjunxisse. Si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema. Parmam direptam, L. Antonium Alpes occupasse; anni tempus majorem sibi libertatem dare, propterea quòd frumenta aut in agris aut in villis sint: se deesse reip. nolle.

M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

X. 26. *Lectis tuis literis*] Suadet hac etiam epistola Furnio, ut præturæ petitionem in alterum annum differat: nunc autem in bellum incumbat. Quod de Planci & Bruti concordia scribat, in eo se vel maximam spem ponere victoriæ.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 14. *Mirabiliter mi Brute lætor*] Respondet literis quibusdam, quas Brutus Id. Maii dederat, his verbis, *Scripsisti autem ad me iis quas Id. Maii dedisti, modò te accepisse à Planco literas, non recipi à Lepido Antonium. Id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium: cujus exitum ne extimescam, tuæ partes sunt.*

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

XI. 20. *Quod pro me non facio*] Labeonem ait sibi nuntiasse, Cæsarem de Cicerone questum, quòd diceret, eum dixisse, Cæsarem ornandum & tollendum esse: non commissurum ut tolli possit. Se, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excessurum ait, legiones armare, parare, sperare se non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus, & impetus hominum. Data VIII Kal. Jun. Eporædiâ. Mendosè enim vulgò legitur VII Kal. Jun. ex manuscripto libro.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 23. *Nos hic valemus rectè*] Scripta videtur eodem die quo superior. Itaque ait, *quæ tibi superioribus literis meâ manu scripsi, terrendi tui causâ homines loquuntur.* Lepidum

dum commodè de se videri sentire ait, séque, dum à Cicerone literas accipiat, in Italia moraturum.

Cicero Planco S. D.

X. 20. *Ita erant omnia*] Data est IV Kal. Jun. Se accepisse à Bruto literas ait datas Id. Maii, in quibus erat, Plancum ad se scripsisse, à Lepido non recipi Antonium. Praeterea ait, *qui reliquias hujus belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore.*

Lentulus Ciceroni suo S. D.

XII. 14. *Cùm Brutum*] Quaestor erat Asiae Lentulus. De Cassio & de Dolabella nuntiat. Data IV Jun. Pergae.

P. Lentulus P. F. Proquaest. Propraet. S. D. Coss. Praett. Trib. Pl. Sen. P. Q. R.

XII. 15. *Si valetis, liberíque vestri valent, bene est*] Nuntiat eadem de Dolabella & de Cassio, quae in superiori epistola nuntiaverat Ciceroni. Data est IV Non. Jun. Pergae. Nisi malimus legere IV Kal. Jun. ut sit eadem die scripta qua superior.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

XI. 13. *Jam non ago tibi gratias*] Respondet epistolae superiori Ciceronis, cujus initium est, *Tres uno die.* Rationem affert cur non statim persecutus sit Antonium. Pollicetur, si quo casu Isaram trajecerit, reip. non defuturum. Addit praeterea, *vos magnum animum, optimámque spem de summa reip. habere volumus, cùm & nos & exercitus nostros singulari concordiâ conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos.*

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. S. P. Pl. Q. R.

X. 35. *Si vos liberíque vestri*] Data est III Kal. Jun. Excusat se quòd Antonium receperit. Recepit autem a. d. IV. Kal. Jun.

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

XI. 26. *In maximo meo dolore*] Data est III Non. Jun. ex castris. Lepidus Antonium recepit a. d. IV Jun. ex epistola Planci, cujus initium est, *Nunquam mehercule.* Hoc autem significare videtur Brutus in hac epistola, cùm ait, *hoc solatio utor, quòd intelligunt homines me timuisse ista quae acciderunt.* Et paulo pòst, *ad senatum literas misi.*

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 21. *Dii isti Segulio*] Respondet epistolae Bruti, cujus initium est, *Quod pro me non facio.* Data est prid. Non. Jun.

M. Cicero D. Bruto S. D.

XI. 24. *Narro tibi*] Data est VIII Id. Jun. Respondet epistolae Bruti, cujus initium est, *Nos hìc valemus rectè.* Suadet ut in Galliam contra Antonium trajiciat. Neque enim adhuc audierat Antonium esse receptum à Lepido.

Plancus Ciceroni S.

X. 23. *Nunquam mehercule*] Data est VIII Id. Jun. Civarone, ex finibus Allobrogum. Nuntiat a. d. IV. Kal. Jun. Antonium se conjunxisse cum Lepido: vix se è manibus eorum esse elapsum.

C. Asinius Pollio M. Ciceroni S.

X. 32. *Balbus quaestor*] Data est VI Id. Jun. Cordubae. Narrat quae Balbus quaestor gesserit: petítque ut quid sibi agendum sit, ad se scribat.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 8. *Scelus affinis tui Lepidi*] Scripta est post conjunctionem Lepidi & Antonii. Quod ex his verbis intelligitur, *Scelus affinis tui Lepidi, summámque levitatem & inconstantiam, ex actis quae ad te mitti certò scio, cognosse te arbitror.* Addit praeterea nuntiata quaedam fuisse de oppresso Dolabella.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 9. *Brevitas tuarum literarum*] Scripta est eodem tempore quo superior: quia ait, *tanquam clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppresso Dolabella.* Et paulo pòst, *nos confectum cùm putaremus bellum, repentè à Lepido tuo in summam solicitudinem adducti sumus.* C. Cas-

Digitized by Google

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

XII. 13. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Cùm reip.*] Data est Id. Jun. Cypro, Acromani Iacride. Nuntiat se persecutum esse Dolabellam.

M. Cicero D. Bruto S. D.

XI. 25. *Expectanti mihi*] Data est XIV Kal. Quint. Se vocare quotidie M. Brutum in Italiam ait.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 10. *Lepidus affinis tuus*] Scripta est post prid. Kal. Quint. quia ait, *Lepidus affinis tuus prid. Kal. Quint. sententiis omnibus hostis à senatu judicatus est, cæterique qui unà cum illo à republica defecerunt. Quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Sept. potestas facta est.* Et paulo pòst, *Nos de Dolabella quæ volumus: sed adhuc sine capite.* Nondum autem superiores Cassii de Dolabella literas acceperat.

C. Cicero Ampio S. D.

X. 29. *De meo studio*] Data est prid. Non. Quint. Videtur scripta hoc tempore, quo plurimum poterat in republica Cicero: quia ait: *Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus quàm ipsi, hoc tempore prodesse possim.* Item, *fundamenta jeci salutis tuæ.*

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. D.

X. 24. *Facere non possum*] Data est V Kal. Sext. ex castris. Hoc tempore petebat Octavius consulatum in locum consulum occisorum. Quod in hac etiam epistola significat Plancus, cùm ait, *quòd vivit Antonius, quòd Lepidus unà est, quòd exercitus habet non contemnendos, id omne Cæsari acceptum refero. Quæ mens eum à tanta gloria avocarit, & ad cogitationem consulatûs bimestris transtulerit, exputare non possum.*

Hoc anno C. Cæsar Octavianus prid. quàm XX. annos impleret X. Kal. Oct. cum Q. Pedio consulatum iniit in locum A. Hirtii, & C. Pansæ, qui in prælio Mutinensi ceciderant. Atque haud ita multo pòst Cicero, inito inter Cæsarem, Antonium & Lepidum, triumviratu, jussu Antonii interfectus est.

EPISTOLÆ ALIQUOT,

Quibus haud ita certa sedes invenitur.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 23. *Tantum ex Arpinati veneram*] Hæc epistola eodem tempore scripta videtur, quo epistolæ quædam in primo lib. ad Attic. quia cum utroque de signis sibi curandis agit. Nam in epistola, cujus initium est, *Quanto dolore*, ita ait, *quæ tibi mandavi, & quæ tu intelliges convenire nostro Tusculano, velim, ut scribis, cures. Nam nos ex omnibus molestiis & laboribus uno in illo loco conquiescimus, quo fratrem quotidie expectamus.* Et in ea quæ incipit, *Non committam*, scribit, *Q. frater cum uxore nunc in Arpinati prædio erat. Tu velim, si ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint ejus, quem non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tunc denique cùm illo venimus, placeamus.* Et in ea, cujus initium est, *Apud te est, ut volumus*, scribit, *Hermæ tui Pentelici, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant. Quare velim & eos, & signa, & cætera, quæ tibi & ejus loci, & nostri studii, & tuæ elegantiæ esse videbuntur, quamplurima quamprimùmque mittas, & maximè, quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse.* Et in ea, cujus initium est, *Cùm essem in Tusculano*, legimus, *signa nostra, & Hermeraclas, ut scribis, cùm commodissimè poteris, velim imponas. Et quod aliud οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras, reperies, & maximè quæ tibi palæstræ gymnasiique videbuntur esse.* Et in ea, cujus initium est, *Crebras expectationes*, scribit, *quod mihi de Hermathena scribis, per mihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium meæ, quòd & Hermes commune omnium, Minerva singulare est ejus gymnasii.* In his ergo locis meminit Cicero Tusculani, quod exornare cupiebat, & quo fratrem expectabat: Arpinatis, ubi frater erat. Signa præterea sibi curari cupit ea quæ gymnasio, palæstræ, & xysto, & cuidam alii loco quem ille scit, con-

Digitized by Google

congruant; ut Mercurium & Minervam. Eadem autem fere in hac epistola scribit ad Fabium. Meminit enim Arpinatis, unde fortè in Tusculanum redierat, cùm ibi Q. fratrem reliquisset: meminit Tusculani, ubi tunc erat. Signa præterea se cupere ait, quæ gymnasium & palæstram exornent: cùm inquit, *ea signa emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum.* Meminit etiam xysti, & alterius illius loci: cùm ait, *exedria nova mihi quædam sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare.* Xystum enim porticulam, locum illum exedria intelligit. Baccharum præterea & Martis signa loco illi convenire negat, Mercurium probat. Cùm ergo tanta sit argumenti similitudo, jure eodem tempore hæc scripta esse videri poterit, atque illæ ad Att. quæ ante consulatum Ciceronis, auctore Paulo Manutio viro eruditissimo, scriptæ sunt. Hoc tamen opinantes dicimus.

Cicero Gallo S. D.

VII. 26. *Cùm decimum*] Meminit cœnæ auguralis apud Lentulum. P. autem Lentulus Spinter filium in consulatu suo, Dione auctore, in adoptionem Manlio Torquato dedit, ut augur fieri posset, salvâ lege, quæ duos ex eadem gente fieri augures prohibebat. Erat autem augur Cornelius Faustus Syllæ fil. ex quo apparet hanc epistolam scriptam esse post consulatum Lentuli.

M. Cicero C. Munatio C. S. D.

XIII. 60. *L. Livineius*] Scripta videtur post exilium Ciceronis: quia ait, *summa enim ejus erga me officia extiterunt iis nostris temporibus, quibus facillimè bonam benevolentiam hominum & fidem perspicere potui.*

M. Cicero L. Culleolo S. D.

XIII. 41. *Quæ fecisti*] Videtur Culleolus proconsul in Illyrico esse: quia meminit in sequenti Bylionum populorum Illyrici. Scripta est vivente Pompeio: quia ait, *tum Pompeius quotiescunque me videt (videt autem sæpissimè) gratias tibi agit singulares.* Id si ita est, profectò ante primum consulatum Cæsaris scripta est. Nam Cæsar primùm consul Illyricum ac Gallias à populo obtinuit in quinquennium: ac deinde prorogandum sibi imperium curavit in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero L. Culleolo Procos. S.

XIII. 42. *L. Luceius*] Meminit in hac etiam Pompeii: cùm ait, *sese Luceio Pompeii arbitratu satisfacturos.*

M. Cic. Q. Philippo Procos. S.

XIII. 74. *Etsi non dubito pro*] Q. Philippus proconsule Asiam regebat. In hac enim epistola fit mentio L. Oppii, & L. Egnatii, qui negotia habuerunt Philomeli, urbe Asiæ, ut apparet ex epistolis sequentibus ad Gallium. Commendat eum ergo ei absenti L. Oppium, & L. Egnatium, quos etiam præsentes ostendit se commendasse tum cùm Philippus discederet in provinciam.

M. Cicero Q. Gallio S. D.

XIII. 43. *Etsi plurimis rebus*] Puto Gallium fuisse legatum Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei L. Oppium, & L. Egnatium, qui negotia habebant Philomeli. Non videtur autem adhuc Gallius in provinciam pervenisse: quia ait, *velim memoria tua causâ des aliquid literarum, quæ tibi in provincia reddantur.*

M. Cicero Q. Gallio S. D.

XIII. 44. *Etsi ex tuis*] Commendat iterum Gallio L. Oppium.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S. P. D.

XIII. 45. *L. Egnatio*] Appuleius videtur Quæstor fuisse Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei negotia ejusdem Egnatii, de quo antè.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S. P. D.

XIII. 96. *L. Nostius*] Eidem Appuleio proquæstori commendat L. Nostium.

M. Cicero Q. Philippo Procos. S.

XIII. 73. *Gratulor tibi*] Q. Philippus pro-

Digitized by Google

procos. ex provincia Asia Romam redierat. Gratulatur ei Cicero quòd salvum se Romam receperit.

M. Cicero C. Memmio.

XIII. 3. *A. Fusium*] Commendat A. Fusium. Hanc epistolam inter eas quæ ad Memmium scriptæ sunt, non collocavimus: quia ait, *ut mihi coràm recepisti.* Quæ verò ad Memmium scriptæ sunt, ostendunt Ciceronem nusquam cum Memmio locutum esse, cùm Athenis exulabat.

M. Cicero Cornificio Collegæ S.

XII. 20. *Gratæ mihi tuæ literæ*] Hæc epistola separata est à reliquis, quas Cicero ad Cornificium scripsit. Nam cùm reliquas scripsit, in provincia esse videtur Cornificius: cùm hanc autem dedit, rusticari videtur. Quod quando fecerit, non liquet.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 21. *Ain' tandem*] Hæc epistola nihil ex se suppeditat, ex quo in suspicionem venire possimus, quo præcipuè anno scripta sit. Multas etiam alias ad Pætum scripsit epistolas, sed non omnes uno anno, ut ostendimus.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 22. *Amo verecundiam*] Quod dixi de priore epistola, idem de hac judicandum est.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 22. *Illuseras heri inter scyphos*] Incerta omnino sedes est hujus epistolæ.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 21. *Silii causam*] Item hujus.

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ S.

XIII. 6. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Credo*] Reliquæ epistolæ ad Valerium Orcam scriptæ sunt, cùm esset præfectus à Cæsare dividendis agris. Hæc autem scripta est cùm esset in provincia: in qua quo tempore fuerit, obscurum est.

Cicero Basilio S. D.

VI. 15. *Tibi gratulor, mihi gaudeo*] Incertissimum tempus est hujus epistolæ.

Quintus M. Fratri S. D.

XVI. 16. *De Tirone*] Laudat fratrem Quintus quòd Tironem in libertatem vindicaverit.

Q. Cicero Tironi suo S. D.

XVI. 26. *Verberavi*] Incertum epistolæ tempus, ut etiam sequentium.

M. Cicero Q. Anchario Q. F. Procos. S. D.

XIII. 40. *L. & C. Aurelios*]

M. Cicero Quatuorviris & Decurionibus S. D.

XIII. 76. *Tantæ mihi*]

Cicero Regi S.

XIII. 52. *A. Licinius Aristoteles*]

M. Cicero P. Cæsio S. D.

XIII. 51. *P. Messienum*]

Cicero Curio Procos. S. D.

XIII. 49. *Q. Pompeius*]

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLARUM
VETUS ORDO,
Cum eo, quem Ragazonius docet, collatus.

Romanus numerus librum: *Arabicus prior*, epistolam: *posterior*, Ragazonii *paginam designat*.

Liber	Epist.	Pag.
I.	1	565
	2	---
	3	---
	4	566
	5	---
	6	---
	7	---
	8	---
	9	568
	10	---
II.	1	568
	2	569
	3	---
	4	---
	5	---
	6	570
	7	574
	8	572
	9	573
	10	574
	11	576
	12	577
	13	--
	14	576
	15	578
	16	581
	17	577
	18	--
	19	--
III.	1	571
	2	---
	3	---
	4	---
	5	573
	6	573
	7	576
	8	573
	9	576
	10	577
	11	--
	12	578
	13	--
IV.	1	580
	2	581
	3	587
	4	588
	5	593
	6	--
	7	587
	8	588
	9	--
	10	593
	11	588
	12	594
	13	587
	14	583
	15	584
V.	1	563
	2	--
	3	566
	4	565
	5	564
	6	---
	7	563
	8	567
	9	594
	10	596
	11	---
	12	566
	13	593
	14	594
	15	---
	16	599
	17	569
	18	570
	19	581
	20	579
	21	585
VI.	1	584
	2	586
	3	584
	4	---
	5	589
	6	588
	7	589

Digitized by Google

8 . . . 589
9 . . . ---
10. 587. 88
11 . . . 588
12 . . . ---
13 . . . ---
14 . . . 589
15 . . . 610
16 . . . 610
17 . . . 597
18 . . . 591
19 . . . 595
20 . . . 585
21 . . . ---
22 . . . 584

VII.
1 . . . 567
2 . . . 570
3 . . . 586
4 . . . ---
5 . . . 567
6 . . . ---
7 . . . ---
8 . . . ---
9 . . . 568
10 . . . --
11 . . . ---
12 . . . 569
13 . . . ---
14 . . . 570
15 . . . 569
16 . . . 568
17 . . . ---
18 . . . 569
19 . . . 599
20 . . . ---
21 . . . 610
22 . . . 610
23 . . . 608
24 . . . 595
25 . . . ---
26 . . . 609
27 . . . 588
28 . . . ---
29 . . . 596
30 . . . 597
31 . . . ---
32 . . . 574
33 . . . 586

VIII.
1 . . . 571
2 . . . 572
3 . . . ---
4 . . . ---
5 . . . ---
6 . . . 576
7 . . . 576
8 . . . 573
9 . . . 572
10 . . . 574
11 . . . 577
12 . . . 578
13 . . . ---
14 . . . ---
15 . . . 580
16 . . . ---
17 . . . 581

IX.
1 . . . 583
2 . . . 585
3 . . . ---
4 . . . ---
5 . . . ---
6 . . . ---
7 . . . ---
8 . . . 594
9 . . . 581
10 . . . 592
11 . . . ---
12 . . . 596
13 . . . 592
14 . . . 598
15 . . . 589
16 . . . 585
17 . . . 586
18 . . . ---
19 . . . ---
20 . . . ---
21 . . . 610
22 . . . 610
23 . . . 586
24 . . . 602
25 . . . 577
26 . . . 589

X.
1 . . . 599
2 . . . 600
3 . . . 601
4 . . . 602
5 . . . 602
6 . . . 603
7 . . . 603
8 . . . 603
9 . . . 604
10 . . . 603
11 . . . 604
12 . . . 603
13 . . . 606
14 . . . 604
15 . . . 605
16 . . . 605
17 . . . 605
18 . . . 605
19 . . . 606
20 . . . 607
21 . . . 605
22 . . . 606
23 . . . 607
24 . . . 608
25 . . . 605
26 . . . 606
27 . . . 603
28 . . . 602
29 . . . 608
30 . . . 604
31 . . . 602
32 . . . 607
33 . . . 606
34 . . . 605
35 . . . 607

XI.
1 . . . 597
2 . . . 598

Digitized by Google

	3 ...	599
	4 ...	---
	5 ...	600
	6 ...	---
	7 ...	---
	8 ...	601
	9 ...	604
	10 ...	---
	11 ...	---
	12 ...	606
	13 ...	607
	14 ...	606
	15 ...	---
	16 ...	599
	17 ...	---
	18 ...	605
	19 ...	---
	20 ...	606
	21 ...	607
	22 ...	604
	23 ...	606
	24 ...	607
	25 ...	608
	26 ...	607
	27 ...	598
	28 ...	---
	29 ...	---
XII.	1 ...	598
	2 ...	600
	3 ...	---
	4 ...	602
	5 ...	---
	6 ...	603
	7 ...	602
	8 ...	607
	9 ...	---
	10 ...	608
	11 ...	602
	12 ...	603
	13 ...	608
	14 ...	607
	15 ...	---
	16 ...	598
	17 ...	595
	18 ...	596
	19 ...	597
	20 ...	610
	21 ...	600
	22 ...	601
	23 ...	600
	24 ...	601
	25 ...	603
	26 ...	600
	27 ...	---
	28 ...	603
	29 ...	---
	30 ...	605
XIII.	1 ...	571
	2 ...	---
	3 ...	610
	4 ...	595
	5 ...	---
	6 ...	610
	7 ...	596
	8 ...	--
	9 ...	575
	10 ...	590
	11 ...	---
	12 ...	- -
	13 ...	---
	14 ...	---
	15 ...	592
	16 ...	---
	17 ...	589
	18 ...	---
	19 ...	590
	20 ...	---
	21 ...	---
	22 ...	---
	23 ...	---
	24 ...	---
	25 ...	---
	26 ...	---
	27 ...	---
	28 ...	---
	29 ...	584
	30 ...	591
	31 ...	591
	32 ...	---
	33 ...	---
	34 ...	---
	35 ...	600
	36 ...	---
	37 ...	600
	38 ...	601
	39 ...	603
	40 ...	610
	41 ...	609
	42 ...	609
	43 ...	---
	44 ...	---
	45 ...	---
	46 ...	610
	47 ...	575
	48 ...	567
	49 ...	610
	50 ...	597
	51 ...	610
	52 ...	610
	53 ...	574
	54 ...	576
	55 ...	574
	56 ...	---
	57 ...	576
	58 ...	---
	59 ...	---
	60 ...	609
	61 ...	574
	62 ...	575
	63 ...	---
	64 ...	---
	65 ...	---
	66 ...	590
	67 ...	591
	68 ...	587
	69 ...	59[illegible]
	70 ...	---
	71 ...	---
	72 ...	---
	73 ...	610
	74 ...	609
	75 ...	570

Digitized by Google

	76	610
	77	594
	78	584
	79	—
XIV.	1	565
	2	—
	3	—
	4	564
	5	578
	6	581
	7	—
	8	—
	9	582
	10	—
	11	—
	12	—
	13	—
	14	579
	15	582
	16	610
	17	582
	18	580
	19	582
	20	583
	21	581
	22	585
	23	—
	24	—
XV.	1	573
	2	572
	3	573
	4	575
	5	577
	6	578
	7	572
	8	—
	9	—
	10	575
	11	578
	12	572
	13	575
	14	576
	15	584
	16	592
	17	—
	18	—
	19	—
	20	595
	21	583
XVI.	1	578
	2	—
	3	579
	4	—
	5	—
	6	—
	7	—
	8	580
	9	579
	10	593
	11	579
	12	580
	13	—
	14	—
	15	—
	16	610
	17	593
	18	—
	19	—
	20	—
	21	601
	22	593
	23	598
	24	597
	25	601
	26	610
	27	601

NB. *In hâc Epistolarum serie emendati sunt aliquot numeri quos in Editione Parisiensi malè notatos deprehendimus*, scilicet VIII. 6. in hac nostrâ Editione pag. 572. ubi apponendus est numerus 9. cujus initium *Sic tu* &c. & p. 597. X. 19. cujus initium *Libentissimè* &c. quæ est *Lib. XII.* non *X.*

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS,

Qui eorum ad quos Cicero scribit, mores, & historiam paucis complectitur.

Auctore PHILIBERTO QUARTERIO, S. J.

Ordine alphabetico nomina describuntur, nullâ prænominum habitâ ratione.

ACILIUS.

HUNC Senatus ipsâ nocte, cùm jam legiones ad Octavium Cæsarem defecissent, clanculùm misit in Picenum ad habendos delectus; sed à Cæsarianis in itinere captus, & servili, uti exierat, habitu ad Cæsarem deductus fuit; Cæsar ei pœnam ad tempus remisit, ut opinionem nancisceretur clementiæ: aliquantò pòst cum aliis proscriptus est. Illi consanguineus Acilio, (nam affirmare non ausim eundem esse) qui Massiliensi in obsidione invictum animi robur præ se tulit, de quo Suetonius, cap. 68. lib. I. *Acilius navali ad Massiliam prælio, injectâ in puppem hostium dexterâ, & abscisâ, memorabile illud apud Græcos Cynegiri exemplum imitatus transiluit in navem, umbone obvios agens.* Aciliorum gens plebeia fuit, sed multis Consulatibus, & Triumphis inclyta.

AULUS ALLIENUS.

Aulus Allienus Siciliæ Rector cum auctoritate Consulari: sic enim Hirtius in Bello Africano: *Cæsar deinde Allieno Prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo datis mandatis ipse navem conscendit.* Idem Allienus posteà Cæsari reliquum exercitum è Lilybæo transmisit in Africam, ut ibidem Hirtius refert. *Allienus,* inquit, *interim Proconsul è Lilybæo in naves onerarias imponit legiones decimam-tertiam & decimamquartam,* &c. *& in Africam mittit ad Cæsarem.* Successisse Acilio videtur. Ejus extat denarius argenteus cum signo Trinacriæ, & Victoriâ in rostro navis.

TITUS AMPIUS BALBUS.

Titus Ampius Balbus, Tribunus plebis anno U. C. 690. legem tulit, ut Cneius Pompeius ob Mithridaticam victoriam, coronâ laureâ in ludis Circensibus, & omni cultu Triumphantium uteretur. Post Ædilitatem, Præturam sortitus est; ex Præturâ verò, Ciliciæ administrationem, in quâ Lentulum Spintherem, de quo posteà dicemus, successorem habuit.

QUINTUS ANCHARIUS.

Quintus Ancharius ad Tribunitiam dignitatem evectus est anno U. C. 694. Coss. Cæsare & Bibulo: summis à Cicerone laudibus extollitur egregia illius in hoc munere fides, ac fortitudo, cùm ausus sit Publii Vatinii collegæ perniciosis actionibus palàm adversari.

Anno 698, ex præturâ Macedoniam sortitus obtinuit, Lucio Pisoni Proconsuli successor datus, qui ex senatus consulto ob provinciam malè habitam revocatus erat.

CAIUS ANTONIUS.

Caius Antonius, Marci Antonii Triumviri avunculus, avaritiæ sordibus infamis; domi fidei dubiæ Consul, dux bello infelix, iniquus provinciæ moderator, naturâ suspicax, imbellis animo, mente curis gravioribus impari, in amicos turpiter ingratus; Syllæ partes in civili dissensione secutus, cùm Achaiam spoliasset, à Censoribus senatu motus est; restitutus tamen, Ciceronis in Consulatu collega fuit; devictoque per Petreium legatum suum Catilinâ, (ipse enim aberat) Imperator appellatus, laureatos fasces in Macedoniam, quæ sorte ipsi obvenerat, detulit; sed oppressus à Dardanis, & provinciâ per vim, & avarè administratâ, accusante Marco Cælio damnatus, apud Cephalonios

phalonios quindecim annis exulavit, donec interfecto Cæsare, à Marco Antonio Consule revocatus, paulò pòst è vitâ discessit.

MARCUS ÆMILIUS LEPIDUS, ET M. ANTONIUS.

Antonii domus plebeia, Lepidi Patricia majorum gentium fuit; utraque nobilis, summisque semper honoribus perfuncta: hic ab Æmilio Æneæ nepote: ille suam ab Hercule originem repetebat; ambo prosperâ diù, ac florente fortunâ usi sunt; sed Antonii prosperitas egregiis erat animi subnixa dotibus: Lepidus constantem adeò fortunæ indulgentiam, nullâ virtute meritus videtur; uterque Cæsaris amicitiâ, tribunatûs vinculo, amicorum proscriptione, libertatis, ac Reipublicæ ruinâ famosus.

Antonio fuit eximia formæ dignitas, promissa barba, procerum corpus, frons largior, aduncus nasus, virilis ab omni parte facies, quæ pictam Herculis imaginem adumbraret: facetus ac dicax, perpotationi deditus, bello melior, quàm pace; militum ad mensam comes, quorum animos ac benevolentiam nemo sibi meliùs conciliare didicit: mira fuit in eo morum simplicitas: in præmiis effusus, pœnisque; ad beneficia tamen, quàm ad supplicia proclivior: si quem aculeis offenderet, inflicto vulneri adhibebat illicò medelam, si quidem repungi poterat, & vicissim impunè perstringi, ex æquo hilaris, sive rideret alios, sive ab aliis ipse rideretur.

Cæsar illos in consulatu collegas habuit, Lepidum anno 707. Antonium autem anno 709. quo Cæsar necatus est. Ambo sub eodem Dictatore magistri equitum; uterque, necem ut Cæsaris ulcisceretur, factus est cum Octavio triumvir: ille fratrem, hic avunculum proscripsit: Lepidus pontifex maximus, Antonius etiam Orientis imperator; ille non multo pòst copiis spoliatus ab Octavio, Circeios relegatus est; alter in Actiaca pugna victus ab Octavio, sibi mortem Alexandriæ conscivit: orbis fortè futurus magister, nisi Cleopatræ servire maluisset, quàm orbi universo dominari: liberali vir ingenio, & quæ virtus principum virorum propria esse solet, præcipuâ benignitate in eos, quos res angustæ vexabant; immensas nempe opes, non ad privata commoda, sed ad salutem amicorum congestas esse dicebat.

Levis & inconstans Lepidus, minimâ domi ac militiæ gloriâ; in quo inerat cum mediocri virtute summa vanitas.

APPIUS CLAUDIUS PULCHER.

Appius Claudius Pulcher ortus est patriciâ Claudiorum stirpe, viris domi, militiæque inclytis fœcundâ.

Peracto consulatu anno U. C. 699. in quo Domitium Ænobarbum collegam habuerat, Ciliciæ proconsul, & Cypri renuntiatus est, Lentuli Spintheris successor, anno 700. Et quoniam in octavum fermè mensem, sublatis tribunorum intercessione comitiis, interregnum duravit, neque leges ullæ ferri potuerunt; seriùs, absque lege Curiatâ, suóque propterea sumptu in provinciam abiit, uti fusiùs explicatum est in notis ad librum tertium.

Anno U. C. 701. Imperatoris nomen adeptus est; ex qua pugna, non liquet: rem tamen ab eo bene gestam, non modò *Imperatoris* inscriptio, sed petitio triumphi testatur.

Successori Tullio, non modò obviam prodire, uti mos erat, noluit; sed ejus prætérea declinavit aspectum; sui nempe generis splendore inflatus, novum despiciebat hominem, sibíque dignitate parem fieri, ægrè ferebat.

Anno U. C. 702. è Ciliciâ decedens ad urbem accessit, ut triumphum ob egregiè bello facta peteret, sed à P. Dolabella, Ciceronis paulo pòst genero, ambitûs, & majestatis accusatus, triumphi postulatione relictâ, Romam ingreditur, móxque tribunali cum accusatore se sistit; quo facto adversariorum retudit sermones, paratiórque visus, quàm speraverat accusator; Hortensio deinde, & M. Bruto defendentibus absolutus est, & ambitûs & majestatis crimine.

Anno U. C. 703. Censuram obtinuit cum L. Calpurnio Pisone Cæsonio, Cæsaris socero; híque ultimi fuere censores, qui liberâ republicâ, ex privatorum numero populi suffragiis creati sunt: languebat jam tum hæc dignitas in tam perverso civitatis statu, & nemo sanæ mentis hanc admodum appetebat; ne aut notandis civibus in odium, aut non notandis in populi reprehensionem incurreret. Appius autem factionis Pompeianæ contra Cæsarem fautor acerrimus, Cæsari, præter animi sui sententiam, multùm profuit; plures enim cùm notaret, tam ex senatorio, quàm ex equestri ordine, eos à bonis alienavit partibus, atque ut Cæsarianas amplecterentur, effecit.

Lustrum verò conditum ab iis illud fuisse existi-

existimo, quo Plutarchus in vita Cæsaris scribit, ante bellum civile censa fuisse civium trecenta viginti millia, cùm deinde anno urbis 707. post bellum Africanum, Cæsare jam dictatore censum agente, non ultrà centum quinquaginta millia numerata sint, reliquis bello civili quatuor annorum spatio, consumptis. *En quò discordia cives perduxit miseros!*

In hac fatali dissensione Pompeium secutus, ante Pharsalicam pugnam morbo extinctus est, anno 705. inquieto vir ingenio, sæpe ferox, divitiarum cupidus; provinciarum, quas rexit, non tam custos, quàm expilator, scelerum fermè omnium conscius, quæ censor in aliis severè notabat; nobilitate demum suâ, & insitâ Claudiorum familiæ superbiâ, præter modum elatus.

APPULEIUS.

Hunc esse credibile est, cujus meminit Tullius Philippicâ sextâ, & ultimâ. Hic tribunus plebis, (anno U. C. 710.) Ciceronem populo excusavit, falsúmque ostendit rumorem fuisse, qui per urbem ab inimicis sparsus erat, ipsum, consulibus orbatâ republicâ, fasces & imperium quærere; à senatu contra Antonium stetisse constat, & à triumviris cum altero Appuleio, ut refert Appianus, proscriptum: quorum alteruter idem est cum eo ad quem scripta est Ciceronis epistola: M. tamen Appuleius mortis elapsus discrimine, consulatum obtinuit cum Silio, de quo infrà.

BASILIUS.

De Basilio certi nihil affirmari potest, nisi is ille sit, ut Corradus opinatur, qui cùm Cæsari favisset, in Cæsarem conjuravit, & à servis interfectus est.

BITHYNICUS.

Bithynicus è Pompeia gente, cui genti cognomen hoc Bithynia devicta peperit; filius, nisi fallor, Auli Pompeii, quem Plinius scribit, in Capitolio, cùm deos salutaret, repentinâ morte obiisse, lib. VII. cap. 53. Tullius in Bruto Q. Pompeium Auli filium nominat, & fuisse secum, & cum M. Pisone amicitiâ, studiis, exercitationibusque conjunctum, & biennio circiter se majorem dicit: utrùm autem Q. Pompeius, qui claros inter oratores à Tullio reponitur, idem sit cum eo, ad quem hanc epistolam mittit; an ejus pater, ut Manutio videtur: id enim verò asseverare nolim; uterque saltem Pompeianus in bello civili diverso tempore periit.

DECIMUS BRUTUS.

Decimus Brutus è Junia gente à Posthumio adoptatus est; unde factum, ut ei cognomen *Albini* adhæserit: Cæsari familiaris; ejusdem in Gallia legatus; designatus ab eo consul; citeriori Galliæ præpositus, ac testamento post Octavium relictus hæres; Cæsaris tamen post tot beneficia percussor.

Mortuo Cæsare eadem hæc Galliæ citerioris administratio à Senatu D. Bruto confirmata; sed cùm Antonius, qui civile bellum excitare cupiebat, eam appeteret suis, utpote consiliis aptam, nec posset obtinere; ideo Brutum (anno 710.) Mutinæ inclusum per menses multos obsedit.

M. Antonius hostis patriæ judicatus est; & obsidione solutâ fugere coactus: at vix Brutus liber evaserat, cùm ecce nuntiatur, Octavium Cæsarem cum Lepido & Antonio societatem fœderis iniisse: viribus inferior ad M. Brutum in Macedoniam proficisci statuit, sed paulo pòst desertus à suis, ad Aquileiam jussu Antonii (anno 710.) interficitur, *justissimásque*, inquit Velleius, *optimè de se merito viro Caio Cæsari pœnas dedit; cujus, cùm primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit; & fortunæ, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebátque æquum, quæ acceperat à Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa dederat, periisse.*

MARCUS BRUTUS.

M. Brutus è Junia gente, quæ Româ Tarquinios ejecerat, oriundus, post Cn. Servilii adoptionem, M. Brutus Cæpio nominatus est.

Pietate in patriam, candore morum, vitæ innocentiâ, elegantiâ ingenii, litterarum ac Philosophiæ studio, Ciceroni & optimo cuique carissimus extitit. Ejus pater, jussu Pompeii magni cæsus traditur; inde gravis inter utrumque simultas: civili nihilominus dissensione ortâ, Pompeii factionem, quòd eam Cæsarianâ justiorem crederet, secutus est, dolorémque suum reipublicæ charitati posthabuit

Post cladem Pharsalicam, Larissam fugiens, non modò servatus est incolumis, sed ad summas quoque dignitates evectus.

Anno 707. Cæsar priùs in Africam quàm navi-

navigaret, eum Galliæ Cisalpinæ, necdum Prætorium præfecerat, quam singulari moderationis & sapientiæ laude administravit; incorruptus judex & integer, summis pariter & imis acceptus, exteris admirationi, ne quidem hostibus odio, quippe cui aliena mens erat à voluptatis & avaritiæ sordibus, perpetuáque in omnes & comparanda miraculo lenitas.

Anno 709. Cæsaris ejusdem beneficio præturam urbanam obtinuit; sed sui, Cæsarisque oblitus, necem ei velut tyranno, moliri ausus est, quem ut beneficum & parentem colere debuerat; etsi non tam sponte suâ, quàm Cassii impulsu id fecisse constat, nec sui, sed reipublicæ unius causâ; quod ipsum Antonius testimonio suo comprobavit, dicere solitus, cæteros in Cæsarem conjurasse, privatum ut odium satiarent, Brutum, ut publicæ dumtaxat utilitati consuleret.

Anno eodem, vix erat peracta cædes, cùm Antonius, corrupto Cæsaris testamento, accitisque Romam veteranis militibus, plebem in conjuratos excitavit. M. Brutus & Cassius veteranorum, qui Cæsarem amabant, & plebeiæ factionis metu, urbe cesserunt, ambo edictis testati, libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum reipublicæ constaret concordia.

Cùm Cæsar bellum Parthicum cogitans, tam provincias quàm magistratus in plures annos ordinasset, M. Bruto Macedoniam, Syriam Cassio, quas ambo præturâ defuncti regerent, decreverat; verùm Cæsare paulo pòst occiso, M. Antonius & Dolabella consules, contra acta Cæsaris, & invito senatu, hic obtinuit Syriam; Macedoniam ille C. Antonio fratri, cùm Galliam sibi ipse impetrasset, concessit: at Senatus hoc anno (710) hostibus patriæ declaratis, & Dolabella, quòd Caium Trebonium Proconsulem in Asiâ crudeliter necasset; & Marco Antonio, quòd Galliâ Cisalpinâ per vim occupatâ, Decimum Brutum Mutinæ obsideret, Marco Bruto Macedoniam cum Illyrico, Caio autem Cassio Syriam, bellíque contra Dolabellam gerendi curam attribuit; aliis insuper additis ex Ciceronis sententiâ honoribus, uti scilicet omnes transmarinarum provinciarum Rectores, Bruti, & Cassii imperata facerent, exercitúsque, pecunias, & classem, prout libitum esset, colligerent. Hujus decreti auctoritate, Brutus copias accepit à Vatinio Proconsule, qui per annos aliquot Illyricum tenuerat, & Caio Antonio Marci fratre, quòd insidias sibi strueret, interempto, firmum & ipse exercitum, pro libertatis defensione, comparavit.

Anno 711. cum Bruto, & Cassio conjuratorum principibus, Octavius & Antonius acie decertarunt in campis Philippicis, vario primùm eventu, si quidem utrimque dextra cornua vicerunt, & utrimque castra direpta sunt; sed Cassius, qui in eo cornu erat, quod pulsum est, ratus totum esse fusum exercitum, se ipse interemit. Brutus iterato post unum circiter mensem prælio, victus, & ipse mortem sibi conscivit, annum agens septimum & trigesimum: vir gloriâ nemini posthabendus, nisi præposterâ patriæ charitate, suáque in Cæsarem perfidiâ, suo nomini turpitudinis labem aspersisset.

AULUS CÆCINA.

Aulus Cæcina excellenti ingenio fuit, animo forti, & magno, summâ virtute, litteris haud mediocriter eruditus, scientiâ præsertim auguratûs insignis; Etruriæ, unde Romam venerat, nobilissimus, gratiosus apud populum, auctoritate summis propè par; sed promptus linguâ, scriptis maledicus, qui non modò contra Cæsarem pro Pompeio distrinxit gladium, sed stylum insuper acuit; quapropter in exilium actus, impetrare vix tandem potuit ab irato Cæsare, ut in Italiam reverteretur. De Etruscâ disciplinâ, ut Plinius ait in indice lib. II. volumen edidit, ex quo nonnulla de fulguribus recitat Seneca lib. II. nat. Quæst. c. 56. p. 858. cum hoc elogio: *Facundus vir*, inquit, *qui habuisset aliquod in eloquentiâ nomen, nisi illam Ciceronis umbra pressisset.*

CAIUS JULIUS CÆSAR.

Caius Cæsar Juliorum ortus est gente, quâ nullam agnovit illustriorem Roma, cujus incolæ Regum se Dominos esse jactitabant: plus tamen familiæ splendoris addidit, quàm ab eâ mutuatus est; amplificandæ fortunæ suæ primarius artifex, & auctor.

In uno Cæsare collecta erant hæc naturæ dona, quæ ducem omni ex parte perfectum effingunt. Ingenii vis, animi robur, morum suavitas, corporis firma constitutio, acres oculi, statura eminens, oris eximia species, & ad majestatem facta; magnitudo cogitationum, celeritas bellandi, perpetua domi, militiæque fœlicitas: quò gravius periculum, eò firmior audacia; somnus, victúsque non voluptate, sed necessitate finitus; eadem sem-

semper diversis in rebus mentis sedes, ut nec infimis unquam se deprimi, nec summis altiùs attolli pateretur. Vix ullus alter, in quo tam certa extiterit vitæ æqualitas, tanta in prosperis moderatio, in ferendis injuriis par lenitas; hostium semper victor, victis hostibus rarò non pepercit.

Sed has virtutes, quantumvis erant magnæ, major utique vincebat ambitio, quæ nec privatum hominem, nec in Reipublicæ sinu educatum deceret. Cæsaris illa vox fuit ex Euripide deprompta:

Si violandum est jus, regnandi causâ violandum est,
Aliis rebus pietatem colas.

Gadibus in Templo Herculis, ad visam imaginis statuam ingemuisse fertur, quòd eâ ætate, quâ Alexander orbem terrarum armis subegerat, nullum adhuc rerum à se gestarum monumentum extaret: hac æmulatione ad novas spes captandas incitatus est.

Conciliare sibi plebem; improbis esse perfugio; militum flectere quò vellet animos; optimatum frangere potentiam; libertatis in speciem defensor, ut eam opprimeret; novarum in dies legum architectus, ut antiquas everteret; eloquentiæ studiosus, ut, quos in curiâ defenderat, illos in perpetuum sibi devinctos teneret; in largitionibus effusior, ut corrumperet, quos opibus auxerat.

Religionis ultra fidem negligens, nihil quidquam, vitâ superstite, à diis immortalibus postulavit, quid sibi post mortem impendêret, parum solicitus.

Anno U. C. 692. ex urbanâ Præturâ Lusitaniam nactus provinciam, ac rebus ibidem præclarè gestis, Triumphum meruerat, sed hujus certam spem Consulatûs honori posthabuit.

Anno sequente, cùm Pompeius impetrare non posset, ut acta sua confirmarentur, relicto senatu, se cum Cæsare, Crassóque conjunxit; sic facta potentiæ societas, ac jurejurando firmata, ut nihil deinceps, nisi ex eorum nutu, in Republicâ ratum esset: verùm illud animo meditabatur Cæsar, ut alterum alterius operâ perderet, ipséque solus aliquando dominaretur; inde civiles armorum motus, quibus orbis terrarum concussus est.

Anno 694. Cæsar Consulatum adeptus, Pompeii acta per Senatum approbavit; Stellatem & Campanum agros in plerosque cives divisit; deinde ut equestrem ordinem ab Senatu dissidentem sibi adjungeret, publicanos diminutionem flagitantes, tertiâ mercedum parte relevavit: Lucullo, Bibulo, Catone ipso frustrà obstrepente. Solus itaque regnabat in Republicâ Cæsar, quasi Consulatum solus gessisset, omnis Collegæ adempta auctoritas; quapropter id omne quod factum est hoc anno, tam verè, quàm jocosè factum esse dicebatur, *Julio, & Cæsare Consulibus.*

His artibus, & infinitâ largitione, cùm sibi ordinum omnium gratiam parasset, Galliam provinciam obtinuit, priùs autem quàm Româ discederet, affinitatis vinculo potentiam suam firmavit; ne quid enim, absente se, Pompeius per Gabinium, qui cum Pisone designatus erat Consul, moveret, Juliâ filiâ Pompeio collocatâ, Pisonis ipse duxit.

Cùm autem Cicero Cæsarem asperiùs perstrinxisset, sensit injuriam Cæsar, ac dissimulavit; occasione nihilominùs undique conquisitâ, quâ se furtim, ac velut aliud agens ulcisceretur; nihil proposito convenientius visum est, quàm ut Clodium, aliunde jam infensum Tullio, in eum suscitaret: opinioni respondit eventus; vix enim ad plebem, adoptante P. Fonteio, Clodius traductus est, & Tribunitiâ potestate donatus, cùm summis contumeliis affectum Ciceronem exilio tandem mulctavit.

Cæsar decretam sibi provinciam novem annis rexit, ut auctor est Suetonius; quo intervallo (ab anno 695. usque ad 703.) Galliam omnem, quæ à saltu Pyrenæo, Alpibúsque, Rheno, Rhodanóque fluminibus continetur, in provinciæ formam redegit: primum etiam Romanorum Germanos Trans-Rhenanos, ponte super Rhenum imposito, lacessivit; Britannos quoque adiit, quò nullus anteà penetrarat.

Anno 697. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino & L. Marcio Philippo Coss. legionibus in hiberna deductis, transgressus Alpes, ut res urbanas ipse cognosceret, Lucæ, quæ proxima Galliæ Cisalpinæ civitas erat, hiemavit; ibi cum Pompeio, Crassóque ita pactus est, ut sibi provincia Gallia in aliud quinquennium prorogaretur, Pompeius Hispaniam, Crassus Syriam sortiretur, Parthicúmque bellum, ambóque simul anno insequenti Consules fierent; sic Domitius Ænobarbus, qui palàm minatus erat, se ademturum Cæsari, & exercitum, & provinciam, Consulatu excidit.

Anno 701. subactâ tandem Galliâ, incredibile dictu est, in quantum opes Romanæ,

Digitized by Google

manæ, vel ex hac unâ provinciâ creverint; certè Velleius asserit, Cæsaris auspiciis ac virtute fractam, idem penè stipendium, quod totus terrarum orbis, contulisse. Immensis igitur thesauris locupletatus Cæsar, Rempublicam largitionibus antè corrupit, quàm armis evertit.

Anno 702. mortuo Crasso, cùm neque parem Pompeius, neque superiorem ferre Cæsar ampliùs posset, civile bellum exortum est; id agentibus (anno 703.) Pompeianis, ut provinciâ Cæsar, exercitúque cederet; Cæsarianis vicissim, idem ut Pompeius faceret, annitentibus.

Anno 704. tandem Senatus decrevit, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: Curio, Antonius, Cassius, nequicquam intercedentes, fugere coguntur ad Cæsarem, qui cum copiis ad urbem properans, ita Pompeium, alióſque perterruit, ut sine morâ, urbe, ac deinde totâ Italiâ relictâ, in Græciam navigarent.

Cæsar Italiâ totâ intra sexaginta dies, torrentis fluvii more, peragratâ, & in suam potestatem sine sanguine redactâ, in Hispaniam proficiscitur, Afranium, Petreiúmque Pompeii legatos ad Ilerdam superat, exercitu eorum in deditionem accepto; in reditu Massiliam expugnavit, primâque Dictaturâ donatus est, quam quidem quater, ac postremò perpetuam obtinuit.

Anno 705. in Pharsalicis campis victus est à Cæsare Pompeius.

Anno 706. confecto Alexandriæ periculosissimo bello, regnum Cleopatræ, ejúsque fratri permisit; deinde Pharnacem in Ponto profligavit, tantâ felicitate, & celeritate, quantam elogium illud Cæsaris testatur, *veni*, *vidi*, *vici*.

Anno 707. Scipionem, & Catonem in Africâ cum Jubâ Rege devicit; Románque reversus, fastos, annúmque castigavit; unde anni Juliani profecti sunt.

Anno 708, Pompeii denique liberos ad Mundam in Hispaniâ maximo, difficillimóque prælio prostravit, fudítque

Anno 709, vix quatuor menses, tot laborum, victoriarúmque fructus perceperat, cùm Bruti, & Cassii, aliorumque conspiratione, in senatu ipso confossus est, anno ætatis, ut Plutarchus ait, quinquagesimo sexto, suæ dumtaxat, non alienæ mortis conscius, spreto scilicet amicorum consilio, qui suaserant, ut partam armis dominationem, armis tutaretur,

CAIUS CASSIUS LONGINUS.

Cassius fuit conjurationis in Cæsarem præcipuus auctor; bello quidem nobilis, sed iracundus, & naturâ asper: apud milites in pretio, sic tamen ut ab iis timeri mallet, quàm amari: crudelis & ferox: provinciarum, quibus præfuit, clades; hostibus implacabilis; inter familiares facetus & dicax: in beneficum sibi Cæsarem crudeliter ingratus.

Anno U. C. 701. ex quæstura Syriam aliquandiù, donec M. Bibulus advenisset, administraverat, reliquiisque exercitûs post cædem M. Crassi conservatis, Parthos Antiochiâ fortiter repulerat.

Anno 704. tribunus plebis Pompeianam factionem amplexus est; & anno sequenti classi Syriacæ à Pompeio præpositus; sed in Cæsarem cùm imprudens incidisset, se suasque naves ei tradidit; à quo deinde amplissimis honoribus decoratus est; ex animo tamen Pompeianis amicus, Cæsarémque dominum ægrè ferens, in eum conjuravit.

Anno U. C. 711. ad urbem Philippos in Thessalia, cùm adversùs Octavium & Antonium acie decertarent conjuratorum principes, ut Cassius sensit, eam partem exercitûs in qua erat, inclinare, ratus totum exercitum fusum esse, sibi manus intulit.

Percussorum porrò Cæsaris nullus triennio ampliùs superstes fuit, & omnes violentâ morte sublati, immò & quidam, eodem pugione quo Cæsarem confoderant, se ipsos interemerunt.

MARCUS PORCIUS CATO UTICENSIS.

Porciæ gentis gloria à M. Catone censorio duxit initium, sed in Catone Uticensi supremum apicem attigit. In eo vel à prima ætate eluxit indoles, quæ nec allici blanditiis, nec minis terreri poterat, fortunæ dominatrix, adulationis impatiens, à vitio quolibet aliena; irasci non facilis, sed ubi exarserat, difficilis placari.

In virtutem tanto studio juvenis adhuc incubuit, ut divino instinctu eò videretur impelli; victus ei tenuis, vestitus simplex, vultu, dum vixit, gravi semper ac severo: majori utique admiratione ac laude dignus: quòd in lucem non prodierit Curiorum aut Fabriciorum tempore, quo frugalitatis amor Romano civi in partem cesserat, virtúsque sola laboris incitamentum erat ac merces. Eâ vixit ætate Cato, quâ Romæ principatum tene-

tenebant avaritia, luxus, ambitio; legum jacebat auctoritas, nullus justitiæ, religionive locus; novam induerat faciem Romana respublica, & continuâ flagitiorum serie, ultimam sibimet cladem imprudens parabat: in tanto cupiditatum vitiorúmque dominatu, Cato solus à virtute contra vitium stetit.

Si quæ nasceretur inter cives controversia, Catonis super hac judicium vim habebat oraculi; huic rei vel id unum testimonio est: de tribunatu disceptabant viri civitatis primarii, nec patrum decretis adduci poterant, ut ambitu desisterent: ii tandem jurarunt, id se ratum habituros quod Cato censuisset; hac ipsâ re testati pluris à se fieri sententiam Catonis, quàm auctoritatem senatûs.

Anno U. C. 698. designatis per vim consulibus Pompeio & Crasso, statutum Catoni fuit præturam reipublicæ causâ petere, ut imminentem tyrannidem auctoritate majori prohiberet: sed per vim, obnuntiationem, pecuniámque depulsus est: factúsque prætor in ejus locum Vatinius, homo sanè nequam: bonis ingemiscentibus, & Catone ipso prænuntiante, quanta reipublicæ mala ab iis impenderent, qui prætorem esse Catonem nolebant.

Sequenti tandem anno præturâ donatus est, quam tanto exercuit integritatis ac sapientiæ studio, ut id solum ei videretur habere rationem quod haberet justitiam; homo, ut Velleius ait, virtuti simillimus, visúsque semper mortali conditione major.

Anno 702. consulatum petierat M. Cato, non privati honoris, sed reipublicæ causâ, cui perniciem nimia Cæsaris ac Pompeii potentia struebat: sed ejus petitioni utriusque fautores obstiterunt, quòd palàm præse ferret, se consulem arma Cæsari erepturum; sua illi quoque austeritas obfuit, cùm non modò largiri nihil voluisset, ut cæteri; sed etiam à senatu contendisset, ut soli candidati per se prensarent; itaque irato in eum populo, repulsam passus est, indignante Tullio, ac meritò Catonem arguente, quòd reipublicæ conservandæ gratiâ petitionis molestias devorare recusasset.

Anno 705. profligato ad Pharsalum Pompeio, cùm summum Catoni à militibus deferretur imperium, Scipioni viro consulari, ipse tantùm prætorius, parêre maluit.

Anno 706. fusis iterum in Africa Pompeianis, Uticæ gladio se transfixit. Libertatis, quoad licuerat, columen ac defensor; sed hostium multitudine obrutus, cum illa simul interiit: neque enim Cato libertati superstes esse poterat, neque Catoni libertas.

CLUVIUS.

Cluvius Puteolis in Campania natus, is est, nisi sum falsus, quem in epistola 56. lib. XIII. Thermo de meliori nota commendat; illum quoque Cæsar agrorum divisioni præfecerat.

CAIUS COELIUS CALDUS.

C. Cælius Caldus, adolescens nobilis, acri judicio, & eximiâ morum suavitate, è Caldorum familia, quæ Cœliæ gentis tum antiquissima Romæ erat, & sola consularis.

Anno U. C. 703. Ciceronis in Cilicia quæstor fuit; ab eóque cùm discederet, provinciæ suo loco præpositus: cujus facti rationem reddit in epistola decima quinta libri II. ad M. Cœlium Rufum scripta.

MARCUS COELIUS RUFUS.

M. Cœlius Rufus, è plebeio & equestri genere Puteolis natus est, sumptâque virili togâ, à patre ad Ciceronem deductus, ut liberalibus disciplinis informaretur: quo magistro sic profecit, ut summos inter Oratores Quintilianus eum referat.

Tribunus plebis, anno U. C. 701. quo anno Clodius à Milone occisus est, optimatum, & Milonis ipsius causam contra populi furorem studiosissimè suscepit, quin & ipsi consuli, omnium qui adhuc extiterant, potentissimo resistere ausus, & leges, quas ad oppugnandum Milonem de vi & ambitu tulerat, arguere; sic indignante Pompeio, ut palàm diceret, se rempublicam armis, si cogeretur, defensurum.

Anno 703. ædilis curulis fuit, Hirtio competitore dejecto, qua de re jocosiùs ad Ciceronem, & vicissim ad ipsum Cicero scribit. Ludos solemni exhibuisse pompâ testantur ejusdem Cœlii literæ, quibus fermè singulis Tullium rogat Ciliciæ tunc proconsulem, ut per Cibyratas Pamphyliæ populos, & venandi arte nobiles, Pantheras conquiri, sibique ad apparatum sui muneris mitti quamprimùm curet.

Anno 704. orto Cæsarem inter & Pompeium dissidio, neutram in partem inclinare visus: mutatâ mox sententiâ, Cæsari adhæsit, ad quem unà cum Curione, ut incendio civili facem ministraret, Ravennam profectus est. Ab ipso demum Cæsare defecit; cujus defectionis hæc vulgò causa traditur.

Anno 705. prætoriam dignitatem, ſed peregrinam ei Cæſar dederat; urbanam autem, quæ longè illuſtrior, Trebonio: id ferens indignè Cælius, de Cæſare in Græcia contra Pompeium bellante falſos in vulgus rumores ſparſit, quaſi victus in acie cecidiſſet, poſt novarum tabularum ac ſeditionis auctor, facto in Trebonium impetu, eum de tribunali deturbavit: quamobrem Servilii conſulis decreto, ſenatu prohibitus, & concionem ad populum habere cùm vellet, ab eodem de roſtris per vim deductus eſt. Ille ignominiâ permotus, ac dolore, Româ egreditur, ad Cæſarem ſe proficiſci ſimulans: clàm verò nuntios ad Milonem mittit, qui Clodio interfecto exulabat; Cæſari, à quo reditum in urbem non impetrarat, infeſtus: bellum igitur ambo parant, Cælius pervenit Thurios, Tarentini ſinûs oppidum; ibique cùm municipes aliquot, militéſque promiſsâ pecuniâ ſollicitat, opprimitur.

Vir eloquentiâ Curione ſuperior, ſed non minùs ingenioſè, nequam, iracundus, prodigus, intemperans, audax, ſaltandi ſtudioſiſſimus, ars quondam ingenuis vix cognita: ſummus Orator, ut crimina tamen objiceret meliùs, quàm defenderet: multa in eo urbanitas, verùm ſtylus aſperior: inconſtantis animi, qui modò reipublicæ, modò Cæſaris, nullius modò jura propugnaret; eloquio demum, quàm mente ac fortunâ melior: tumultuosè cùm vixiſſet, civiles inter tumultus indecorè periit.

QUINTUS CORNIFICIUS.

Q. Cornificius doctrinâ præſtans & ingenio in eorum numero, qui de arte rhetorica ſcripſerunt, à Quintiliano reponitur: Africam proconſul obtinuit, ut apertè ſatis declarant Ciceronis ad eum epiſtolæ. Cæſare interfecto, cùm M. Antonius conſul bellum cogitans, diſtributiſque in ſequentem annum provinciis, Calviſium Cornificio ſucceſſorem deſtinaſſet, ſortitionem hanc ſenatus irritam fecit, & Cornificio, aliiſque provinciarum rectoribus prorogavit imperium, donec uſque ſenatus-conſulto iis ſuccederetur: verùm aliquanto pòſt, cùm ex fœdere inter triumviros inito Cæſar junior Africam omnem cum finitimis inſulis in quinquennium accepiſſet, cum T. Sextio, qui Cæſaris eum nomine de provincia decedere jubebat, bellum geſſit, proſcriptos à triumviris, & ex Italia profugos recepit, póſtque varia certamina prælio tandem victus & interemptus eſt.

CRASSIPES.

Craſſipes ex nobili Furiorum gente, non alio mihi nomine cognitus, præterquam quòd quæſtoris officium in Bithynia obire juſſus eſt.

MARCUS LICINIUS CRASSUS.

M. Licinius Craſſus patre natus eſt triumphali & cenſorio, ipſe duplici & ovatione, & conſulatu clarus: anguſta in domo, nec ſplendidè educatus eſt; frugalis ei, dum vixit, menſa, eximia morum integritas, continentia ſingularis; ſed avaritia tam ardens, ut virtutes ejus pariter ac vitia penè obſcurarit.

Immenſæ opes *Divitis* ei cognomen pepererunt; quàm meritò, vel ex eo collige, quòd vulgò diceret, hunc duntaxat appellandum divitem, cui fructus annui ad exercitum alendum ſatis eſſent; comis erga hoſpites, & humanus; beneficâ in amicos voluntate, populo amabilis, & faſtu procul omni jucundus.

Artem oratoriam coluit, quâ publicè ad civium defenſionem uteretur; nulla tam levis cauſa ad quam acceſſerit imparatus; nemo tam abjectus, cui non ſuccurreret, quem ſalutantem non comiter reſalutaret, blandéque complecteretur.

Syllanas in bello civili partes ſecutus, multa præclarè geſſit; ſed avaritiâ factum eſt, ut nihil inde laudis colligeret; direptione ſiquidem urbium, locupletum proſcriptionibus, publicâ demum calamitate res ejus privata in immenſum crevit.

Eo tempore (anno U. C. 673.) Pompeius adhuc juvenis, & *Magni* cognomen, & priùs in ſenatum, quam lectus eſſet, triumphi gloriam obtinuerat; tam florenti fortunæ Craſſus invidit; verùm abjectâ ſpe bellicis eum rebus æquandi, confugit ad togam, ac largiendo, ſublevando, ſuffragando tantam fermè poteſtatem adeptus eſt, quantam vincendo Pompeius.

Abſentis Pompeii illuſtrius erat in urbe nomen, ob res bello fortiter geſtas, præſentem Craſſus paululùm obſcurabat; quòd ille inſitâ ſibi ſeveritate multitudinem declinaret ac forum; pauciſque, ſibi uni commodus, advocatum ſe præberet; Craſſus autem facili cùm eſſet aditu, & cujuſvis negotia curaret ſedulò, plebi infimæ, multo quàm Pompeius, jucundior erat.

In ambobus corporis majeſtas, oriſque par

Digitized by Google

par facundia, perpetua laudis æmulatio, aliquandiu simultas, capitale nunquam odium; in vitæ cursu varius ac multiplex, nec amicus constans, nec inimicus difficilis placari; qui scilicet objecto quæstu amicitiam & odium ultrò deponeret. Earumdémque legum, prout utilitas privata postulabat, defensor esset aut oppugnator.

Anno *690*. Catilinæ favisse suspicio fuit; cùm enim amplissimo exercitui Pompeius in Asia tum præesset, cupiebat cujusvis opes contra illius potentiam crescere; in hanc præterea spem adductus, si res ex sententia succederet, facilè apud conjuratos principem se fore.

Anno *694*. consule demum Cæsare, inter eum & Cn. Pompeium, & M. Crassum inita potentiæ societas, quæ urbi, orbique, ipsísque tandem, diverso licet tempore, exitium attulit: fecit id Pompeius, ut ea quæ in transmarinis provinciis decreverat, per Cæsarem consulem rata fierent:. Cæsar autem, quòd animadverteret se, cedendo Pompeii gloriæ, aucturum suam, & invidiâ communis potentiæ in illum rejectâ, confirmaturum partes suas: Crassus, ut quem principatum assequi solus non poterat, auctoritate Pompeii, viribus autem Cæsaris, obtineret.

Anno *698*. Crassus & Pompeius, qui jam unà consules fuerant, alterum simul consulatum iniêre, qui per vim ab iis occupatus, per vim quoque, nec honestè peractus est. Lege, quam Pompeius tulit, prorogata est Cæsari in aliud quinquennium Galliarum administratio, Crasso bellum Parthicum animo meditanti, Syria decreta.

Anno *699*. proficiscentem malis ominibus & execrationibus retinere frustrà conati sunt tribuni plebis; at Euphratem cùm esset transgressus, peterétque Seleuciam huic impositam flumini, immanibus equitum circumfusus copiis, à Surena Parthorum duce interemptus est, anno 700: *vir*, teste Velleio, *cætera sanctissimus, nec pecuniæ, nec gloriæ concupiscendæ modum ullum fecit.*

Lucius Culleolus.

De quo nihil peculiare habeo, quod dicam, præter illa quæ breviter in notis observavi.

Caius Scribonius Curio.

C. Scribonius Curio patrem habuit eloquentiâ, consulatu & triumpho nobilem; ipse dicendi arte & ingenio non inferior, quam pater: at mores in utroque dispares. Impurus, ut nec suæ famæ parceret, nec alienæ; prodigus, ut magnas inter opes egeret; ad facinus quodlibet audax, suóque ac reipublicæ damno ingeniosus & eloquens.

C. Clodii quæstorem in Asia fuisse, anno U. C. *698*. ex epistolis libri secundi certò colligitur; unde pòst in urbem reversus, plebi Romanæ spectacula, ut mortui patris memoriam honoraret, sumptibus infinitis adornavit, frustra dissuadente Tullio, qui prævidebat Curionem, dissipatis opibus, & alieno oppressum ære, turbas in republica facturum.

Anno *703*. tribunus plebis, Pompeio primùm ac senatui favere, mox Cæsari pariter ac Pompeio adversari visus est, animo tamen ad Cæsarem inclinans: hunc demùm grandi corruptus pecuniâ, liberè contra consules ipsámque rempublicam defendendum suscepit. Unde Virgilius: *Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem Imposuit.* Quapropter cùm sæpe fieret de successore Cæsaris in senatu mentio, à Curione sic intercessum, ut nihil de provinciis consularibus potuerit hoc anno decerni.

Exacto tandem magistratu, relictâque urbe, Ravennam ad Cæsarem advolavit, Cæsarianæ dominationis velut signifer, civilísque incendii primarius satelles.

Jussus est à Cæsare in Siciliam cum tribus legionibus, eáque receptâ, in Africam se conferre.

Anno *704*. Juba rex Mauritaniæ, idémque factionis Pompeianæ fautor, Curionem oderat, quòd tribunus plebis regnum ipsius in provinciæ formam redigere voluisset: hanc injuriam ut ulcisceretur, ultimam ei cladem moliri statuit: & certè Curio secundis aliquot præliis in Africa contra Pompeianos usus, & ab exercitu dictus Imperator, in fraudem inductus est: cùm enim aliquando prodiisset in aciem quasi cum Suburra Jubæ præfecto, parváque manu pugnandum sibi foret, ab ipso rege totóque exercitu ex improviso circumfusus, impetum non sustinuit.

Ubi Domitius præfectus equitum rem desperatam videt, Curionem hortatur, ut fugâ saluti consulat, se ab eo non discessurum pollicitus: at ille: Egóne amisso, quem à Cæsare acceperam, exercitu, in ejus conspectum unquam revertar? Sic prælians interficitur, ut imprudentiæ culpam glorioso interitu utcunque pensaret.

Digitized by Google

MARCUS CURIUS.

M. Curius è Curia consulari gente, optimè semper in Ciceronem ac rempublicam animatus; quæsturam urbanam exercuit anno U. C. 691: quadriennio pòst ad tribunitiam dignitatem evectus, suam quoque operam auctoritatémque adhibuit, ut Tullius ab exilio revocaretur; quod Cicero ipse in Oratione post reditum in senatu, honorificè testatur. Desperatâ libertate, ob Cæsaris & Pompeii dissidium, in Græciam se contulit, ut literarum studiis, bello procul, tranquillè & tutè vacaret.

TREBONIUS ET DOLABELLA.

Dolabella splendore generis Trebonio superior, variis ambo dignitatum gradibus, familiaritate Cæsaris, & ingrati vicissim erga Cæsarem animi vitio, turbulentâ mente, infelici demum vitæ exitu propè pares.

Tribunatum uterque gessit publicæ tranquillitati propemodum exitialem. An. 698, C. Trebonius asper ad hunc honorem evectus, legem tulit, quâ sancitum est, ut Cn. Pompeius Hispanias duas, M. autem Crassus Syriam, & Parthicam expeditionem in quinquennium obtinerent, bellíque essent in sua quisque provincia, ac pacis arbitri. Auctor idem fuit, ut Cæsari Galliarum administratio in aliud quinquennium prorogaretur. Exacto tribunatu, in Galliam Cæsari legatus abiit; ortâque civili discordiâ, prætor urbanus extra sortem creatus est, an. 705.

Victis in Hispania Pompeii liberis, Cæsar quartum sine collega consulatum iniit; sed eodem deposito, sibi in residuos anni menses Q. Fabium Maximum & Trebonium subrogavit, anno 708.

Mortuo Cæsare, cujus & ipse percussor Trebonius fuit; cùm Asiam, anno 709, à senatu proconsul obtinuisset, à Dolabella Smyrnæ crudeliter occisus est; quæstione primùm tormentis habitâ pecuniæ publicæ; deinde cervicibus fractis, absciffo capite, quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici jussit.

Sic primus è conjuratis, suæ erga Cæsarem perfidiæ pœnas Trebonius dedit; *vir*, teste Velleio, *adversus Cæsaris merita ingratissimus, particépsque cædis ejus, à quo ipse in consulare profectus fastigium fuerat.*

P. Cornelius Dolabella, M. Ciceronis gener, Cæsari familiaris, malorum consiliorum auctor, ejusdémque contra rempublicam defensor acerrimus; procax, temerarius, novarum rerum appetens; cùm grandem pecuniam deberet, à Patriciis transivit ad plebem, ut assequi tribunatum posset.

Hanc porrò dignitatem (anno 706.) adeptus, ac lege de novis tabulis, seu de ære alieno rescindendo promulgatâ, maximos absente Cæsare excitavit Romæ tumultus. Id Cicero scribens ad Atticum, sæpe conqueritur, epist. 12. lib. II. *Quòd me audis fractiorem esse animo, quid putas? cùm videas accessisse ad superiores ægritudines, præclaras generi actiones?* ἐμφωνικάς: nam Dolabellæ actiones turpissimæ erant. Epist. 14. *Omnium conspectum horreo, præsertim hoc genero*; id est tam turpi, tam perdito, tam flagitioso, qui Cæsarem instigabat, ut vel Pompeianorum bona proscriberet, vel tabulas novas poneret.

Ter contra cives pugnasse idem Cicero testatur Philipp. II. cap. 75. *Ter depugnavit Cæsar cum civibus; in Thessalia, Africa, Hispania, omnibus affuit his pugnis Dolabella, in Hispaniensi etiam vulnus accepit, si de meo quidem judicio quæris, nollem; sed tamen etsi consilium à principio reprehendendum, laudanda constantia.*

Cæsar ad expeditionem Parthicam brevi profecturus, Consulem in reliquum tempus anni Dolabellam designaverat, qui Cæsare paulò pòst occiso, dignitatem ejus, ac fasces invasit, licet nondùm Prætorius erat, nec viginti quinque annos natus.

Tùm libertatis derepentè factus assertor, erectam Cæsari columnam, inscriptámque, *Parenti patriæ*, evertit, seditionem à perditis de plebe hominibus excitatam compressit; ex illâ autem seditiosorum manu, qui liberi erant, de saxo Capitolino dejecti sunt, servi in crucem acti. Incredibile, quantis hoc factum laudibus à Cicerone celebretur. Phil. I. *Quem potes recordari, Dolabella, in vitâ tibi illuxisse diem lætiorem, quàm cùm, expiato foro, dissipato cursu impiorum, principibus sceleris pœnâ affectis, te domum recepisti.*

Anno sequente, cùm Syriam, invito Senatu, ac Trebonio crudeliter necato, occupasset, Reipublicæ hostis, allaborante præsertim Tullio, judicatus est: Syria Cassio decreta, qui Dolabellam Laodiceæ obsessum, desertum à cæteris, à seipso desperatum, ad mortem adegit.

CNEIUS

Digitized by Google

CNEIUS DOMITIUS.

Cneius Domitius, filius, ut multi autumant, Lucii Domitii Ænobarbi, quem Cæsar suis infestissimum consiliis expertus est, Pompeianam cum patre factiònem secutus, post cladem Pharsalicam, patrísque interitum, in Italiam, positis armis, rediit; incertum animi, afflictúmque confirmat Cicero, & hortatur, ut se sibi, parentíque suæ (erat hæc Porcia, Marci Catonis soror) incolumem, salvúmque conservet.

TITUS FADIUS.

T. Fadius, vel, ut aliis placet, T. Fabius, vir novus & obscuro genere, majores magistratus, quos plerique familiæ splendori debent, virtute suâ consecutus est. Ciceronis amicus & quæstor, statim atque tribunitiam potestatem (anno *696*) obtinuit, nervos in ea re contendit omnes, ut Ciceronem patriæ restitueret. Videtur adversatus esse Pompeio, & hujus auctoritate in exilium pulsus; quod cùm iniquè ferret, multa Tullius colligit, quæ Fadium consolari & ejus animum confirmare possint.

TITUS FURFANIUS.

T. Furfanio post præturam Siciliæ provincia cum exercitu (anno U. C. 703.) decreta est, in quam dicitur summa cum auctoritate singularem detulisse clementiam; gravis nemini, in omnes officiosus.

CAIUS FURNIUS.

Anno U. C. 703. C. Furnium tribunitiâ ornatum potestate declarat Cicero: nam superiore anno, cùm proconsul abiret in Ciliciam, & Atticum ex itinere literis rogaret, ne pateretur provinciam sibi ultra annum prorogari; addit se idem hoc Q. Hortensio & Furnio, quem sciebat anno insequenti futurum tribunum plebis mandasse.

Anno 717, proprætor Asiam obtinuit, qui L. Munatii Planci legatus in Gallia fuerat anno 710. Majorem autem præturâ dignitatem non adeptum declarat his verbis Eusebius in Chronico: *Furnii*, inquit, *pater & filius clari Oratores habentur, quorum filius consularis ante patrem moritur*. Anno 731, legatus Augusti rebellantes Cantabros ad internecionem propè delevit.

SERVIUS GALBA.

Ser. Galba nobili Sulpiciorum oriundus stirpe, nepos fuit, auctore Suetonio, illius Galbæ suæ ætatis eloquentissimi; proavus autem Galbæ Imperatoris. Cæsaris in Gallia legatus fuerat; sed consulatûs repulsam indignè passus, in Cæsarem ipsum cum Bruto & Cassio conjuravit.

QUINTUS GALLIUS.

Q. Gallius prætor urbanus ab Imperatore Cæsare, tum consule, Africam provinciam impetraverat; visúsque malo dolo agere, à collegis præturâ summotus est. Domum ejus diripuit populus: senatus capitalem in eum protulit sententiam: Cæsar eum jussit ad fratrem M. Gallium abire, qui nave conscensâ, nusquam postea comparuit. Sic de illius obitu Suetonius, lib. II. cap. 27. ubi impotentiam Augusti & crudelitatem describit. *Et Q. Gallium prætorem*, inquit, *in officio salutationis tabulas duplices veste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere, nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paulo post per centuriones & milites raptum è tribunali servilem in modum torsit, ac fatentem nihil jussit occidi, priùs oculis ejus suâ manu effossis, &c.* Anno U. C. 710. Consule epistolam 4. lib. VIII.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

Publius Lentulus è Patriciâ Corneliorum gente, Spintheris ideò cognomen habuit, quòd, cùm ludis præesset, prodierit in scenam Comœdus hoc nomine, sic ei vultu similis, ut alter ab altero secerni vix posset.

Ædilis factus anno U. C. *690*, scenam purpureis vestibus, argenteóque apparatu primus decoravit, exhibuítque ludos eâ magnificentiâ, ut Crassos ac Lucullos, & quotquot Ædilitio priùs munere functi erant, omnes longè superarit. Patriam propè labentem fulcire visus est, vel gentis suæ damno, dùm Lentulum Suram, ex eadem secum familiâ, Catilinariæ reum conjurationis, & capite damnandum, in custodiam ipse tradidit, Ciceronis in omnibus fidelis administer, à quo propterea suorum consiliorum particeps, & periculorum socius appellatur.

Anno *694*, ex Præturâ Hispaniam adeptus eò se contulit, unde pòst Romam, Consulatum ut peteret, reversus est, cùm jam Cicero rogatione Clodiâ, impellente clàm Cæsare, connivente Pompeio, Italiâ pulsus exularet.

Anno *696*, Consul, in restituendo Cicerone

Digitized by Google

rone multùm, felicitérque laboravit; palàm professus, nihil priùs acturum in senatu, quàm de tanti viri reditu & salute peractum esset; vel hoc facto optimè de patriâ meritus, qui patriæ parentem conservarit.

Anno pòst, in Ciliciam missus, provinciam hanc, cui Cyprus erat addita, per triennium dicitur administrasse; quo tempore Rex Ptolemæus, quem Ægypii ob tyrannidem ejecerant, à Senatu petiit, ut restitueretur; hoc sibi munus deferri Lentulus ardenter cupiebat, útque Lentulo deferretur, summo labore Tullius contendit; sed irrito conatu, tùm Regis ambitione, qui reductionem suam Pompeio Magno demandari, id utique sibi gloriosum putabat fore; tùm ipsius Pompeii artibus, qui licet in speciem Lentulo faveret, clàm tamen per amicos operam dabat, ut reducendi Ptolemæi provincia sibi traderetur. Hanc in rem plura nunc eloqui nihil necesse, cùm epistolæ primi libri fermè omnes unum hoc argumentum tractent; jam verò quibúscum hostibus in Ciliciâ conflixerit, incertum est, at Imperatorem ab exercitu appellatum, & siquidem triumphavit, res triumpho dignas, qualescumque fuerint, gessisse constat.

Anno 704. in civili discordiâ Pompeio adhæsit, à quo delectus est, ut Asculum, & Picenum cum decem cohortibus tueretur; sed repentino Cæsaris adventu, suorúmque defectione territus, surripuit se se, Corfiniúmque magnis itineribus ad Domitium contendit: ibi cùm Cæsaris in potestatem devenisset, veniam precatus est, veterem amicitiam, & illius in se beneficia sanè maxima commemorans; per eum quippè venerat Lentulus in Pontificum collegium, Hispaniam Proprætor obtinuerat, & ad consulatum faciliores habuerat aditus.

His beneficiis cumulum humanitate suâ Cæsar addidit; neque enim modò Lentulum abire incolumem passus est, sed facta insuper abeundi quò vellet, potestas; secessit ille Puteolos, inde post aliquantò navigaturus in Græciam, ut se Pompeio rursùm conjungeret.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

Publii Lentuli Spintheris, qui Ciceronem restituit, filius, in Asiam extra ordinem (anno U. C. 709.) à Senatu missus est, ut colligeret Reipublicæ vectigalia, provinciámque præsidiis, Dolabellâ hoste judicato, firmaret; occiso Cæsare, semet ultrò conjuratis adjunxit, hujus facinoris participem se gloriatus; quod quidem alii fecêre cum illo; sed postmodum, diverso mortis genere non secùs atque conjurati omnes, à Cæsarianis oppressi, interierunt.

LEPTA.

Lepta vigilans homo, & acer, cujus industriam in rebus gravissimis Tullius adhibuit; cùm Cæsar, devictis in Hispaniâ Pompeii liberis, Rempublicam unus regeret, ejus sibi conciliare gratiam, & inter domesticos obtinere locum, omni ope conatus est; an felici exitu, non mihi constat.

QUINTUS LIGARIUS.

Q. Ligarius, pro quo Ciceronis extat oratio, quam consule; legatus in Africa C. Considio proconsuli, ibidem bello civili remansit, infesto fuit in Cæsarem animo, eum vicissim Cæsar capitaliter oderat, perpetuoque statuerat exilio multare; veruntamen Ciceronis oratione delinitus, veniam Ligario & in patriam reditum concessit.

LUCIUS LUCCEIUS.

Lucius Lucceius eximiâ fuit integritate morum, singulari eruditione, neque minori orationis elegantiâ, mansuetudinis laude præsertim cumulatus; historiarum, quæ tamen injuriâ temporum exciderunt, politissimus scriptor; vel hoc ipso nomine faciendus plurimi, quòd illum Tullius maximi faceret, rerúmque à se gestarum auctorem habere ardentissimè cuperet.

SERVIUS SULPICIUS RUFUS, ET MARCUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Ser. Sulpicius Rufus, & M. Claudius Marcellus consules eodem anno, U. C. 702. sine vi, sine largitione creati sunt: generis ambo splendore clari; ille antiquissimâ Sulpiciorum stirpe, multis consulatibus inclytâ; hic gente Claudiâ, quam dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duodetriginta consulatibus nobilitatam esse, in Tiberii vita Suetonius tradit: & ne quid ad gloriæ similitudinem deesset, utraque demùm imperatoriam dignitatem adepta.

Ille, quòd juris civilis scientiâ floreret, Jurisconsultus; hic ob eloquentiam Orator appellatus est: tractabili Sulpicius, & facili inge-

ingenio: paulò vehementiori Marcellus: libertatis ex æquo studiosi; sed ille pacis conditionibus, hic libertatem armis contra Cæsarem tuendam censebat.

Marcellus, inito magistratu, Galliarum administrationem ante legitimum tempus adimere Cæsari conatus est, simul & potestatem, quam ei populus permiserat, ut Consulatum absens peteret: restitit ei collega Sulpicius, quòd iniquum putaret ea rescindi, quæ populus jusserat, idque belli civilis occasionem fore intelligeret: hic leniori sententiâ, sibi, & Reipublicæ consulebat; severiorem ille secutus, se, & Rempublicam funditùs perdidit: vicit enim ejus opinio, & concordiæ spes omnis erepta.

In bello civili Sulpicius à Cæsare contra Pompeium, Marcellus à Pompeio contra Cæsarem stetit; alter Cæsarianam factionem amplexus, quòd firmior; Pompeianam alter, quòd honestior videretur.

Anno 707. post victum in Thessaliâ Pompeium Sulpicius Achaiæ, & beneficio Cæsaris, & nomine præfuit, non tàm lætus privato bono, quàm publicâ calamitate sollicitus: in exilium Marcellus ultrò discessit, ne vel supplex ad Cæsarem accedere, quod imbecilli animi; vel bellum in Africâ cum aliis renovare cogeretur, quod imprudentis esse censebat.

Sulpicius, quâ valebat apud Cæsarem auctoritate, totam in id contulit, ut miseris civibus gratificaretur; unum id cogitabat in exilio Marcellus, ut Philosophiæ, sibique vacaret: ille in alienis calamitatibus, misericordiâ; hic in suis propriis, patientiâ spectatus.

Marcello statutum erat procul à patriâ deinceps vivere; at precibus, & consilio Ciceronis adductus, ad Cæsaris clementiam confugit; jámque Romam, impetratâ veniâ, redibat, cùm à Magio quodam cliente suo interfectus est.

Anno 710. Sulpicius in legatione ad Antonium pro rebus publicis obitâ, ætate jam grandis, interiit.

CAIUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Tres Marcelli; unus *Marci*, duo *Caii* prænomine, per triennium deinceps consulatum gessere; primùm Marcus, cum Sulpicio anno U. C. 702. quibus consulibus in provinciam Cicero discessit: deinde anno 703. cum L. Paulo Caius, Marci non frater germanus, sed patruelis; hisque consulibus Cicero, absoluto imperio Romam è Cilicia reversus est. Tertio tandem anno, id est urbis 704. belli civilis primo, alter Caius, Marci biennio antè consulis frater germanus, cum L. Lentulo; cujus anni primis diebus Cicero proconsul ad urbem accessit, ut triumphum peteret. Hic ille est Caius, qui ex Octavia minore Augusti sorore, duas Marcellas reliquit, illúmque Marcellum, qui jam ædilitius in spem imperii adolescebat, cùm immaturâ morte sublatus est.

MARCUS MARIUS.

Suspicatur Corradus hunc esse M. Marium Gratidianum, qui Quinti fratris in Asia legatus fuit, & cognatione cum Ciceronibus conjunctus.

CNEIUS MATIUS.

Cn. Matius multiplicis vir doctrinæ, de quo, ni fallor, A. Gellius, cap. 6. lib. VI. Noctium Atticarum, quem consule.

CAIUS MEMMIUS GEMELLUS.

Hic ille est, opinor, qui L. Lucullum ex Mithridatica expeditione redeuntem, die ad populum dictâ, triumphare aliquandiù prohibuit.

Anno U. C. 695. præturam adeptus Vatinium in jus vocavit, ob gestum seditiosè magistratum, legésque contra auspicia morémque majorum factas; quin etiam ad senatum retulit, ut C. Cæsar, qui superiore anno consul fuerat, actorum suorum rationem reddere cogeretur; sed quæstionem cùm exercere vellet in Vatinium, vi de tribunali deturbatus aufugit.

Post triennium cum Appio & Ænobarbo consulibus, obtinendi consulatûs gratiâ, turpi pactione coivit, eodémque anno de ambitu accusatus damnatúsque, Athenas in exilium profectus est.

Memmia gens plebeia fuit, quam à Mnestheo Æneæ socio originem duxisse auctor est Servius.

QUINTUS METELLUS CELER.

Q. Metellus Celer ex illustri Cæciliorum gente, quæ licet plebeia, reliquas tamen, si Corneliam exceperis, rerum gestarum splendore æquavit.

Anno U. C. 690, prætor urbanus Ciceronem consulem ad opprimendum Catili-

Digitized by Google

nam enixè juvit: nam Piceno præfectus è conjuratis plurimos conjecit in vincula, & Catilinæ in Transalpinam Galliam properanti omnes interclusit aditus; unde à Tullio rerum à se gestarum socius appellatur. Ex prætura Galliam adeptus est, adjuvante Cicerone ipso, qui provinciam hanc deposuerat, biennióque pòst consul creatus, in eo magistratu ita se gessit, ut Cicero ad Atticum scribens, virum bonum & consulem egregium vocet.

Hujus uxor Clodia fuit, P. Clodii soror, à quo dicitur veneno sublatus interiisse.

Quintus Cæcilius Metellus Nepos.

Q. Cæcilius Metellus Nepos, Celeris, de quo suprà, frater; cùm prætor esset, anno U. C. 693. legem de portoriis in urbe & Italia tollendis tulit; lex bonis accepta, etsi legislator ipse displiceret, cui ob seditiosè gestos priores magistratus infestus erat senatus.

Ciceronem penitùs oderat; sed factus consul anno 696. ei reconciliatus est, operámque dedit cum Lentulo Spinthere collega suo, ut ab exilio revocaretur.

Publius Nigidius Figulus, et M. Terentius Varro.

Ciceronis ætas præstanti viros eloquentiâ paucos tulit; multiplicis autem doctrinæ, inquit Gellius, habuit columina M. Varronem & P. Nigidium; sic tamen ut primas eruditionis adeptus sit Varro, Nigidius Varroni proximus accedat: ille stylo dilucidiori scripsit; obscurus hic & subtilis: quare Varronis opera in medio posita sunt, & in usu communi; Nigidii subtilitas à plerisque negligitur. Laude dignior uterque; Varro quidem, si limatiùs; alter verò, si clariùs scripsisset.

Utriusque tamen scientia pluribus veterum testimoniis celebratur. Nemo unquam, teste Lactantio, non Romæ modò, sed ne quidem in Græcia, Varrone doctior extitit: ætatem patriæ, inquit Tullius, descriptiones temporum, domesticámque disciplinam, sedem regionum, divinarum humanarúmque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit; tam multa eum legisse testatur divus Augustinus, ut mirum sit aliquid ei ad scribendum superfuisse temporis; tam multa scripsisse, ut ea vix à quoquam legendo percurri possint. Sed neque prætermitti silentio debet Quintiliani de eodem judicium; qui doctissimum hunc, scientissimum antiquitatis, Latinis, Græcisque rebus eruditum affirmat, ut nihilominus majori sit ad scientiam, quàm ad eloquentiam adjumento.

Tantæ eruditioni laus quoque militaris accessit; bello quippe Piratico Pompeii legatus coronam navalem eâ ætate celeberrimam obtinuerat: ejusdem postea partes secutus, eandem in Hispania legationem obiit; sed tradito Cæsari exercitu, imperiique depositis insignibus, ad doctrinam totum se contulit, tantâ celebritate nominis sui, ut bibliothecis tum comparandis, tum dirigendis, operam ejus Cæsar feliciter adhibuerit. A triumviris deinde proscriptus, amicorum & Fusci in primis Caleni studio incolumis servatus est.

P. Nigidius ex eo *Figuli* cognomen accepit, quòd interroganti cur gemini eodem tempore in lucem editi diversâ conditione nascerentur; exemplum rotæ à figulo maximâ rapiditate revolutæ attulerit, ut diversam eodem temporis puncto cæli affectionem ex celerrima conversione & incredibili motu probaret.

Ejus quoque varia & admirabilis rerum cognitio in fama est; Astrologicâ scientiâ præstitisse scribit Dio, lib. XLV. imperiúmque prædixisse Octavio Augusto, eo ipso quo natus est die, unde Lucanus, lib. I. v. 639. *At Figulus, cui cura deos, secretáque mundi Nosse fuit &c.* Maximus rerum indagator vocatur apud Macrobium, lib. *Saturnalium* II. cap 12. Verùm ad Nigidii laudem nihil illustrius, quàm quod narrat Cicero in procemio libri de Universitate. *Fuit*, inquit, *vir ille cùm cæteris virtutibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator & diligens earum rerum, quæ à natura involutæ videntur. Denique sic judico post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est, quodam modo, hunc extitisse qui illam renovaret.*

Senatores ambo fuerunt, primariisque in republica dignitatibus inclyti; ædilitate plebis & præturâ Varro donatus est; præturâ & tribunatu Nigidius: amicissimus uterque Ciceroni, Pompeii uterque adversus Cæsarem defensor: ille demum, anno U. C. 725. annos nonaginta natus interiit, eundémque vivendi fecit, & scribendi modum: Nigidius à Cæsare veniam cùm non impetrasset, in exilio mortuus est, anno 708.

CAIUS OPPIUS.

C. Oppius Cæsari familiaris amicus, quique res ejusdem absentis cum Balbo curabat: à nonnullis creditur auctor operum, quæ ab aliis Hirtio tribuuntur. Huic summa erat, si Tullio credimus, & in consilio capiendo prudentia, & in dando fides.

PAPIRIUS PÆTUS.

Papirius Pætus, quorum majores summis in republica honoribus perfuncti sunt, lepido fuit & polito ingenio, amabili, ut ait Tullius, indole, & in omni genere jucundâ, quique imaginem antiquæ & vernaculæ festivitatis egregiæ repræsentaret.

LUCIUS PAULUS.

Æmiliæ gentis Patriciæ, quem cùm Cæsar suis infensissimum partibus intelligeret, mille & quingentis talentis ad se traduxit; sed eatenus tantùm ut non adversaretur.

CNEIUS PLANCIUS.

Anno U. C. 695. Cn. Plancius, L. Apuleii in Macedonia quæstor, equestri natus est familiâ, cujus pater Publicanus, avus, majorésque omnes, equites Romani: nemo Ciceroni constantior amicus; solus enim ex magistratibus hujus anni exulem illum excepit, juvit, tutatus est; Dyrrachium usque missis obviam lictoribus processit, peramantérque susceptum Thessalonicam perduxit. Ejus in se beneficia passim fatetur Cicero: illum sui capitis custodem appellat, addítque omnibus provincialibus ornamentis commodísque depositis, totam suam quæsturam in eo sustentando & conservando collocasse; idcirco etiam ex senatus-consulto gratias Plancio fuisse actas testatur.

Anno 697. cùm esset plebi ob suavitatem morum acceptissimus, tribunitiam dignitatem ex quæstura statim obtinuit; cujus magistratûs frequenter fit à Cicerone mentio in ea oratione, quâ reum ambitûs eundem defendit. Biennio post ædilis curulis creatus est.

LUCIUS MUNATIUS PLANCUS.

L. Munatius Plancus, frater hic fuit T. Planci Bursæ, qui graves cum Cicerone inimicitias gessit; reipublicæ ac D. Bruti contra Antonium aliquandiù defensor: destitutâ tandem republicâ, ad Antonium cum Asinio Pollione transiit. Vell. lib. II. *Plancus dubiâ, id est suâ fide, diù quarum esset partium secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, & nunc adjutor D. Bruti, mox ejusdem proditor.*

Anno U. C. 709. Galliam ulteriorem cum tribus legionibus obtinuit, in qua Lugdunum paulo pòst condidisse ab Eusebio traditur.

In ipso quasi funestissimæ proscriptionis æstu (anno 710) duos Roma, dum undique cadaveribus inquinata erat, triumphos videre, & in summo luctu lætitiam simulare coacta est. Lepidus ex Hispania triumphavit, ex Gallia verò Plancus: sic enim imperatum est à triumviris: *Sacris omnes, & epulis dent hunc diem: qui contrà fecerit, proscriptus esto.* Itaque solemni pompâ invectus est in Capitolium Lepidus, cùm interim proscriptorum diriperentur ædes, & eorum bona sub hasta publicè venderentur. Biduo antè triumphaverat ex Gallia Plancus; quam ob causam incertum est; at Velleius utriusque sic meminit: *Nec Planco defuit gratia ad impetrandum, ut frater ejus Plotius proscriberetur, eóque inter jocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter exe- crationem civium usurpabant hunc versum:*

De Germanis, non de Gallis duo triumphant Consules.

Lepidus enim fratrem L. Paulum proscripserat, qui tamen ad Brutum evasit: Plancus verò Cn. Plotium, qui delitescens in agro Salernitano proditus & occisus est. Consules autem erant Lepidus & Plancus in sequentem annum designati, Lepido scilicet in locum D. Bruti suffecto.

Censuram Plancus obtinuit sub Octavio, cui persuasisse referunt ut *Augustus* appellaretur.

CAIUS ASINIUS POLLIO.

Anno U. C. 709. cùm Cæsar Parthicam expeditionem meditaretur, & Magistratus per triennium creasset, provinciis quoque Rectores dedit, aliis quidem alios; Lepidum autem citeriori Hispaniæ, Asinium ulteriori, qui vivo adhuc Cæsare, in provinciam discessit.

Post Cæsaris necem, contra Antonium aliquandiù pro Republicâ stetit; sed ubi Antonius, Lepidus, Octavius, inito inter se fœdere conjuncti sunt, ad eorum partes cum duabus legionibus se contulit. Primùm fortunam secutus, deinde amicitiâ quoque permotus Antonii. Vell. lib. II. *Asinius Pollio firmus proposito, & Julianis partibus fidus, Pompeianis adversus, exercitum Antonio tradidit.*

Vir nominis sui princeps, eloquentiæ laude, Augusti Cæsaris amicitiâ, dignitate Consulari, Virgilii præconiis, Censuræ literariæ severitate, relato de Dalmatis Triumpho celeberrimus, omnium horarum homo, seriis, utpote jocísque pariter accommodatus; invidus laudi Ciceronis, & vitiorum, quotquot in ejus scriptis deprehenderat, censor assiduus.

Antonio ad pugnam Actiacam fidus; Cæsare enim, ut ad bellum veniret, hortante, *Mea*, inquit, *in Antonium merita majora sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris.*

Primus Romæ bibliothecam aperuit, in eâque Marci Varronis imaginem viventis posuit: res Græcorùm ab eo Latinè scriptas, Suidas auctor est: leporum ac facetiarum pater à Catullo appellatur. Eum a bello civili scribendo deterret Horatius, lib. II. Od. I.

Periculosæ plenum opus aleæ tractas, &c.

Ad extremum penè Augusti principatum vixisse Tacitus affirmat; è vitâ discessit in villâ Tusculanâ anno ætatis octogesimo.

CNEIUS POMPEIUS MAGNUS.

Cn. Pompeii plebeia domus, patriciatum nulli, tum dignitatibus, tum maximis bellis egregia cum laude confectis, inferior extitit. Ejus pater *Strabo* dictus, ac bello sociali consul, præcipuum adversus Latinos victoriæ decus meruit; vir propriâ virtute conspicuus, filii tamen virtutibus & gloriâ longè illustrior.

Redeunti (anno U. C. 673) ex Africa, ubi regem Hiarbam, Syllanis infensum partibus, vicerat; Sylla ipse tum dictator, summúsque reipublicæ moderator ac dominus, processit obviam, palamque *Magnum* salutavit: eidem, licet adhuc equiti, & quatuor duntaxat supra viginti annos nato, concessum est ut solemni pompâ triumpharet.

Anno 682. confecto feliciter bello Sertoriano, & servili prorsus extincto, Romanus iterum eques triumphavit: toties Imperator antequam miles.

M. Licinius Crassus, & Cn. Pompeius consules creati sunt anno 683. ille prætorius, hic ne quæstorius quidem: cognomen utrique singulare, huic, *Magni*, illi verò, *Divitis*. Tribunos plebis, nocendi potestate per Syllam privatos, ambo restituerunt, maximo tandem & reipublicæ & ipsius Pompeii damno.

Anno 686. extraordinarium à Gabinio tribuno plebis imperium nactus, piratas, qui à Mithridate solicitati, maria omnia & oras infestabant, brevissimo tempore perdomuit.

Anno 692. Ciliciæ ac Bithyniæ administratio, cum Mithridatica expeditione, Pompeio delata est, summáque in omnes exercitus, quotquot essent extra Italiam, potestas nemini ad hunc usque diem concessa: bellúmque ejus auspiciis & virtute terminatum est, quod annos quadraginta durasse Florus affirmat. Sic Romano imperio incredibiliter amplificato, cùm jam antea Pompeius de Europa atque Africa triumphasset, Asiâ demum subactâ, de universo orbe triumphasse visus est.

Anno 696. cùm annonæ summa esset caritas, & frumenti inopiâ Romana plebs laboraret, Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum, credita est, additâ classe, exercitu, & majori in provinciis imperio, quàm esset eorum, qui tùm illas regerent; nec multò pòst, quâ singulari erat industriâ, & sedulitate, navibus pelagum; urbem, Italiámque frumento implevit.

Anno 698. Pompeius, & Crassus, alterum hoc anno Consulatum adepti, cùm jam libertati publicæ perniciem ambo meditarentur, hos fermè duntaxat, ad reliquas dignitates admitti passi sunt, quos suorum consiliorum fautores cognovissent, Pompeio utraque Hispania, Syria Crasso cum Parthicâ expeditione in quinquennium assignata est.

Clodianam cædem cùm maxima rerum perturbatio excepisset, nihil tutius Senatui visum est, quàm ut uni Pompeio, cujus erat maxima auctoritas, pari moderatione conjuncta, urbis regimen attribueretur; quare anno 701. Consul tertiùm sine collegâ renuntiatus, ac Dictatoriâ propemodùm armatus potestate, Rempublicam solus, legibus, & armis aliquandiù administravit; qui tamen, ut invidiam delatæ sibi Monarchiæ vitaret, suâ sponte in quinque menses anni extremos Quintum Metellum Scipionem socerum sibi in Consulatu collegam adjunxit.

Anno 704. statim atque civilis exarsit discordia, *Magni* titulus in Pompeio consenescere visus est: cùm enim sibi persuasisset, exercitum Cæsaris, diuturnis fessum laboribus, studiosúmque patriæ, ad suas partes facilè transiturum, nec delectus fecit, nec apparatus ad tantum bellum necessarios; audi-

Digitized by Google

to deinde Cæsaris adventu, relictâ turpiter Italiâ, in Græciam præposterè navigavit; ad Pharsalum tandem inconsultè congressus, victúsque, suis de rebus illicò desperavit, nec sapienter: Appianus enim tres exercitus commemorat ex Pompeianis reliquiis collectos, quos, inquit, suus Imperator, diis mentem adimentibus, neglexerat.

Anno 705. incertus animi quid faceret, in Ægyptum abiit, ubi Ptolemæi jussu trucidatur, ætatis anno quinquagesimo nono. Corpus in littore ab ejus liberto combustum est, & in arenâ tumulatum: sic discordante secum in eodem viro fortunâ, ut, cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.

Egregiâ excelluit, ac liberali formâ, morum integritate, victûs temperantiâ, affabilitate sermonis. Nemo importunè minùs rogare, aut hilarè magis largiri solitus, adeò ut in dandis beneficiis frontem serenam, gravem in accipiendis præ se ferret. Bello strenuus imperator, pace civis optimus; modò ut primus esset: orator mediocris, amicus constans, inimicus placabilis, nemo quisquam cætera omnia minùs, gloriam autem magis concupivit: honorum appetens; sic tamen, ut eos sponte sibi deferri, non per vim occupare vellet, &, quos lubens inierat, iis moderatè uteretur: ter Consul, toties Triumphalis; Romæ per seipsum, Hispaniæ per legatos, orbis penè totius, victoriarum famâ, dominus ac rector: profundâ vir dissimulatione, aliud sentire solitus, aliud loqui; domi, civium deliciæ; foris, hostium terror, admiratio.

RUFUS.

Lucius Mescinius Rufus, Ciceronis in Ciliciâ (anno 702.) Quæstor, de quo sic ipse Tullius ad Atticum scribens, *Illud*, inquit, *difficillimum relinquendus erat ex senatusconsulto, qui præesset, nihil minùs probari poterat, quàm Quæstor Mescinius; nam de Cælio nihil audiebamus*. Porrò Rufi mores sibi displicuisse palam declarat, cùm ineptum judicet, quem suo loco Ciliciæ præficiat: *Quæstorem*, ait, *nemo dignum putat, etenim est levis, libidinosus, fagax*: idque causæ fuit, quamobrem Cælium, licet paulò ante suum è provinciâ discessum, advenisset, Rufo prætulerit. Reliquit tamen in Ciliciâ Mescinium, ut rationes conficeret.

Ortâ civili Cæsarem inter, & Pompeium dissensione, incertus animi quid faceret, per literas Ciceronem consuluit, à quo, opinor, adductus est, ut castra Pompeii, tàm suâ, quam Reipublicæ causâ, sequeretur.

MARCUS RUTILIUS.

Idem cum Cluvio, jubente Cæsare, munus exercuit; majorum suorum gloriâ commendatus; quos inter enituit Publius Rutilius Rufus, qui consulatum gessit anno urbis sexcentesimo quadragesimo octavo, ut Pighius habet; tùm de vitâ suâ, tùm de bello Numantino scripsit; vir quo nemo Romæ extitit, morum innocentiâ illustrior.

CNEIUS SALLUSTIUS.

Cneius Sallustius Marci Bibuli in Syriâ Proconsulis Quæstor fuit, anno U. C. 702. quo Parthi Antiochiam obsidione cinxerunt.

PUBLIUS SERVILIUS ISAURICUS.

Cùm summos in Republicâ Magistratus obiisset, Consulatum tandem adeptus est anno U. C. 705. solúsque Romæ dignitatem hanc exercuit, Cæsare in Macedoniâ contra Pompeium bellum gerente; ad eundem honoris pervenit gradum anno 712. cùm Proconsul Asiam priùs gubernasset anno 706. quo scriptæ sunt ad eum Ciceronis epistolæ.

CAIUS SEXTILIUS RUFUS.

Ciceronis ad Sextilium epistola, aliquandiù post Ciceronis è Ciliciâ reditum scripta est, postquam devicto Pompeio, & transmarinis provinciis in potestatem redactis, Cæsar (anno U.C.706.) Cyprum insulam Quæstori Sextilio commisisset; quæ insula priùs videtur Ciliciæ Proconsulibus paruisse, ab eo tempore, quo à Catone provinciæ formam acceperat. Cæsare interfecto, classi sub Caio Cassio in Asiâ præfuit: quæ quidem omnia ex Tullii epistolis colliguntur.

PUBLIUS SEXTIUS.

Caii Antonii Consulis Romæ, & in Macedoniâ Proconsulis Quæstor fuit: sic enim Tullius: *Quæstor hic Caii Antonii collegæ mei, Judices, fuit sorte, sed societate consiliorum meus*. Et in eâdem pro Sextio oratione: *Par propè laus Publii Sextii esse debet, qui suum ita Consulem observavit, ut & illi Quæstor bonus, & vobis optimus civis videretur*. Ibidémque obiter

obiter narrat quæ Publius Sextius in hoc Magistratu pro salute, & tranquillitate Reipublicæ prudenter, fortitérque gesserit, quemadmodum Capuam à conjuratis attentatam metu seditionis liberarit, maximúmque posteà, ad victoriam de Catilinâ referendam, momentum attulerit.

Anno U. C. 692. cùm munus Quæstoris exerceret in Macedoniâ, scripsit ad Ciceronem, petiitque, efficeret in Senatu, ne sibi succederetur, cùm tamen anni superioris exitu ad ipsum Ciceronem, ad Q. Fufium Tribunum plebis designatum, amicósque cæteros aliter scripsisset: effecit itaque Cicero, ut Caio Antonio Proconsuli, & P. Sextio Proquæstori, in hunc adhuc annum Macedoniæ prorogaretur administratio.

Anno U. C. 696. Tribunus plebis factus, junctis statim cum Milone studiis, legem de revocando Cicerone contra Clodiam promulgavit. *Reliqui Magistratus*, inquit Tullius, *penè omnes fuerunt defensores salutis meæ, ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, præsidio, copiis T. Annius, & P. Sextius præstanti in me benevolentiâ, & divino studio extiterunt.* Fatetur insuper Cicero, bonis, clientibus, libertis, familiâ Sextii in calamitate se usum, ac sustentatum fuisse, non secùs ac fratris; immò benevolentiam, & fidem suam, non solùm animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendisse Sextium: cùm enim & ipse obnuntiaret Consuli Metello ad templum Castoris, Clodianorum infestis armis circumseptus, tot plagis affectus est, ut semianimus in eodem loco remanserit.

PUBLIUS SEXTIUS.

Publius Sextius diversus est, ut plerique conjiciunt, ab eo, pro quo Tullius orationem dixit: primùm quidem fuit ille, pro quo Ciceronis extat oratio, Lucii filius, non Publii, uti docet inscriptio epistolæ sextæ libri V. deinde Sextius Publii filius, quo tempore hanc Tullius epistolam scripsit, exulabat, judicio damnatus; alter verò non modò non statim post Alexandrinum bellum, sed etiam post devictos in Hispaniâ Pompeii filios, lege Pompeiâ causam dixit; sed fratrem illius patruelem fuisse Pighius opinatur.

P. SILIUS NERVA.

Publius Silius Nerva post Tribunatum, ac Præturam, Bithyniam & Pontum proprætor administravit anno U. C. 702. Cicero ad Atticum è Ciliciâ scribens, *Thermum, Silium*, inquit, *verè audis laudari; valde honestè se gerunt.*

Consulatum longè pòst gessit eodem anno (U. C. 731.) quo Augustus signa Crassi, & Aquilas à Parthis recepisse traditur; Augusti tandem legatus Alpinas subegit gentes, Pannoniósque cum Noricis in Istriam incursantes, ad pacis conditiones adegit.

TERENTIA.

Terentia quater nupsit: Ciceroni, Sallustio Historico, Messalæ Corvino, Vibio Rufo. Sic Dio lib. LVII. A Cicerone eo nomine repudiata est, quòd ejus domum ære alieno opprimi passa esset. Vixit centum & tres annos.

QUINTUS MINUCIUS THERMUS.

Anno U. C. 701. Quintus Minucius Thermus ex Præturâ provinciam Asiæ Proprætor sortitus est, eámque prorogato imperio diutiùs administravit. Vir consilio bonus, & prudens animo; summâ integritate, gravitate, clementiâ, & singulari in miseros liberalitate: eò majori laude dignus, quòd ex iis, qui provincias tùm regebant, paucissimi avaritiæ, & crudelitatis crimine vacarent.

Anno U. C. 704. in bello civili Pompeii partes amplexus, Iguvium in Umbriâ cum quinque cohortibus obtinuit; verùm perspectâ Iguvinorum erga Cæsarem voluntate, & Curionis adventu cognito, cohortes ex urbe educit, & profugit, milites in itinere ab eo discedunt, & revertuntur. Lucanus:

Iguvium, pulso, jam perdidit Umbria, Thermo:

sic enim fortè melius versus ille legeretur, quàm ut legitur vulgò, *jusque sui pulso.*

TIRO.

Tullius Tiro de vitâ patroni sui Ciceronis, cujus libertus fuit, libros scripsit, quorum quartum citat Asconius Pedianus in oratione pro Milone; Gellius, lib. XIII. cap. 9. *Tullius Tiro*, inquit, *Marci Ciceronis alumnus, & libertus, adjutórque in literis studiorum ejus fuit. Is libros complures de usu, atque ratione linguæ Latinæ: item de variis, atque promiscuis quæstionibus composuit. In his esse præcipui videntur, quos Græco titulo Πανδέκτας inscripsit, tanquam omne rerum atque*

Digitized by Google

atque doctrinarum genus continens. Et libro VII. cap. 3. *Tiro autem Tullius Marci Ciceronis libertus, sanè quidem fuit ingenio homo eleganti, ut haud quaquam rerum, literarúmque veterum indoctus.*

PUBLIUS TITIUS.

Publius Titius ille est, ut auguror, qui mortuo Cæsare, Tribunatum gessit anno U. C. 710: ad quidlibet Octavio devotus, Cascæ collegæ suo Magistratum per seditionem abrogavit; legem de Triumviris Reipublicæ constituendæ in quinquennium creandis per vim tulit; verùm haud multò pòst diem obiisse traditur; ídque, quod jamdudum observatum fuerat, exemplo confirmasse suo, neminem scilicet, qui collegam suum Magistratu dejecisset, ei superstitem anni spatio vixisse.

CAIUS TITIUS RUFUS.

Quæsturâ, Tribunatu, Ædilitate plebis perfunctus, urbanam demùm Jurisdictionem sortitus est eodem anno, quo C. Curtius Pæducænus Prætor, ut vocant, peregrinus extitit; ad quem scripta est lib. XIII. epist. 59.

TORANIUS.

Caius Toranius Niger ad Prætoriam dignitatem evectus est anno U. C. 692: idémque videtur esse cum eo, qui senex, à proprio proditus filio, neci addictus fuit à Triumviris, Prætoriúsque à Valerio Maximo appellatur; cujus hæc verba sunt, lib. IX. cap. 11. *Hanc crudelitatem, cui nihil adjici posse videtur, Caius Toranius* (de filio loquitur) *atrocitate parricidii superavit: námque Triumvirûm partes secutus, proscripti patris sui Prætorii, & ornati viri latebras, ætatem, notásque corporis, quibus agnosci posset, Centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. Senex de filii magis vitâ, & incrementis, quàm de reliquo spiritu suo solicitus; an incolumis esset, & an Imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit. E quibus unus: Ab illo, inquit, quem tantopere diligis, demonstratus, nostro ministerio, filii indicio occideris: protinúsque pectus ejus gladio trajecit. Collapsus itaque est, infœlix, auctore cædis, quàm ipsâ cæde miserior.*

AULUS TORQUATUS.

Aulus Torquatus è Manliâ gente antiquissimâ, cui *Torquati* cognomen à Torque inditum est, quem Gallo singulari pugnâ victo Titus Manlius detraxit. Is de quo jam sermo est, civis erat optimus, gravitate morum, & sanctimoniâ præstans; omni laude, inquit Cicero, & honore dignissimus. Ex Præturâ (neque enim Consul unquam fuit) Africam sortitus est, ibique impressa moderationis vestigia reliquit.

Pompeianæ factionis defensor in Græciam ante Ciceronem ipsum navigavit; exilio propterea cum benè multis aliis affectus est.

TREBATIUS.

Caius Trebatius Testa, Jurisconsultus, divitiarum paulò appetentior, in Galliam discesserat, ut gratiam iniret apud Cæsarem, ejusque auctoritate & operâ rem augeret suam; sed cùm aliunde quietam tumultu procul, & discrimine bellico, vitam agere mallet, summóque urbis desiderio teneretur, de suâ illum sententiâ deducere conatur Cicero, plurésque per jocum super eâ re literas ei scribit. Tradit Pighius, Tribunum plebis fuisse anno septingentesimo sexto, Caio Julio Cæsare Dictatore secundùm.

TREBIANUS.

Nusquam comperi quis ille esset; nulla enim de Trebiano, nisi memoria me fallit, ab Historicis mentio facta est; id duntaxat ex epistolâ ad eum scriptâ colligitur, non mediocrem inter Ciceronis amicos locum obtinuisse, cum quo Pompeii partibus contra Cæsarem adhæserat; quapropter in exilium pulsus, Dolabellæ tandem operâ reditum in Italiam impetravit.

VALERIUS.

Valerius nullâ re, quòd sciam, præterquàm Ciceronis amicitiâ, civilísque juris, etsi non apprimè illud callebat, professione notus.

QUINTUS VALERIUS ORCA.

Quintus Valerius Orca Præturâ perfunctus anno U. C. 697. Africam obtinuit; quem paludatum Cicero, quòd ejus etiam operâ in patriam rediisset, prosecutus est. Idem posteà Cæsaris legatus in Galliâ, ejus in bello civili partibus adhæsit.

Primo belli civilis anno, Sardiniam à M. Cottâ relictam, Cæsaris jussu, unâ cum legione occupavit, ab eodémque deinde agris in

in Etruriâ dividendis præpositus est, addito Proprætoris nomine, ut majorem in provinciâ suâ potestatem haberet.

PUBLIUS VATINIUS.

Moribus homo profligatissimis, cupiditatum Cæsaris administer, funestissima civilis incendii fax; Reipublicæ pestis, ac pernicies, diis pariter, & hominibus detestabilis; *nemini*, ut Velleius ait, *non postferendus; in quo deformitas corporis, cum turpitudine certabat ingenii, adeò, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur.* Quia tumidam strumâ cervicem haberet, *Struma*, dictus, ex quo, *inflatus Orator* per jocum à Cicerone appellatus est, eódemque spectat illud in oratione contra eum habitâ in senatu: *Repente enim te tanquam serpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.*

Anno U. C. 694. Tribunatum plebis, excluso Catone, nactus, illum pro Cæsaris libidine gessit, Bibulúmque ejus collegam duci jussit in carcerem.

Infestissimus Ciceroni, quem Cicero vicissim capitaliter oderat, & Reipublicæ causâ, & suâ; quòd primùm Tribunus plebis, contra Senatûs voluntatem multa commisisset; deinde quia testimonium dixerat in Publium Sextium, cujus in primis operâ Cicero patriam reviserat: nihilominùs cum eodem posteà rediit in gratiam; eúmque rogatu Cæsaris, ac Pompeii, bis in judicio defendit.

In bello civili Cæsaris partes amplexus; Octavium navali pugnâ superavit. Anno deinde 706. fermè exacto, Consul unà cum Caleno renunciatus est. In brevem hunc Vatinii Consulatum, Ciceronis apud Macrobium jocus extat: *Magnum ostentum*, inquit, *anno Vatinii factum est, quòd illo Consule, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit.*

Indignus eo Magistratu omnium judicio habitus est; hinc secum Catullus Poëta stomachatur.

Quid est, Catulle, quòd moraris emori?
Sellâ in Curuli Struma Nonius sedet;
Per Consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quòd moraris emori?

Anno 707. à Cæsare in Illyricum cum tribus legionibus missus est, ut huic provinciæ, quæ nondum pacata satis erat, imponeret tributa, ab eáque obsides acciperet.

Anno 711. post necem Cæsaris, legionibus suis à Marco Bruto Proconsule spoliatus, Romam reversus est, & à Triumviris Triumphum obtinuit.

PUBLIUS VOLUMNIUS.

Publius Volumnius, notæ dicacitatis, ac limati judicii homo, interioribus instructus literis; cui urbanitas & facetiæ *Eutrapeli* nomen fecerunt. Hunc Antonius, ut multi opinantur Interpretes, in bello civili Præfectum fabrûm habuit.

JOS.

Digitized by Google

JOS. OLIVETUS LECTORI.

TIBI *molesta sunt, opinor, crebræ interpellationes meæ: oppidò etiam mihi. Verùm, ut*

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi;

ita in hujus editionis cursu multa casus obtulit, quæ non magis præmoneri, quàm prævideri possent. Velut est id, quod importunè admodum nunc iter impedit consilii mei. Cùm enim id fecerim hactenus, ut in extremo quoque volumine varias darem lectiones ex illis quatuor principibus, quas sæpe nominavi, editionibus excerptas; nihil timui minùs, quàm ne pars ista, quæ continet epistolas, ab aliis tribus discreparet. Enimverò paratam earum lectionum habebam congeriem ingenti meo labore collectam: hac usui fuerat expendenti mihi, quid potissimum in contextum admitterem, eámque, quò aptiora omnia in typographi venirent manus, describendam, ut fit, commiseram istorum cuipiam, qui arte illâ victitant: ille receperat. Abit mensis unus, & item alter: ille non apparere, ego nihil suspicari. Aliquando tempus admonet de imponenda volumini coronide: meus homo quæritur: hunc audio jamdudum ad plures, hieme vix adultâ, migrasse: heredes nullos cognatos: si quid chartarum in cubiculi tenebris fuerat, in eum cessisse usum, quem tempestas monstrabat. Quid igitur? an, quod periisse video, reficiam, & huic me pelago committam iterum? Amicus nemo expertus suadebit mihi: nec ipse persuaserit Cicero, si reviviscat. Variantes *tamen hìc ne nullas habeant ii, quibus in pretio sunt, earum, quas Grævius congessit, flores apponam.*

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES

è Gravianis decerpta.

LIBER I.

EPIST. I. Creditores] *Lambin. & v. c. Scalsii* competitores.

Amoris erga te sui] *Sic Pall. omnes, & Græv. duo. Tres Guilielmii MSS. & Gruterianus*, se tui *v. c. N. Scalf.* etiam amoris erga te summi.

Commodo rem facere possis] *Sic Pal. 1. Peckii, Mediceus, Palat. sec. à secunda manu, à prima* eo modo. *Palat. tert.* quod quomodo. *Quart.* quod commodè rem facere. *Græv. sec.* quod commodè facere possis. *Lambin. ed. ex conjectura Manutii*, quod commodo reip. facere possis.

EPIST. II. Cuíque rei jam obsisti] *Sic Medic. unus Palat. & Lambini MSS. Manut. Grut. Pall. alii, N. Scalf. Græv.* Cuíque rei clàm obsisti. *Lamb.* cui quidem rei jam obsisti. *Edd. antiquæ*, cuíque rei quia jam obsisti non poterat.

Ut quam rectissimè agantur omnia, mea cura] *Sic MSS. Palatini, Itali, Grævii & alii, edd. Victorii, Venet. prima. Sed Lambini & vulgatæ edd.* Ut quàm rectissimè agantur, omni mea cura, opera, *MSS. Lamb.* &, ut quàm rectissimè agatur omni mea, *&c.*

EPIST. V. Te videre & sentire eandem fidem esse hominum] *Sic MSS. Palatini, Grævii, Vict. Lambini. Edd.* Te autem videre & sentire eandem fidem hominum. Esse *deest in libris antiquis multis.*

Quam ego in mea salute] *Liber Medic. Palat. Venetus, Peck. Græv. ed. princeps, Gebh.* quam ego in meam salutem.

Et animos à minore cura] *V. c. Sc.* & animos senatorum à minore cura.

Et Catoni quidem (quoque modo se res habent) profectò resistimus] *Sic MSS. edd.* & Catoni quidem, quoquo modo se res habet, profectò resistimus. *V. c. Scalf.* & Catoni quidem, quoquo modo se res habuerit, resistimus.

Sed vereor ne aut eripiatur causa regia nobis, aut deseratur] *MS.* sed vereor ne aut arripiatur causa regia à nobis, aut deseratur. *v. c. N. Scalf.* s. v. ne aut corripiatur causa regia à nobis, aut deseratur à senatu. *Tres codices Lamb.* s. v. n. a. exipiatur c. r. *edd.* s. v. n. aut eripiatur causa regia à nobis a. d. *Lamb. & Manut. edd.* s. v. ne aut eripiatur nobis, aut deseratur.

Dignitatem tuam in virtute atque in rebus gestis tuis, atque in tua gravitate positam existimare] *V. c. Scalf.* dignitatem tuam in virtute & in gravitate tua, atque in rebus gestis tuis, quas tibi fortuna largita est, positam existimare. Quibus si quid hominum invidia detraxerit, id majori illis fraudi quàm tibi futurum scias.

Acerbè nimium, magno silentio [*Sic MSS. Lamb.* acerbè omnium magno silentio. *MS. Græv. sec.* in senatúque à Catone asperè & acerbè est accusatus.

EPIST. VII. Eos maximè qui te & maxime debuerunt & plurimùm juvare potuerunt] *Palat. sec.* qui & te maxime. *Quarta omisit* te. *Palat. tert. Grævii, duo edit. prim.* eos maxime, qui & te amare maxime debuerunt, & plurimum juvare. *V. c. N. Scalf.* & eos maxime qui te amare debuerunt. *Edd.* qui te juvare & maxime debuerunt, & plurimum potuerunt.

Non tam memores essent virtutis] *MS. Stevv. Pall. sec. Grut. à manu correctrice*, immemores.

Per provinciam atque imperii tui provincias ei credidissent] *Sic MSS. Edd.* qui per provinciam imperii tui pecunias ei credidissent. *Lambin. ed.* qui per provinciam tuam, atque imperii tui provincias, pecunias ei credid.

Profecisse tantum mihi videntur] *MSS. cum aliorum, tum Grævii sec.* perfecisse tamen.

EPIST. IX. Certiorem te per literas] *Hic alterius est initium epist. in MS. Scalf. duobus Grævii & Menteliano.*

Adjutor etiam extitissem] *Quartus Palat.* adjutor etiam adstitissem.

Meúmque inimicum unum in civitate haberet inimicum] *Grut.* meúmque inimicum unum in civitate haberet. *Tert. Pal.* meúmque inimicum unum in civitate haberet meus inimicus.

Et si accusandi sunt] *Cod. Stevvech.* Et si in his accusandi sunt.

Si iis pro me stante pugnare licuisset] *Al.* si ii pro me stante pugna non destitissent. *Al.* si hi pro me stante pugnam non reliquissent, cùm, *&c.*

Quam fuerant in tenendo] *Alii mss.* tuendo.

Sed ut aliptæ etiam virium] *Sic mss. Alii*, sed

Digitized by Google

ſed ut aliptæ & virium & coloris. *Vulgati ferè*, ſed etiam ut aliptæ virium.

Quæ declaraſſet ſe non potuiſſe me uno civi carere] *Sic Lambin. Pall. Gruter. Stevvech. Vatic. Amſtelodamenſis, Grævii primus, edit. princeps. Aliæ edd. & mſſ. nonnulli*, quæ declaraſſet jam ſe non potuiſſe. *Alii*, ſe ſe. *Sic & civi pro cive. Palat. tert. Vatican. Stevvech. Græv. prim. Victor. edit. Vatic.* cum declararet ſe. *Unde Victor.* cum declaraſſet ſe non.

Quaſi deſciverim à priſtina cauſa] *Sic Victor. & Man. Med.* quaſi deſciſcerem à priſtina cauſa. *Sic & Palat. prim. Amſtelodam. Græv. duo, niſi quod* quaſi *omittant. Non longè abit Mentel.* quaſi diſceſſere priſtina cauſa. *Vatic.* quaſi deſciſcerim priſtina cauſa. *Cæteri mſſ. primi, etiam edit. princeps* deſiſterem. *Vulgò* deſiſterem priſtina. *Palat. tert.* prima, *pro* priſtina. *Al.* deſtiterim à priſt. c.

Implicatus tenebar] *Amſtelod.* implicate tenebar. *v. c. N. Scælſ.* ne remp. implicatus tenerem.

Tamen ornandus videretur] *Pall. Grut, Amſtelodam. Græv. ſecund. & N. Scælſ. v. c.* tamen memorandus *Ed. prim. & al.* inornandus.

Tamen ſi ſine ulla mea contum. ſuſcep.]. *Pal. ſec. & Grut.* tamen ſine ulla mea contum. ſuſcep. *Amſtelod.* tamen etſi ſine ulla mea contum. ſuſcep.

Non laceſſentem læſiſſet] *Mſſ. Palat. duo, Grut. Grævii ſecundus, Mentelian. N. Scælſ. ed. prima & Gruter.* non laceſſentem laceſſiſſet.

Quod ego effudiſſe me omne arbitrabar] *Palat. tert.* quod ego effugiſſe me omne arbitrabar. *Al.* quod ego me effudiſſe omne arbit.

Sed etiam naturæ] *Al.* ſed naturæ etiam meæ.

Nunc etiam potentium] *Sic mſſ. Lambin. ed.* hanc etiam. *In Stevvech. & tert. Palat. deeſt* hanc.

Novi animum tum mihi amiciſſimum] *Grut.* novi animum tuum mihi amiciſſ. *Amſtelod.* novi animum cum mihi amiciſſ. *Stevvech.* novi animum tum mihi notiſſimum. *Mentel.* novi animum tuum mihi tum amiciſſimum.

Scripſi igitur Ariſtoteleo more] *Palat. quart.* Ariſtotelico more. *Al.* Ariſtotelio.

Qui ſe læſos arbitrarentur] *Gruter.* qui ſe læſos arbitrabantur.

Omnes nominare. Quos] *Al.* omnes nominare, non miſi. Quos.

Ea tantæ mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri] *Stevvech. & Pal. quart.* ea, ut ante, mihi curæ ſint, & me velim admoneri. *Pal. prim. ſec.* ea & ante mihi curæ ſint, ut me velim admoneri. Rogari verò ſine magno dolore vix poſſim. *Grut. & Græv. ſec.* ea, ut ante mihi curæ ſint, & me nolim admoneri. *Amſtelodam.* ea ut ante mihi curæ ſint, ut me nolim admoneri. *N. Scælſ. v. c.* ea ut ante mihi curæ ſunt, méque noſim adm.

Se paraturum cum collega] *Sic Amſtelod. Mentel. Al.* ſe partiturum. *Al.* ſe pacturum. *Al.* ſe acturum. *Al.* ſe comparaturum.

Poſſe te non decedere] *Sic. mſſ. Al.* non poſſe te decedere.

Felicitate quidem vellem conſequi potuiſſes] *Sic. Vatic. Al.* facilitate. *Etiam Amſtelodam. ſed eadem manus ſuperiùs ſcripſerat* fæcilitate. *Al.* facilitate autem quid vellem. *Pal. tert.* felicitate autem quid vellem. *Grut.* felicitatem autem quid vellem.

LIBER II.

EPIST. I. Præ te ferres perſpectum mihi quidem] *Amſtelod. Mentel. Græv. ſec. edd. vet.* præ te fers perſpectum mihi quidem.

Sic ad nos conformatus] *Al.* confirmatus.

Memoriam ulla nunquam delebit oblivio] *Sic Victor. Vatic. Pall. quart. quint. Amſtelodam. Al.* nulla unquam.

EPIST. II. Quam à vita diſcederet] *Sic & Amſtelodam. & Græv. prim. Al.* quam è vita decederet. *Al.* quam à vita decederet. *Græv. ſec.* quam vita diſcederet.

Cui & carus æque ſis & jucundus] *Sic mſſ. Al.* cui & carus atque ſis & perjocundus. *Vulgatæ edd.* cui carus æque ſis & perjucundus.

EPIST. III Rupæ ſtudium non defuit] *Al.* nempe ſtudium non defuit. *Al.* nempe ſtudium meum non defuit. *Al.* nuper ſtudium non defuit.

Corámque contra iſtam rationem, meam dicam] *Al. v. c.* contráque coràm iſtam, meam rationem dicam. *Al.* corámque contra iſtam meam rationem ediſſeram.

EPIST. IV. Hujus generis literas à me profecto non expetis] *Al.* expectas. *Sic quatuor mſſ. quibus uſus eſt Grævius. Palat. quart.* hujus generis ſententiæ literas non expectas. *Al.* hujus generis ſententiæ literas à me profecto non expectas.

Tuarum enim rerum domeſticarum habes & ſcriptores] *V. c.* tuarum enim domeſticarum rerum habes. *Al. v. c.* domeſticos enim rerum tuarum habes ſcriptores.

EPIST. V. Narrare audeo. Tibi, etſi ubicunque es] *Amſtelod. Mentel. Græv. ſec.* narrare audeo tibi. Et ſi ubicunque es. *Sigon.* narrare tibi audeo. Etſi ubicunque es. *Græv. prim.* narrare audeo. Etſi ubicunque es. *Al.* audeo narrare tibi. *V. c.* audeo numerare. *Peck.* et ſi ubi es.

Digitized by Google

EPIST. VI. Nullam esse gratiam, quam] *Al.* nullam esse gratiam tantam.

Liberalitatémque naturæ] *Sic mss. Amstelodam. Grut. Palatini tres, Mentel. Alii tamen, inter quos & Græviani duo*, libertatémque naturæ.

Prope saluti tuum studium] *Sic Victor. Lambin. Manut. ed. mss. Palat. prim. Vatic. Peck. Græv. prim. Mentel. Alii*, propriæ salutis.

Ego ni te videre scirem, cùm hæc ad te scriberem] *Sic Mentel. & Græv. sec. Pal. prim. & sec.* cùm in te hæc scriberem. *Amstelod.* quàm in te hæc scriberem. *Græv. prim.* ego ni tu videres rem quam in te hæc scriberem.

EPIST. VII. Quid vanitatis in vita] *Al.* quid varietatis in vita. *Al.* quid vanitatis in vita sit.

Alteri qui melius dare consilium] *Sic mss. & edd. Palatini tamen tres, & totidem Guilielmii, Mentel.* alter qui melius dare consilium.

Quanquam difficili in re] *Sic Victor. ed. Pall. tres. Medic. Stevvech. Amstelod. Mentel. Græv. Vulgò*, quàmque difficili in re.

EPIST. VIII. Et Chresti compilationem mitteres] *Mentel. & Græv. prim. inque v. c.* ut Chresti compilationem mitteres. *Ita etiam Lamb. Amstelod.* Cresti.

Nisi quid ad me ipsum pertinebit] *V. c. N. Scælf.* nisi quid ad me ipsum pertineat. *Alius*, ni quod ad me ipsum pertinebat. *Mentel.* nisi quæ ad me ipsum pertinebunt. *Græv. sec.* nihil ad me ipsum pertinebunt.

EPIST. IX. Primum tibi, ut debeo] *Al.* plurimum tibi, ut debeo.

Ignoratione rerum omnium] *Al.* ignorantia.

Quod ita factus sis] *Sic mss. Palat. duo Vatic. Grut. Stevv. Peck. Amstelod. Mentel. duo Græv. Vulgò*, quod ita factum sit.

Incredibile hoc factu] *Al.* factum. *Et sic Amstelodam. Græv. prim.* facto, *sed sec. & Mentel.* factu.

Voluptatem animi nimiam] *Mss.* homini nimiam. *Al.* voluptatem habui nimiam.

Te vero mi Rufe diligo] *Sic Amstelod. & alii. v. c. N. Scælf. & Græv. prim. & Mentel.* te vero mirifice diligo. *Græv. sec.* te vero diligo mirifice.

EPIST. X. Tu vide quam ad me literæ non perferantur] *Al.* tu vide quamobrem ad me literæ. *Al.* tu vide quam temere, cum ad me lit. *Al.* tu vide quam timide, quam ad me, *&c.* *Al.* tu vide quam tarde, quam ad me, *&c.*

Castella munita] *Al.* castella minuta.

Ibi quintum vicesimum jam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam] *V. c. N. Scælf.* ibi quintum & vicesimum jam diem aggeribus, turbinibus oppugnabam.

Hæc ad te in præsenti scripsi] *Al.* hæc ad te vesperi in præsenti scripsi.

Ut speres te assequi id quod optasti] *V. c.* ut speres te assequi quod optasses posse.

Sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, spissius] *Al.* sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, serius.

Tum etiam futura magis expecto] *Al.* tum etiam futura magis exopto.

EPIST. XI. atque imprimis tui, satietas autem provinciæ] *Pal. prim. & quint.* incredibile meorum, atque in primis satietas ante provinciæ. *Secund. & tert.* atque imprimis satietas provinciæ. *Pal. quart. Grut. Græv. secund.* atque in primis satietas autem provinciæ. *Amstelodam.* incredibile deorum atque imprimis satietas ante provinciæ. *Sic & Mentel. qui tamen habet* meorum.

Mandato meo] *Al.* mandatu meo.

EPIST. XII. Quanquam omnia nec benigna nec copiosa cognorant] *Vet. cod. N. Scælf.* quanquam omnia nec benigna, nec copiosa, nec facilia cognorant.

Atque uno sermone nostro] *V. c. N. Scælf.* atque uno sermone vestro.

Non erat minor ex contemnenda, quam ex conservata provincia] *Pal. prim. & Peck.* non eram minor.

Spem triumphi? inquis. Satis gloriose triumpharem] *Al.* spes triumphi? inquis. Satis gloriose triumpharem. *Pal. sec.* spes triumphi, inquit, satis gloriose triumpharem. Non enim tam diu quidem in desid. *tert.* spes triumphi, in qua satis gloriose triumpharem, non essem tam diu in desid. *quint.* spes triumphi. In qua (*superscriptum hic* nisi) satis gloriosè triump. non essem tam diu quidem. *Sic fere etiam Grævii codd.*

EPIST. XIII. Quod mihi significabant tuæ literæ] *Mss.* quod nihil significabant tuæ literæ.

Non opinionum dissensione] *Al.* non voluntatum diss.

Cæsarem non defendit Curio] *Sic mss. omnes. Lamb. ed.* Cæsarem nunc defendit Curio.

Nam ita vivam putavi] *Sic. Vatican. Peckii, Palat. quart. Græv. prim. Victor. Lambin. edd. Amstelodam.* nam ita viva putavi. *Mentel.* nam ita ante putavi. *Græv. sec.* nam ita una putavi. *Multi alii mss.* nam ita in via putavi.

Cum prima æstiva attigissem] *Sic mss. Palat. V.* cum priva æstiva attigissem. *Al.* cum primum æstiva attig.

EPIST. XV. Cæsarem honestum esse cupio] *Al.* Cæsari honestissimè cupio, *Mss.* Cæsarem honestis-

honestissimè esse cupio. *Al.* Cæsarem honestissimè cupio.

At quæstorem, at nobilem adolescentem, at omnium vere exemplo] *V.c.* ad quæstorem ad nobilem adolescentem, ad omnium fere exemplum. *Amstelod.* ad omnium fine exemplo. *Sed Mentel. stat pro Medicei libri lectione.*

Poten tissimorum duorum] *Al.* potentissimorum virorum.

Omnes Cassios Antoniósque] *Al.* juvenes Cassios Antoniósque.

EPIST. XVI. Prope jacentem desciscerem] *Tres Pall. Peck.* desisterem. *Amstelod. & Mentel.* descisserem. *Palat. quint.* discesserim. *N. Scælf.* disjungerem.

In hominum insolentium indignitate fastidium] *Al.* in hominum insolentium dignitate fastidium.

Eo si onere carerem] *Polit. ms. Palat. prim. quart. aliíque,* eo si honore carerem. *Stevvech.* ea si onera.

Quod autem in maritimis facillime sum, moveo nonnullis suspicionem] *Sic mss. etiam Græv. prim. Vatic. & Pall. Sed Mentel.* quod autem in maritimis moratus sum, facillime summovet suspicionem. *Tert. Palat. Stevvech.* movet. *Vulgo*, quod autem in maritimis sum, facile moveo nonnullis suspicionem. *Amstel.* quod autem in maritimis sum, movet facillime nonnullis suspicionem.

Vel potius nostrum, fore ab iis molestiis] *Sic mss. omnes. Vulgò,* vel potius nostrum, videbam ad illis molestiis.

EPIST. XVII. Successor tuus non potest ita maturare ullo modo] *Ms.* successor tuus non potest ita mature ullo modo.

De rationibus referendis] *Palat. prim.* de sectionibus refer.

Quam tibi scribis à Bibulo potestatem fieri] *V. c. N. Scælf.* quàm tibi scis à Bibulo potestatem fieri.

Cum magnus Antiochiæ metus esset] *Al.* tumultus esset. *Mss. aliquot,* quod magnus Antioch. metus esset.

Eguisse auxilio meo] *Stewech.* consilio meo.

Quemadmodum tractarere audiebam] *Pal. tres, Amstelod.* quemadmodum tractare aud. *Grut.* quemadmodum tractarer.

Quod verò illius erat solitus] *V. c.* quod nec illius erat solius.

Quia senatus per me regem appellavit] *Al.* quem senatus per me regem appellavit. *Lamb.* quia eum senatus.

EPIST. XVIII. Qui si dignum majoribus suis præbuerit] *Al.* qui si dignum se majoribus suis præbuerit.

EPIST. XIX. Magni enim videbatur interesse] *Liber vetus Guilielm. & N. Scælf.* magis enim videbatur interesse.

Quam nobis sors tribuisset] *Pal. prim. Vatic. Victor. & Grut. ed.* quam nobis sors tribuisset.

Quod item C. Virgilius] *Sic omnes Palat. Grut. Guilielm. Vulgò*, Virginius. *Vatic.* quod idem C. Virginius. *Græv. duo*, *& N. Scælf. v. c.* quod item Consul Virgilius. *Amstelod.* quod item Consul Virginius. *Mentel.* quod idem Consul Virgilius.

Quæcunque à me ornamenta ad te proficiscentur, ut omnes] *Sic Mss. vid. Not. Vulgò,* quæcunque à me ornamenta in te proficiscentur, elaborabo, ut omnes intelligant.

LIBER III.

EPIST. I. Ita est homo non modo prudens, verùm etiam, quod juvet, curiosus] *V. c.* ita est homo non modo prudens, verùm etiam æquus, & quod vidi, curiosus.

Ex multorum sermonibus intelligo] *Grut.* ex multarum generationibus sermonum.

Et crebritate & magnitudine officiorum meorum sarciam] *Peck. Stevvech. Ven.* & celebritate & magnitudine officiorum sarciam. *Quart. Pal.* & celebritate & magnitudine officiorum meorum sarcinam.

Cum de animo tuo, de sermonibus, quos de me haberes] *Sic Vett. codd. Stevvech. Pall. omnes quos Lambinus vidit, Amstelodam. Mentel. Grævii duo. Vulgò*, cum de animo tuo, cum de sermonibus quos de me haberes.

EPIST. II. Quoad ejus facere potueris] *Palat. prim.* quoad vis facere potueris. *Sec. à manu secunda, quart. quint. Mentel.* quod equidem facere potueris. *Peck. Græv. secund.* quod quidem facere potueris. *Tert.* quod æque facere potueris. *Grut.* qua ejus facere potueris. *Græv. prim.* quod & facere poteris. *Amstelodam.* quod facere potueris.

Longiorem orationem expectaret] *Al.* longiorem orationem expeteret.

EPIST. III. Successori conjunctissimo & amicissimo] *Secund. Palat.* successori conjunctissimo & amantissimo.

Pro nostra consociatissima voluntate] *Al.* pro nostra constantissima voluntate erga te.

Ex iis literis] *Hic initium novæ epistolæ in v. cod. Grævii primo.*

Quam minime imminueris] *Sic mss. Alii*, quam minimum.

Quæ data erit, utemur. Vale] *In codice primo Grævii & Menteliano desideratur* Vale, *& sequens*

Digitized by Google

sequens epistola tota cum hac cohæret, sicut & in Stevvech. Pal. tert. Grut. & alio Guilielmii.

EPIST. IV. Te L. Clodio mandasse] *Mss.* te Clodio & Lentulo mandasse. *Alii,* te Lentulo & Clodio mandasse. *Alii,* te Clodio Lentio. *Grævii primus*, te Lentulo Clodio. *Vitii origo est ex ignoratione Notæ L.*

EPIST. V. Quo mea ratio facilior & solutior esse posset] *Palat. prim.* quo mea ratio facilior & solutior esse videretur.

Mihi gratissimum esse dicam] *Sic mss. Edd.* ducam.

Non satis est perspectum] *Al.* non satis est perspicuum.

Si ad illam maritimam partem provinciæ] *Sic mss. Pal. prim.* si ad eam. *Edd.* si ad Sidam maritimam partem provinciæ.

Sed si quid nunc me fallit in scribendo] *Mss.* sed si quid me nunc fallit. *Palat. tert. Grut. Græv. secund.* sed si quid non me fallit.

Tibi de nostris rebus nihil sum ante mandaturus per literas] *Pal. sec.*]tibi de nostris rebus nihil sum ante dicturus.

Quam desperaro] *Palat. tert.* quid speraro. *Palat. sec.* desperabo. *Stevvech.* desperarem *Unde Guilielmius* desperarim. *Græv. pr.* desperatam. *Sec.* desperato. *Sed Amstelodam. & Mentel.* desperaro.

EPIST. VI. ad Sidam navigassem] *Tert. Palat.* Cyclam. *Græv. secund.* Siclam. *Prim.* Siciliam.

Quo ego te ne persequi quidem possem] *Mss. duo*, quo ego te ne prosequi quidem possem. *Al.* possim.

Triginta diebus, qui tibi ad decedendum] *Quart. Palat.* triginta diebus illis, qui tibi ad succedendum. Succedendum *est in Peck. & prim. edit. Stevvech. Amstelod. tert. Palat. Mentel. Græv. prim.* ad cedendum.

Quæ ne ab iis quidem fieri solerent, qui brevi tempore sibi succedi putarent] *Ms. prim. Græv.* quæ ne ab his quidem fieri deberent, qui brevi tempore tibi succedi putarent. Tibi *etiam Amstelodam. habet, & Mentel. Pro* succedi *mss. nonnulli & edd.* successu iri. *Alii* succedere.

Quæ mihi longa videtur] *Sic Victor. Vatic. Amstelodam. Alii mss.* quæ mihi longa videretur. *Palat. sec.* quæ mihi longa videbitur.

EPIST. VII. Legati Appiani] *Al. mss.* Apamiani. *Al.* Apamæani. *Et ep. seq.* IX. Apamæorum.

Plurimo rerum usu] *Tert. Palat.* plurimarum rerum usu.

Viros eos, qui vobis ea reliquissent] *Mss. duo*, viros esse, qui vobis ea reliquissent. *V. c. N. Scælf.* viros eos, qui nobis ea reliquissent.

Ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendam putarem] *Edd.* ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendam deesse putarem. *Al.* ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gratiam acquirendam putarem.

Tu si aliter existimas, nihil errabis] *V. c. N. Scælf.* tu si aliter existimas, vide errabis.

Quam ego tua laborarim] *Tert. Palat.* tuus laborarim. *Ment.* quam ego tua liberavi.

Fretus conscientia officii mei] *Edd.* fretus constantia officii mei.

EPIST. VIII. principes civitatum à me postulassent] *Sic mss. pr. Græv. Sed Amstelod. Ment. Græv. sec. Palat. quatuor, inter quos primus,* nisi quod principes civitatum mane postulassent.

Ne in venditionem tributorum] *Lambin.* ne in indictionem tributorum.

Quid potest esse callidius] *Lambin.* quid potest esse incallidius. *Mss.* quid potest esse calidius.

Si aut legatorum tuorum cuipiam] *Sic ms. Vatic. & edd. Victor. Manut. Lambin. Gebh. mss.* si aut legatorum tuorum quippiam, *aut* quipiam. *Dein pro* maledicitur, *mss.* maledicit. *Grævii tamen primus & Vatic.* maledicitur.

EPIST. IX. Si quid inciderit] *Mss.* & si quid inciderit. *al.* si quid acciderit.

Et si vix fieri possit] *Græv. prim.* at si vix fieri possit.

Ego etsi & ipse ita judicabam] *Peck. cod.* ego etsi ipse ita videbam. *Palat. tert. & Grut.* ego etsi & ipse judicabam.

Longi subsellii] *Grut.* longi subsidii.

Quod autem à me tale quiddam desideras] *Peck.* quod autem à me tale quid desideras.

Ut negligens scribendo fuisse videar.] *Sic Vict. ed. & mss. Vulgatæ edd.* ut negligens in scribendo fuisse videar.

EPIST. X. Cum est ad nos allatum] *Palat. sec.* cum est nobis allatum.

Nollem accidisset tempus] *Mss.* vellem accidisset tempus.

Quanti te] *Al.* quanti ego te.

A me invitissimo decessisset] *Sic mss. & inter eos Amstelodam. al.* à me invitissime decessisset. *Græv. prim.* à me discessisset. *Sed in margine correctum*, decessisset. *V. c. N. Scælf.* à me tam iniquissime decessisset.

Conscendens jam navem] *Nonnulli veteres codd.* conscensa jam nave.

Si verò efficis ut censores creentur] *Edd.* si verò effeceris ut censor creeris.

Qui tuas inimicitias suscepisset] *Ms.* qui tuas inimicitias sumpsisset.

Quod

Digitized by Google

Quod si essem ea perfidia] *Omnes Mss. quos Gebhardus vidit, & priscæ edd.* quod si essem ex perfidia. *Sic. & Amstelod. & Mentel. Grævii verò primus*, quod si essem ea perfidia.

Quantum quæque voluit legatis tuis datum induxit] *Sic mss. & Victor. ed. Sed Pal. prim. & Peck.* quantum quæque voluit legatis tuis datum indixit. *Palat. quint.* quantum quæque voluit legatis tuis, mandatum induxit. *Amstelodam.* quantum quæque volunt legatis tuis dandum induxit. *Græv. prim.* quantumcumque voluit legatis datum induxi.

Astutum & occultum juvat fingere] *Ms. Medic. Victoriana & Gebhard. edd.* astutum & occultum lubet fingere. *Al.* astutum & occultum libet fingere. *Palat. quart.* occultum ut juvat libet fingere. *Al.* juvet.

Quod ad indicandum odium apertissimum sit] *Duo Palat. & Gruter.* quod ad indurandum odium apertissimum sit.

Si illa amoris atque officii signa] *Sic Vat. Palat. tert. Grut. Græv. prim. Mentel. Alii tamen*, si ulla amoris atque officii signa. *Sic Amstelod. & edd.*

Tulit contentionem meam] *Tert. Palat.* tulit intentionem meam.

Adversanti interdum actionibus suis] *Sic mss. & Vict. ed. Gruter. ms.* adversitante. *Vulgò edd.* adversantem.

Nunc ea quæ à me profecta] *Sic Vict. ed. Vat. quart. Palat. Amstelodam. al.* nunc ea quæ à me perfecta, quæque instituta sunt. *Al.* profecta, quæque constituta. *Græv. prim.* nunc ea quæ ante profecto quoque instit. sunt.

EPIST. XI. Qui enim facta aut non facta largitio ignorari potest] *Amstelodam.* quod enim facta, nec non facta largitio ignorari potest. *Rob. Steph. ed.* qui enim facta nec ne facta largitio sit.

Omnes vires civitatis. *Ms.* omnes viros civitatis.

Ad Pompeii ductum applicaverunt] *Ms.* ad Pompeii dictum applicav.

EPIST. XII. Prospere evenire] *Pal. prim.* persæpe evenire.

Quæ me insciente facta] *Pal. prim.* quæ insciente facta *V. c. N. Scalf.* quæ mihi insciente me facta sunt.

Tua sapientia & humanitas] *Gruter.* tua patientia & humanitas.

In quo unum vereor] *Stewech.* in quo unum non vereor. *Al.* in quo unum modo vereor.

EPIST. XIII. Nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse] *Al.* nullum munus officii cuiquam reliquum fecisse.

Quanti ego omnes tuos facio, uti tu meos facere posses] *Sic mss. Edd. & nonnulli mss.* ut, quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere posses. *Grævii prim.* ut, quanti ego omnes tuos facio, uti tu meos facere posses. *Amstelodam.* ut quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere possis.

LIBER IV.

EPIST. I. Nunc, quoniam nihil jam videbimur posse opitulari reipublicæ] *Edd.* nunc quoniam nihil videmur posse opitulari reip. *Mss.* nunc quoniam nihil videmur opitulari reip. posse. *Alii*, opitulari posse reip.

Nemo est omnium] *Mss. duo*, nemo est hominum.

Ut te imitarer] *Multi mss.* ut te invitarem.

Quidquid nos communi sententia statuerimus] *Al.* quidquid nos de communi sententia.

EPIST. II. Cùm optime sentiremus] *Al.* cùm idem sentiremus.

Res deducta sit vides] *V. c. N. Scalf.* res deducta sit, optime vides.

Nihil enim constitui potest] *V. c.* nihil enim construi potest. *V. c. Scalf.* nihil enim construere potes, quo non incurras i. m. a. d.

EPIST. III. In hoc pestifero bello cavendo & prædicendo] *Pal. quart.* in hoc pestifero bello cavendo & prædicando.

EPIST. IV. Si alterutrum necesse sit] *Ms. Vat. Vict. & Gebhard. edd.* si alterum utrum necesse sit.

EPIST. VI. Aliquantum acquievi] *Sic Mss. Vulgò* aliquantulum acq.

Vester Gallus] *Sic mss. & ed. Vict. & Gebh. Vulgò* noster Gallus.

Cùm frangerem jam ipse me cogerémque illa ferre] *Ms. Grut.* cùm frangerem jámque ipse me cogerem illa ferre. *Extat quoque* cogerem *sine* que *in tribus Palatinis*.

Illius concessu] *Al.* illius consensu.

EPIST VII. Multo antè videris] *Græv. prim.* multo antè videres.

Sempérque summè diffidere] *Ms.* semper summè diffidere. *Vatic.* semper summæ diffidere.

Simul abjecisti certandi cupiditatem] *Vet. cod. N. Scalf.* simul abjecisti & certandi iniquitatem.

Extrema non libenter persequi] *Mss.* extrema libenter non persequi. *Al.* prosequi. *Vid. Not.*

Híque se in Africam contulerunt] *Al.* Hi se in Africam contulerunt. *Al.* & hi se in Africam contulerunt. *Al.* ut ii, qui in Africam se contulerunt. *Ms. Græv.* hi, qui se in Africam contulerunt.

Digitized by Google

lerunt. *Vatic. Grut.* hique qui se in Africam contulerunt. *prim. Pal.* se iique in Africā contulerunt. *Pal. quint.* hi qui se in Africam contulerunt.

Victori sese crediderunt] *Mss. & edd.* se victos esse crediderunt.

Quietè & liberè vivere] *Vet. cod. N. Scalʃ.* quietè & pacificè vivere.

Etiam oppetenda mors esset] *Pal. prim.* etiam appetenda mors esset.

EPIST. VIII. Maximi animi hominem unúmque fortissimum] *Pal. sec.* maximi animi virum, hominem fortissimum. *Mss.* maximi animi hominem, virúmque fortissimum.

Tu quoque animum inducas] *Al.* tu quoque in animum inducas.

EPIST. IX. Etsi perpaucis] *Vet. cod. N. Scalʃ. & Mentel.* etsi peractis antè.

Quod non multo secùs fieret] *Mss.* quod multo secus fieret.

Vobis auctoribus] *Al.* nobis auctoribus.

Impotentioréſque reddit] *Ms.* impudentioréſque reddit.

EPIST. XI. Non solùm consilium daret, sed precibus quoque me obsecraret] *Vet. cod. N. Scalʃ.* non solùm consilium daret, sed precibus quoque me oneraret.

EPIST. XII. Quoniam casus & natura in nobis dominatur] *Mss.* quoniam casus & natura in bonis dominatur. *Edd.* quoniam casus & fortuna in nobis dominatur. *Al.* in bonis.

Circiter hora decima noctis] *Mss. sic.* [illegible] circiter horam decimam noctis.

EPIST. XIII. Aut omnino cogitare] *Ms.* aut animo cogitare.

Nulla me ipsum privatim pepulit insignis injuria] *Ms.* perculit. *Al.* pepulerit. *Al.* pepulerat.

Sed etiam video] *Sic Stevvech. Pal. tert. Gruter. Mentel. Vatic.* sed etiam id video. *Al.* sed ipsum video. *Græv. prim. cum vulgatis*, sed etiam id ipsum video. *Amstelodam.* sed etiam ipse video. *Palat. tert.* sed & video.

Fortasse semper fore] *Mss. nonnulli*, fortasse semper non fore.

Quascunque vires habebit] *Al.* quoscunque viros habebit.

LIBER V.

EPIST. I. Debebat vel familiæ nostræ dignitas] *Mss.* debebat tamen vel familiæ nostræ dignitas.

EPIST. II. Quantóque in errore versatus essem] *Mss. & edd.* quantóque mœrore versatus essem.

Mediocris quidam est risus consecutus] *Sic Mss. Græv. & aliorum. Edd.* mediocris quidem est risus consecutus.

Quod populus idem magnâ voce] *Lamb.* quod populus item.

Me ut tibi amicissimū esse intelligeres] *Mss. nonnulli*, me autem tibi amicissimum esse laboravi.

De nostra benevolentia detraham] *Sic Mss. Græv. & aliorum. Edd.* de nostra benevolentia detrahatur. *Sec. Pal.* de nostra benevolentia detrahat.

EPIST. III. Ut sunt leves ab ejusmodi homine] *Al.* ut sunt leves hujusmodi homines.

De meis rebus] *Sic Mss. omnes quos Gebhardus & Græv. vidit. Vulgò edd.* de me meisque rebus.

EPIST. IV. Revocare tempus omnium reservandorum] *Sic quatuor Palatini, quatuor quos Grævius vidit. Vict. Gebh. edd. Al. edd. & unus Manut. ms.* revocare tempus omnium conservandorum.

EPIST. VI. Cùm ad me Decius librarius venisset] *Sic Mss. Vulgò*, cùm ad me Decius librarius tuus venisset. *Pal. tert.* cùm ad me Decius de tuis librarius. *Al.* cùm ad me Decius libertus tuus venisset.

EPIST. VIII. Quanta nunquam antea ulla in causa] *Grut.* quanta nunquam antea nulla in causa. *Vet. cod. Scalʃ.* quanta nulla antea causa.

Non tam re quàm suspicione violata] *Sic optimi mss. Vulgò*, non tam re quàm suspicione violenta.

EPIST. IX. Cùm Vardæis esse] *Græv. lib. prim.* cùm Vardæi se esse. *Amstelodam.* cùm Hardæcis. *Al.* Vardæcis. *Al.* Vardacis.

EPIST. X. Hominem unum omnium crudelissimum] *Duo mss.* hominem unum hominum crudelissimum.

Simius non semissis homo] *Sic mss. Pal. primi* simus non semissis homo. *Græv. prim.* seminis non semissis. *Amstelodam.* sumus non semissis homo. *Al.* si minus non sævus sit. *Al.* si minus non servus sit. *Vulgò*, simul verò semissis homo.

EPIST. XII. Quæ nunc expromam absens] *Al.* quæ nunc exponam absens.

Quin te admonerem ut cogitares] *Mss. quart. Pall. Grut. Amstelod.* admonerē cogitare. *Sed Græv. prim. & Mentel. stant pro vulgata.*

Jucundissimâ lectionis voluptate] *Sic Amstelodam. aliique mss. Vulgò* jucundissimæ.

Qui quid sis nescias] *Græv. prim.* quicquid nescias. *Tres Pall.* qui sis nescius. *Grut. & tert. Pal. Amstelod. Mentel.* qui scis nescius. *Al. mss.* qui qui sis nescias. *Al. edd.* quicquid scis nescias.

Et verecundius ipsi de sese scribant] *Sic Græv.*

Græv. prim. Vat. Pal. tert. Vulgò & ut verecundius ipsi de se scribant.

EPIST. XV. Quorum alii occiderunt] *Ms.* quorum alii ceciderunt.

Vetustas, amor, consuetudo] *Sic mss. Græv. prim. Amstelod. Mentel. Alii edd.* vetustus est amor, consuetudo.

Propter quotidianos metus] *Al.* motus.

EPIST. XVI. In qua si resideat sensus] *Nonnulli mss.* & quasi resideat sensus.

Tam imbecillo mulier animo] *Ms.* tam imbecillis mulier animo.

EPIST. XVII. Ut potui accuratissimè] *Al.* quàm potui accuratissimè.

Neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam] *Prim. Græv. alliique lib.* neque ad consolandum neque ad levandam fortunam.

EPIST. XVIII. Potentiæ alicujus condonatum] *Mss.* potentiâ alicujus condemnatum. Potentia *est & in trib. Pall. & prim. Græv. Mox pro* existimetur, *Pal. prim.* exicientur.

EP. XIX. Sin idem placebit atque eodem] *Al.* sin idem placebit atque eodem modo. *Al.* sin idem placebit, sed nec eodem modo, nec.

EPIST. XX. Commovere me noluisti] *Al.* convenire me noluisti. *Al.* commonere me noluisti. *Al.* convenire me voluisti. *Al.* commovere me voluisti.

Cùm id te video desiderare] *Sic Vatic. Vict. ed. Al.* quando id te video desiderare. *Al.* quoniam id te video desiderare.

EPIST. XXI. Qui vita ingenua, in beata & libera civitate] *Pal. sec.* qui in vita ingenua, & in beata civitate viximus. *Al.* qui vita ingenua, & in beata civitate & libera.

Quod sit horribile aut pertimescendum] *Græv. prim.* quod sit inhonorabile ac pertimescendum.

LIBER VI.

EPIST. I. Desperationem aut timorem] *Grut.* desperationem & timorem.

Ad bene beatéque vivendum] *Mss.* ad bene beatè vivendum. *Totus locus in primo Gravii sic legitur,* si enim bene sentire voluerimus, rectéque facere, satis est atque beatè vivendum.

EPIST. III. Hoc item tempore] *Sic mss. Vulgò*, hoc autem tempore.

Angar ullâ re] *Pall. duo*, tangar ulla re. *Pal. quint.* aut angar ulla re *Pal. quart.* aut angar illâ re.

EPIST. IV. Etsi id ipsum nonnullis videatur] *Tert. Pal.* etsi id ipsum nonnullas videatur secus. *Græv. prim.* etsi id ipsum nonnullis videamur secus.

Quam fore putaremus] *Sic duo Pall. Græv. prim. Victor. Venet. aliique. Vulgò*, quam fore putaramus.

Quamvis iniquâ conditione] *Al.* quavis iniquâ conditione.

EPIST. V. Quotidie faciliores mihi & meliores] *Al.* feliciores.

EPIST. VI. Vereor ne desideres officium] *Al.* non vereor ne desideres officium.

Ut perspicio] *Sic mss. Vatic. prim. Pal. Vict. aliique. Vulgò*, ut prospicio.

EPIST. VII. Nam quod præclarè facere non poteram] *Edd.* nam quod præstare non poteram. *Al.* nam quod præclarè non poteram.

Secundum beneficium quàm parcissimè facere] *Ms.* secundum beneficium est quàm peritissimè facere.

Quem putas animum esse, ubi secum loquitur?] *Prim. Græv.* quem putas animo esse, ut secum loquitur? *Ms. Peck.* quem putas animo esse, ut secum loquetur?

EPIST. X. Et hæc iis singulis sæpe dixi] *Sic Vatic. Græv. prim. Amstelodam. Victor. ed. Vulgò*, & iis singula sæpe dixi. *Al.* & hoc iis singulis sæpe dixi. *Pro iis iidem libri* his.

Ut operam, consilium, rem, fidem meam] *Sic mss. vulgo*, ut operam, studium, consilium, fidem meam.

Casu devincti] *Sic mss. Vulgò*, quasi devincti *Amstelodam.* casu devicti.

EPIST. XII. Quod si mihi per me efficiendum] *Al.* quod si mihi pro me efficiendum.

Qui valeret apud illum] *Sic Græv. prim. Amstelodam. Vict. ed. aliique. Vulgò*, qui valet apud illum.

Quam quia Cimber habebat] *Sic Vatic. duo Pall. Græv. prim. Victor. ed. aliique. Vulgo*, quas quia Cæsar habebat.

Victus ut sapiens esses] *Tres mss.* victus & sapiens esses.

EPIST. XIII. Quorum quidem virtus & pietas] *Prim. Græv.* quorum quidem & virtute & pietate.

A quibus se putat] *Amstel.* putant.

EPIST. XIV. Conveniendi indignitatem] *Mss.* 2. conveniendi dignitatem.

Hanc in opinionem discessi] *Al.* hac opinione discessi.

EPIST. XVIII. Simul accepi] *Al.* simul ut accepi. *Al.* simul ac accepi. *Al.* simul atque accepi.

Ad nos misit exemplum] *Sic prim. Græv. Sed Pal. prim. Vat. Grut. Victor.* ad vos misit exemplum.

Sine ulla interpellatione versor] *Sic mss. Vulgò*, sine ullo interpellatore versor.

Digitized by Google

EPIST. XIX. Cæteroqui mihi locus non displicet] *Sic Vat. Pall. prim. tert. Grut. Peck. ed. Vict. Sed vulgò*, cæterum is mihi quidem locus. *Græv. prim.* cæterum qui mihi locus. *Amstelodam.* cæterorum qui mihi locus. *Mentel.* cætera quidem mihi locus.

Ut mihi videtur] *Sic prim. & tert. Pal. Peck. Grut. Amstelod. Mentel. ed. Gebh. Sed prim. Græv. cum veteribus edd.* ut mihi videris.

EPIST. XXI. Inter nosque conferre] *Sic Vatican. Græv. prim. Medic. Al.* interque nos conferre.

EPIST. XXII. Tua in me pari] *Sic mss. Pal. prim. tert. Mentel. Vict. ed. Græv. prim.* tua in me parte. *Al.* tua in me pariter.

Plurimisque officiis amisisti] *Prim. Græv.* plurimis officiis misisti. *Al.* plurimisque officiis amasti.

Vel potius me parum posse sentio] *Pal. tert.* vel prodesse me parum posse sentio.

LIBER VII.

EPIST. I. Vox eum defecit in illo loco] *Sec. Pal.* decepit.

Tollebat omnem hilaritatem] *Sec. Pal.* tollebat omnem jocunditatem.

Græcos ita non ames] *Sic mss. Vatic. Medic. Græv. & Pal. prim. Vulgò*, Græcos verò ita ames.

Homini polito] *Sic Med. Græv. prim. & qui Petrarchæ manu scriptus est. Vulgò*, politico.

Fructum ullum laboris ex his expecto] *Sic Vatic. & Medic. Græv. prim. cod.* fructum ullum laboris expecto. *Pall. duo, Grut. quinque Guilielm. codd. prim. ed.* fructum ullum laboris ex his peto.

EPIST. III. In quibus tot annos versamur, & , ut video, versabimur] *V. cod. N. Scalf.* quibus tot annos vexamur, & , ut vides, etiam vexabimur.

Solet in mentem venire illius temporis] *V. cod. N. Scalf.* solet in mentem venire illius temporis recordatio. *Al.* solet in mentem venire illud tempus.

Famæque cedere, quàm salutis meæ rationem ducere] *Ms.* quam famæ cedere, quàm salutis meæ cedere rationem.

Neque magnas copias, neque bellicosas] *V. cod. N. Scalf.* primùm neque magnas copias, neque paratas illas, neque bellicosas.

Nullus imperator fuit] *V. cod.* nullius imperii fuit.

Certe nihil fuit præterea] *V. cod. N. Sc.* certi nihil fuit præterea.

Armis enim inferiores non causa fuissent] *Peck. & al. ms.* armis enim miseriores non causa fuissent.

EPIST. V. Regem Galliæ faciam, vel hunc Leptæ delega] *Sic* Leptæ delega, *Pal. & Græv. prim. Grut. Vatic. Stevvech. Peck. Vict. & aliæ priscæ edd. Vulgò*, Leptæ legatum. *Polit. lib.* Leptæ delegatum. *Al.* Regem Galliæ faciam, ut hunc Leptæ delega.

Pudentiorem esse neminem] *Prim. Græv. cum Vulg.* prudentiorem esse neminem.

EPIST. VI. Cum aliquo insigni indicio] *Al.* judicio.

Virtute consequere] *Sec. Pal.* virtute persequere.

Quæ Corinthum arcem altam habebant] *Al.* quæ Corinthi arcem altam habebant.

Manibus gypsatissimis] *Prim. Græv.* ciptatissimis. *Vet. cod. N. Scalf.* quibus illa manibus gypsatissimis sparsis persuasit.

EPIST. VIII. Cornelio nihil audeo dicere] *Al.* de Cornelio nihil audeo dicere.

Qua melior nunquam] *Pal. sec.* qua nulla unquam melior.

EPIST. X. Neque spectare essedarios] *Tres mss. Guil.* neque expectare essedarios.

EPIST. XII. Si planè à nobis deficis] *Pal. prim.* si planè à nobis non deficis.

Modo scribe aliquando] *Sic mss. Vulgò*, modò scribas aliquando.

Et à nobis quid fieri aut curari velis] *Sic mss. Vulgò*, & à nobis quid agi, quid fieri, aut curari velis.

EPIST. XIII. Non ex jure manu consertum, sed magis ferro Rem repetunt] *Sic mss. Vulgò addunt in edd.* Rem repetunt, regnumque petunt : vadunt solida vi.

Et tu soles ad vim faciendam adhiberi] *Sic mss. Vulgò*, & tu non soles ad vim faciendam adhiberi.

Quod tu prior hominibus armatis veneris] *Sic mss. Al.* quod tu prior cum hominibus armatis veneris. *Al.* quod tu prior vi hominibus armatis non veneris.

EPIST. XV. Cùm verò in C. Marii] *Sic mss. Vatic. Pal. prim. Grut. Vict. ed. Sed Gravii primus*, quam verò in C. Mucii. *Vulgat*, quod verò in C. Marii.

EPIST. XVII. Quæ ad te ultro attulerim. *Ms.* quæ ad te ultimo attulerim. *Al.* detulerim.

Te esse ullum unquam reperturum] *Prim. Pal.* te esse nullum unquam reperturum.

EPIST. XVIII. Quam fructuosissimus tibi sit] *Sic Victor. ed. vid. Not. Amstelodam.* tam studiosissimus tibi sit., *Mentel.* ut iste civis à me discessus tam tibi sit quam mihi.

Quid

Digitized by Google

Quid in illa charta fuerit] *Liber Guilielm.* quid in ima charta fuerit *Prim. Græv.* quid in illa chartula fuerit.

EPIST. XIX. Pleniffime res illa fcribi] *Sic mff. Pal. prim. Græv. pr. Grut. Vict. & prim. edd. aliique v. c. Vulgò* planiffime.

Percipi poffe] *Unus Guilielm.* percipi non poffe.

Num jus civile veftrum] *Unus Guilielm.* num jus civile noftrum.

EPIST. XXIII. Exhedria mihi quædam nova funt] *Unus Guilielm.* ex Hadria mihi quædam nova funt.

Si tibi videtur] *Sic Pall. prim. Vatic. Græv. prim. aliique. Vulgò,* fi tibi videbitur.

EPIST. XXIV. Phameæ caufam receperam] *Sic. Pal. prim. Græv. Vatic. Vict. ed. aliique. Vulgò* fufceperam.

De P. Seftio] *Sic. mff. vulg.* Sextio. *Et fic Græv. prim.*

Nullo modo me facere poffe, cùm vellem] *Al.* nullo modo me facere poffe, quem vellet.

Sat bonum unctorem] *Al.* victorem. *Al.* auctorem.

EPIST. XXIX. Si inter fenes coëmptionales venale profcripferit] *Prim. Græv.* fi inter fenes coëmptionales perfcripferit. *Pal. prim. Stevvech. Peck. edit. prima* , fi inter fenes contionales. *Grut.* fi inter nos fenes contionales ven. *Alius vetus lib. Hotom.* inter vos concionales. *Al. v. c. Egnat.* inter vos fenes. *Medic.* inter nos fenes coëmptionales.

Id omne abs te habere] *Græv. prim.* id omnes abs te habere.

EPIST. XXX. Quin hinc ipfe evolare cupio] *Prim. Græv.* quin huc ipfe evolare cupio.

Contentus ifto fum] *Prim. Pal. & prim. Græv.* contentus iftorum.

Maximo meo beneficio eft] *Sic mff. antiquiffimi. Vulgò,* maximo meo beneficio eft affectus.

Quomodo acceperit] *Grut. Amftelod. Ven.* quando acceperit.

EPIST. XXXII. Non refiftis?] *Mff.* nonne refiftis?

Quo quicquam defit] *Sic prim. Græv Pall. & Victor. ed. Vulgò,* quod quicquam defit.

LIBER VIII.

EPIST. I. Quod tibi decedens pollicitus fum] *Sic mff. Vulgò,* quod tibi decedenti pollicitus fum.

Ut ego mifererer ejus efuriei] *Pal. & Græv. prim. Amftelod. edit. prifc.* ut ego mifererere ejus efurire. *Pal. quart.* mifererer excicare. *Quint.* exicare.

EPIST. II. Me repræfentante] *Al.* matre præhenfante. *Vel,* me repræhenfante.

Rudentum fibilis] *Al.* fibilus. *Al.* fimilis. *Al.* ridentum. *Al.* rudentium fibilus.

In nobilem agentem] *Sic mff. Vulgò,* in ignobilem egentem.

EPIST. IV. Bonos & fenatum malet] *Al.* bonos fervatos malet. *Al.* bonos fervatos mallet.

Qui folet infimorum hominum] *Pr. Græv.* infirmorum hominum.

Qua in re mihi videtur illud perquam venufte cecidiffe] *Mff.* ceciniffe.

Quam deriferamus olim] *Prim. Græv.* quam defideramus olim.

Quod vix fperare aufus es] *Duo Guilielm.* quod vix fperare vifus es.

EPIST. V. In his tricis moretur] *Guilielm. cod.* in hiftoricis. *Prim. Græv.* in hiftricis.

Quod fi anno præterito Curio tribunus] *Prim. Græv. & Manut. ed.* hoc fi præterito anno Curius tribunus. *Edd.* quod fi hoc anno præterito Curio tribunus.

EPIST. VI. Quo facto retudit fermonem] *Sic Vict. ed. Vulgò* retulit. *Prim. Græv.* & tulit.

Si Parthi vos nihil calfaciant, nos hic frigore frigefcimus] *Prim. Græv.* fi Parchi vos nihil calfaciunt, nos nihil frigore frigefcimus. *Al.* fi Parchi nos nihil calfaciunt, nos hic frigore frig. *vel.* nos nihil [illegible]ig.

De Dolabella integrum tibi referves] *Peck.* Dolabellam integrum tibi referves.

Pantheras Græcas] *Sic prim. Græv. aliique. Vulgò,* Pantherarum greges.

EPIST. VII. Cornificius adolefcens Oreftillæ filiam] *Al. cod.* adolefcentiorem Syllæ filiam. *Mf. Sigon.* Cornificius adolefcentiorem ille fibi filiam. *Prim. Græv.* Cornificius adolefcentior eft, ille filium fibi defpondit. *Al.* adolefcentior eft, ille ubi filium.

EPIST. VIII. Quo vento projicitur Appius minor] *Prim. Græv.* quo vento proicitur Appius miror.

Quid finguli ordines judicaffent] *Lambin.* quod finguli ordines judicaffent.

Sæpe re dilata] *Sic mff. Al.* fæpe relata.

EPIST. IX. Quam ne contentionis minimæ fuerit] *Prim. Græv.* quam ne contentioni minimum fuerit.

Agit caufas liberales] *Prim. Græv.* agit caufam liberalis. *Al.* agit caufam liberaliter. *Et* agit caufam liberalius.

A columnariis præteritum] *Al.* perterritum. *Al.* à colonariis.

EPIST. XI. Comitiales eripiebantur] *Al.* contiones eripiebantur.

Ne quod furore Paulli adeptus esset boni] *Al.* ne si quid furore Paulli adeptus esset boni. *Al.* adeptum. *Al.* ne quod favore Paulli adeptus esset boni.

Nec deerant quidem qui neque transigi volebant] *Prim. Pal.* desierant quidem qui inique transigi volebant. *Amstelod.* deserant quidem qui inique transigi volebant. *Lambin. ed.* nec deerant quidem, qui id nunquam transigi volebant. *Al.* nec deerant qui iniqua transigi volebant.

In unam causam omnis contentio conjecta est de provinciis: in quam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Cæsar Id. Novemb. decedat] *Editiones Manutii,* in unam causam omnis contentio conjecta est: de provinciis inquam adhuc est. Incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Cæsar ante Id. Novemb. decedat. *In Amstelodam. etiam scribitur,* de provinciis adhuc est. *Et mox idem*, ut Cæsar Idus non decedat.

EPIST. XIII. Ætate jam sunt decursa] *Al.* decussa. *Amstelodam.* detonsa.

Pudore Tulliæ] *Al.* & prudentia Tulliæ.

Ut ratio esset ejus habenda qui neque exercitum neque provincias traderet] *Al.* tradere vellet. *Mss.* ut ratione ejus habenda, qui exercitum, neque provincias tradere. *Amstelodam.* ut ratione ejus h[illegible]enda, qui exercitum neque provincias tradidere. *Victor.* ut nec ratio esset ejus habenda.

EPIST. XIV. Invidiosa conjunctio] *V. c.* & ingens conjunctio.

Non ad occultam recedit obtrectationem] *Sic Amstelodam. Pal. prim. Victor. ed. Vulgò*, non ad occultam recidit obtrectationem.

Sed ad bellum se erupit] *Sic Peck. Amstelodam. aliique. Vulgò*, sed ad bellum erumpit. *Al. tamen omissâ particulâ*, sed bellum erumpit. *Et* bellum se erupit.

EPIST. XVI. Iratus senatui exiit] *Al.* iratus senatu exiit. *Prim. Palat. Peck. Amstelod.* iratus senatui exilit. *Al.* exiliit.

Tibi caræ sunt] *Peck. aliique* curæ sunt.

Quæ cum confeceris, & ego] *Al.* quæ cùm tu feceris. *Al.* quæ cùm erunt confecta. *Al.* quæ jam erunt confecta. Id si feceris. *Polit. ms.* quæ tamen cum feceris.

LIBER IX.

EPIST. I. In spem tamen venio] *Sex. Palat.* venit.

Ut nullam allevationem] *Palat. sext.* nullam alleviationem. *Sic & alibi libri* allevio, *pro* allevo *scribunt. Palat. prim.* nullam ut allevationem.

Eorum me suppudebat] *Hittorp.* subpigebat.

Videbar enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisissem] *Pal. prim.* videbam enim me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demissum. *Sic & duo Guilielmii libri, nisi quod pro* videbam *legunt* videbant. *Amstelod.* videbar enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidissimis sociis demissū.

EPIST. II. At tibi repente] *Sic Vict. aliique meliores libri. Vulgò*, at ibi repente. *Palat. sext.* at ubi repente.

Tantis postea novis rebus allatis] *Al.* tot & tantis postea novis rebus allatis.

Qui autem victos nostros moleste ferunt] *Sic Victor. Vatic. Amstelod. aliique. Vulgò*, qui autem victos esse nostros moleste ferunt. *Hittorp.* qui autem victos nos moleste ferunt.

EPIST. V. Neque solum propter reip. sed etiam propter anni tempus] *Sic Amstelod. Prim. Palat. Peck. Vict. ed. vulgo*, neque solùm propter remp. sed etiam propter anni tempus. *Al.* neque solùm propter rem, sed etiam propter anni tempus.

Eundem ipse sequar] *Al.* euntem ipse sequar.

Severitatem otiosorum] *Hittorp.* si veritatem ocio solus. *Pal. sext.* si veritatem otio solvo.

EPIST. VI. Simul ostentavi tibi] *Sic Amstelod. Vat. prim. Pal. Vict. ed. Vulgò deest* tibi. *Hittorp.* simul ostentatui. *Latet hîc aliquid.*

Magnum hominem duxi; tum quod his] *Amstelod. aliique mss.* cum enim te semper magnum hominem duxerim, quod his.

Instar esse vitæ puto] *Al.* instar esse victoriæ puto. *Al.* instar victoriæ puto.

Vacationem etiam habent publici muneris] *Vict.* vacationem, eadem habent publici muneris. *Amstelod. aliique mss.* vacationem, eandem habent pub. mun.

Quæve audiero] *Mss.* quæ tua audiero. *Edd.* quæ tua interesse audiero.

EPIST. VIII. Quamvis quis ostenderit, ne populus] *Tres mss.* quamvis quis ostenderet, ne populus. *Amstel.* quamvis quis ostenderet, & ne populus.

Misi autem ad te] *Mss.* misi enim ad te.

Partes Antiochinas] *Sic Mss. Al.* Antiochenas. *Hittorp.* Antiocenas. *Stevvech.* Antiochias. *Vulgo* Antiochianas.

Si videtur, & de nobis inter nos] *Sic duo Pall. Vatic. Stevvech. Hittorp. Amstelod. edd. prim. & Vict. Vulgò*, si videbitur, & de nobis & inter nos.

EPIST. IX. Rectissime sunt apud te omnia] *Duo mss.* rectissima sunt apud te omnia.

Præcipue nunc jam inclinata victoria] *Hittorp.*

Digitized by Google

torp. præcipue cum jam inclinata sit victoria.

Neque etiam regum ac nationum] *Sic Vict. ac mss. Vulg.* nec etiam regum aut nationum.

Illud autem te peto] *Sic mss. Vulgò,* à te peto.

EPIST. X. Literæ expectandæ] *Al.* expetendæ.

Quod te putem scire curare] *Palat. sext.* scire putem cupere. *Stevvech.* quod te putem scire oportere.

Ingentium culinarum cum] *Al.* ingent. coclearum quas.

EPIST. XIV. Gratulor tibi cum tantum vales] *Sic Amstelod. aliique. Vulgò,* gratulor tibi quod tantum vales.

Jam salvi esse possemus] Jam *deest in nonnullis libris. Prim. Palat.* tam salvi esse possemus. *Al. vet. cod.* tum salvi esse possemus. *Sic & Amstelod.*

Hæc enim jocatus sum] *Duo mss.* hic enim jocatus sum.

Proponam tibi claros viros] *Amstelodam. Pal. prim. & sext. Peck. Hittorp. Stevvech.* proponas tibi claros viros.

Maturitatem tibi animadvertendi] *Al.* auctoritatem tibi animadvertendi.

Omnium concessu] *Mss.* omnium sensu. *Al.* omnium consensu.

EPIST. XV. Auctorem moderationis urbanæ] *Ital. Pal. quatuor Guilielmiani, ed. princeps, V. ct. Manut. Al.* commorationis.

Conferam. Domum si habebo, in denos dies] *Palat. sextus,* conferam domum: si habebo. In denos dies.

EPIST. XVI. Volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur] *Sic mss. vid. Not. ed. prim. & Peck. pro* afferatur, deferatur. *Vulgò pro* si quod *scribitur* si quid.

In sermone vario] *Stevvech.* in sermones varios.

Posuisti loco] *Sic. mss. Vulgò,* posuisti joco.

Quæsticulis te faciebam] *Sic Vatic. excerpta & Medic. Alii mss. & edd.* quæstiunculis te faciebam.

Temperius fiat] *Al.* temperatius fiat.

EPIST. XVII. Non tu homo ridiculus es] *Sic Amstelod. aliique mss. Vulgò,* num tu homo ridiculus es?

Hoc non longe abest à Tusculano] *Sic Vatic. Amstelod. Palat. prim. & sext. Vict. ed. Vulgò,* hic non longe abest à Tusculano.

Non modo me, qui] *Al.* non modo non me, qui.

EPIST. XIX. Tenuiculo apparatu] *Sic mss. Vulgò*, tenuissimo apparatu.

Recta enim à porta] *ms.* recta eum à porta.

EPIST. XX. Hanc insolentiam] *Al.* indolentiam.

Etiam Hirtio cœnam dedi sine pavone, tamen in ea cœna] *Alii,* etiam Hirtio cœnam dedi, sine pavone tamen. In ea cœna. *Mss. duo,* Hirtio cœnam dedi sine pavone. *Stevvech.* sine pavore.

EPIST. XXII. Quid? hujus Pherei hic cubile inire est ausus] *Sic Vatic. aliique mss. & Victor. ed. Vulgò,* quid illud? Pherei hic cubile inire est ausus. *Stevvech.* hujus ferrei. *Al.* hujus Pheræi.

Ex quo est propter similitudinem penicillus] *Grut.* ex qua est similitudine peniculus.

Sed quia multi, factum] *Al.* sed jam multis factum est tam obscœnum.

Non honestum verbum est divisio? [*Sic mss. Vulgò,* num honestum verbum est divisio? *Al.* divisor. *Mss.* divisior.

Suppedit, flagitium est] *Amstelod.* suppedet flagitium est. *Al.* suppendet. *Al.* suspendet. *Al.* suspendit. *Al.* suscipitur. *Al.* suppellere. *Al.* suppellit.

Habes scholam Stoicam] *Pal. sext.* habes stolam Stoicam.

EPIST. XXVI. Aut possem vivere] *Sic mss. Vulgò,* haud possem vivere. *Al.* aut posse me vivere nisi. *Al.* aut possem metui.

Cœnam te quærere à mane] *Sic Pal. sext. & V. ct. ed. Sed Pal. prim. & Amstelod.* cœnam te quærere à me ne. *Al.* cœnam te quærere à me. *Mentel.* cœnam te quærere amœne.

LIBER X.

EPIST. I. Hominis impotentissimi] *Sic mss. Vulgò,* impudentissimi. *Al.* impudicissimi. *V. c. N. Scalj.* hominis imperiosissimi.

EPIST. III. Per se vidi libentissime] *Pal. sext.* per se vidi diligentissime.

Quam mihi tecum statuo esse communem] *Unus Guilielm.* quamquam mihi tecum statuo esse communem. *Al.* quam mihi tecum statuo studeóque esse communem.

Nunc alia ratio est. Omnium rerum tuum judicium est, idque liberum] *Al.* nunc alia ratio est omnium rerum. Tuum judicium est, idque liberum.

EPIST. IV. Te profectum audieram] *Pal. sext.* te profectus audieram.

Meæ à pueritia observantiæ] *Lambin.* vel meæ in te à pueritia observantiæ.

Si aut aliter sentirem] *Fort.* aut si aliter sentirem, *Lamb.*

EPIST. V. Voluntatisque conjunctio] *Sic mss. Vulgò,* voluptatisque conjunctio.

Quod

Digitized by Google

Quod tibi majori fructui] *Mss. Amstelod. Mentel. Græv. sec. Stevvech. ed. prima*, quod tibi majoris fructus gloriæque esse possit. *Hanc lectionem in suis etiam reperit Corradus, aliique.*

Epist. VI. Pro plurimis nostris necessitudinibus] *Pal. sext.* necessitatibus.

Nisi te cum libertate populi R.] *Pal. sext.* nisi tecum libertatem P. R.

Epist. VIII. Quidquam ulli pollicendum] *Ms.* Quidquam illi pollicendum.

Optimæ mentis cogitata] *Duo mss.* optime mentis cogitata. *Al.* optima mentis cogitata. *V. c.* optima mentis excogitata.

Epist. IX. Contra quod ipse pugno, & temporis] *Sic prim. Palat. Amstelodam. Mentel. Vict. ed. Vulgò*, contraque ipse pugno, sed & temporis & rei.

Vienna equites mille] *Sic mss. & Vict. ed. Vulgò*, Viennam equites mille.

Epist. X. De tua voluntate percrebruit] *Sic Amstelod. Hittorp. & edd. Sed Pal. pr. & sext. Græv. sec.* percrebuit. *Sext. Pal. in marg.* percrepuit.

Ne maturum quidem etiam nunc] *Pall. prim. & sext. Hittorp. Stevvech.* ne maturum quidem etiam ne. *Amstelod.* ne maturum quidem etiam. Nunc.

Epist. XI. Non mediocris adhibenda mihi est cura] *Sic mss. Hittorp. Stevvech. Pal. sext. Amstelodam. Vulgò*, quare non mediocris adhibenda mihi est cura. *Stevvech. pro* adhibenda *scribit* adhibita. *Pal. sext.* adhibenda est mihi cura. *Al.* adhibenda mihi cura est.

Pro vobis cedam] *Stevvech.* pro nobis cedam. *Quidam codices non habent* pro vobis.

Epist. XII. Cave enim putes ullas unquam literas graviores] *Sic mss. Vulgò*, cave enim putes ullas literas unquam gratiores.

Nec quo progredi velles] *Victor. & Gebh. edd. ut & Vatic.* nec quod progredi velles.

Quam quando complexus] *Hittorp.* quam quoniam complexus.

Epist. XVII. Viginti millia passus abest] *Sic Vat. Hittorp. Stevvech. prim. & sext. Pal. Græv. sex. Vict. & Gebh. edd. Vulgò*, passuum

Quam me juvare posset in castris] *Sic Pal. sext. Vict. Vulgò*, quam me tueri posset in castris.

Epist. XVIII. Sciebam enim, & cautius illud erat consilium, expectare me ad Isaram, dum Brutus trajiceret exercitum, & cum collega consentiente, sicut milites faciunt, hostibus obviam ire] *Hunc locum sic refinxit Lambin.* scribam enim, etsi cautius illud erat consilium expectare me ad Isaram, dum Brutus trajiceret exercitum, & cum collega consentiente, exercitu concordi, & bene de rep. sentiente, hostibus obviam ire. *Et sic edidit Manut. Amstelod.* expectare me ad insulam. *V. c. N. Scæls.* dum Brutus trajiceret exercitu concordi, ac bene de rep. sentiente.

Non suis contractis] *Al. legunt*, in suis contractis. *Lambinus ex conjectura*, rationibus suis male contractis.

Epist. XXI. Rémque publicam mecum prodidissem] *Sic mss. & Vict. ed. Vulgo*, rémque publicam mecum perdidissem.

Omniaque integra servem] *Sic Pal. sext. Amstelod. & Victor. ed. Vulgò*, omnia ut integra servem. *Q. V. C.* omniáque ut integra servem.

Non dubitabit] *Stevvech.* dubitabis.

Epist. XXIII. Tribunum militum] *Sic mss. Amstelod.* tr. mil. *Vulgò*, tribunum militarem.

Ad me cum literis] *Sic Amstelod. & tres Guilielm. ut & Victor. ed. Vulgò*, ad eum cum literis.

Exceperam] *Sic Amstelodam. aliique mss. Vulg.* interceperam.

Epist. XXIV. Pro maximis tuis beneficiis] *Palat. sext.* pro eximiis tuis beneficiis.

Indulgentia, assiduitate] *Lambin.* deligentia, assiduitate.

Omnes gratas amicitias] *Stevvech. & Pal. prim.* omnes gratas amicitias.

In tua observantia] *Sic Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. Vulgò*, in tui observantia.

Epist. XXV. Operam tuam, navitatem, animum] *Amstelod.* nativitatem, animum. *Al.* maturitatem, animum. *Al.* tuam navatam, animum.

Præterea fama scientiâque omnium] *Al.* præterea fama sententiâque omnium.

Epist. XXVI. In Januar. mensem protrudimus] *Sic Vatic. Stevvech. Amstelod. Pal. prim. Vict. ed. Al.* protendimus. *Hittorp.* producimus.

Epist. XXX. In castris Hirtii erat futurus] *Vatic.* in castris & Hirtii. *Stevvech. & Græv. sec.* in castris & Hirtiis. *Mentel.* in castris Hirtius. *Prim. Pal. & Amstelodam.* in castris Hircius.

Alteram Silani evocatorum partem] *Sic Pal. prim. & sext. Hittorp. Amstelod. Mentel. nisi quòd hic* Sillani *scribat. Stevvech.* alteram S. illam, & evocatorum partem. *Græv. sec.* alteram Sillam & evocatorum partem. *Vulgg.* alteram Syllani & evocatorum partem.

Epist. XXXI. Ne moveare ejus sermonibus

bus] *Sic Hittorp. Pal. sext. & prim. Amstelod. ed. Vict. Vulgg.* ne moveat ejus sermonibus.

Nequaquam proinde ac dignus est] *Sic Vatic. Hittorp. Stevvech. Amstelod. Pall. duo. Vict. ed. Vulg.* nequaquam perinde ac dignus est.

EPIST. XXXII. Gladiatoribus] *Sic Amstelod. pluresque alii vett. codd. Vulgò* gladiatoriis.

Collecti enim lapides sunt in eum) *Sic tres Guilielm. duo Pall. Amstelod. Græv. sec. Vulgg.* conjecti enim sunt lapides in eum.

Circulatorem quendam auctionum) *Hittorp. Stevvech. & Amstelod.* circumlatorem quendam auctionum.

LIBER XI.

EPIST. I. Aut aqua & igni interdicamur] *Sic Stevvech. Pal. tert. Grut. Amstelod. Vulgg.* aqua & igni nobis interdicaur. *Hittorp.* aqua & ignis nobis interdicatur.

Succurret] *Pal. tert.* succurreret.

Dandus est locus fortunæ] *Palat. tert. Amstelod. Mentel. totum hunc locum sic distinguit,* dandus est locus. Fortunæ cedendum. Ex Italia migrandum Rhodum. *Grævii verò secund.* quid ergo est, inquis: tui consilii dandus est locus. Fortunæ cedendum. Ex Italia migrandum. Rhodum aut aliquo terrarum.

EPIST. II. Quod velle te probare quisquam posse videtur] *Amstelod. & Græv. sec.* quod velle probare vix quisquam credere posse videtur. *Mentel.* quod velle te probare vix quisquam credere posse videtur.

EPIST. VII. Cum adhibuisset domi meæ] *Palat. prim.* cum adivisset domi meæ. *Hittorp. & Stevvech.* cum adivisti domi meæ.

EPIST. X. Quantámque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas, non te fugit] *Sic* injic. vacuit. *Vatic. Medic. Sed Pal. prim. Stevvech. Hittorp.* injiciat *vel* initiat vacivitas. *Amstelodam.* initia tua civitas. *Mentel.* injiciat civitas. *Græv. sec.* iniciat tua rerum novitas. *Pal. tert.* quantámque cupiditatem hominibus incitat tua novitas. *Al.* injiciat novitas. *Al.* injiciat tua charitas.

Quæ litteris commendari possint] *Vat.* quæ literis commendari possunt. *Pal. tert.* quæ literis commendari possit.

Cum parvulam manum militum haberet inermium] *Sic duo Pall. & Grævii secund. Vulgg.* cum parvulam manum peditum haberet inermium.

EPIST. XIII. Itinera multo majora fugiens] *Sic Stevvech. Amstelod. Pal. tert. Hittorp. & Mentel.* itinera fecit multo majora fugiens, quam ego sequens. *Vulgg.* itinere multo majore fugiens.

Se jam Ventidius conjunxisset [*Sic mss. & Vict. ed. Vulgg.* se jam Venditio conjnnxisset.

EPIST. XIV. Exploratæ victoriæ, tua præclara Mutina eruptio] *Pal. tert.* explorata tua victoria, tua præclara Mane eruptio. *Pal. prim.* Mutina eruptio.

Magnum negotium, cujus exitum] *Q. V. C.* magnum negotium restat: cujus exitum.

Cujus exitum non extimesco, tuæ partes sunt] *Sic Vatic. duo Pall. Amstelod. Mentel. Græv. sec. Victor. ed. Vulgg.* cujus exitum ne extimescam tuæ partes sunt.

EPIST. XVII. Sed is ambitus excitare videtur] *Sic Vatic. Hittorp. Victor. ed. Sed Amstelod. Mentel. Græv. sec. Pal. tert.* sed is ambitus extare videtur. *Vulgg.* sed is ambitus excitari videtur.

EPIST. XX. Homo sibi simillimus] *Sic Vatic. Hittorp. Vict. ed. Vulgg. cum Amstelod. & aliis libris,* homo sui simillimus.

EPIST. XXI. Cum Cæsare, qui neminem prætermiserit] *Pal. tert. & nonnulli alii,* cum Cæsare locutum putas, qui neminem prætermiserit.

Ab utrisque vestrum] *Fortè*, ab utroque vestrum. *Lamb.*

De collegis nostris] *Stevvech. & Pal. tert.* de collegis vestris.

EPIST. XXVI. Maximo meo dolore hoc solatio utor] *Sic Pal. prim. tert. Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. Vulgg.* In maximo meo dolore hoc solatio utor.

Quod intelligunt homines] *Hittorp.* quod intellegunt homines.

Deliberent utrum trajiciant] *Sic. mss. Vulgg.* deliberant utrum trajiciant.

Et Brutum arcessant] *Sic Amstelod. & Vict. ed. Pal. tert.* te & Brutum ex Sardinia accersant.

LIBER XII.

EPIST. I. Finem nullam] *Sic mss. vid. Not. Vulg.* finem nullum.

Id est de tota rep. cogitandi] *Amstelod. Grævii secund. aliique*, & de tota rep. cogitandi.

Sed ita compressum est] *Pal. prim. Amstelod. Græv. sec. ed. prima & Vict.* sed ita compressa est. *Gruter.* ita comprensa est. *Mentelian. stat pro vulgato* compressum.

EPIST. II. Vestri facti gloriam cum mea laude communicet] *Sic Vatic. prim. Palat. Grut. duo Guilielm. Vict. ed. Vulgò*, facti vestri gloriam cum mea laude communicem.

At quam paratus] *Mss.* ad quam paratus. *Al.* ad quem paratus.

EPIST. III. Sed hoc vestrum est] *Sic prim.*

Pal. Grut. Amstelod. Vict. ed. Vulgò, sed hoc vestrum fuit.

De me quidem non dubitanter, quin] *Sic Vatic. prim. Pal. Grut. Amstelod. Vulg.* de me quidem non dubitant, quin.

EPIST. IV. Nunc me reliquiæ vestræ exercent] *In Grut. deest* nunc. *Lambinus sic conjicit legendum*, nunc reliquiæ nos exercent.

Te isse in Syriam] *Sic mss. Vulgò*, te esse in Syria.

EPIST. V. Tum ornatiores propter celeritatem] *Sic mss. Vulgò*, tum gratiores propter celeritatem.

Nihil belli reliqui fore] *Sic Hittorp. Stevvech. Grut. Amstelod. Vict. ed. Vulgg.* nihil belli reliquum videbatur.

EPIST. X. Exercitum quibuscunque potuero rebus] *Sic Vatic. Pal. prim. Hittorp. Amstelodam. Al. mss.* exercitum verbis, quibuscunque potero, rebúsque ornabo. *Vulg.* exercitum quibuscunque potero rebus.

In quibus est magna illa quidem spes] *Sic Vatic. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. Vulg.* in quibus est magna quidem spes.

EPIST. XI. Una fortissimo animo remp. administrant] *Hittorp.* una fortissimè remp. administrant.

Quantum est in te] *Sic Vatic. Hittorp. Vict. ed. Vulg.* quantum opus est. *Et sic Amstelodam. & Mentel.*

EPIST. XII. Id quod & nostri & reip. causa] *Sic Grut. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. Pal. prim.* id quod & nostræ reip. causa. *Vulgg.* id quod & nostra & reip. causa.

Te hortante] *Al.* te hortatore.

Quos si occupasset Dolabella] *Sic. mss. & Vict. ed. Vulg.* quem si occupasset Dolabella.

EPIST. XIII. Pæne victam remp.] *Grut.* pene vinctam remp.

Dum serviremus] *Medic.* dum servissemus. *Stevvech. & Grut.* dum servi essemus. *Hittorp.* dum servis haberemus. *Supra* haberemus *scriptum erat* heremus.

Non subita nec inconvenientia] *Medic. & Hittorp.* non subita nec convenientia. *Alii legunt*, *teste Fulvio Ursino*, non subita obvenientia.

Pro nostra parte celeriter nobis expediri se confidere] *Sic Hittorp. Grut. Vict. ed. Sed Amstelod. & Græv. sec.* pro parte nostra celeriter iter vobis expediri posse confidere.

EPIST. XIV. Ut non possit Dolabella in Italiam pervenire] *Sic mss. Vulg.* ut non possit classe Dolabella in Italiam pervenire.

EPIST. XV. Usque Sidam] *Sic mss. & Vict. ed. Al.* usque in Sydam.

Cyprúmque petiisse] *Al.* 'Ægyptúmque petiisse.

Fore præsto in Syria, ad meum officium reverti] *Grut. Medic. edit. princeps*, fore præsto in Syriam, ad meum officium reverti. *Vict. ed.* fore præsto, in Syriam ad meum officium reverti.

EPIST. XXII. Collega vestro] *Sic. mss. Græv. sec. & vulgg.* collega nostro *Ment.* collega meo.

Sed non pari conditione] *Mss. nonnulli*, sed non pari contentione.

EPIST. XXV. Postulabatur ut etiam illi notarentur] *Sic Amstelod. & edd. Pal. prim. Vict. & Gebh. edd.* postulabatur autem etiam illi notarentur. *Mentel.* postulabatur etiam aut illi notarentur. *Græv. sec.* postulabatur etiam aut illi ut vocarentur.

Dignitatísque fautor] *Hittorp. Stevvech. Pal. prim. Amstelod.* dignitatíque fautor.

Conjeci in Cæsaris Octaviani plagas] *Hittorp. Stevvech. Pal. prim. sext. Ven. Amstelodam. Mentel. Græv. sec. edd.* confeci in Cæsaris Octaviani plagas.

EPIST. XXVIII. Ne nimis liber in ulciscendo] *Palat. prim. Græv. sec. Stevvech. Amstelod.* ne minus liber in ulciscendo.

Ne gravis civis] *Stevvech.* ne minus gravis civis.

Ne minus fortis, ne minus te dignus] *Sic mss. Vulg.* ne nimis fortis, ne nimis te dign.

Fuisset facillimo] *Al.* facillima.

Si culpa à quibusdam abfuisset] *Hittorp. & Stevvech.* si culpa à quibusdam fuisset. *Amstelod.* si culpa à quibusdam affuisse.

EPIST. XXIX. Non modo tibi, cui omnia nostra] *Sic Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vatic. Victor. ed. Al.* non modo te, cui omnia nostra.

Nunquam fuit ad scribendum] *Al.* nunquam affuit scribendo.

EPIST. XXX. Cùm tu mihi raró mittas] *Sic Pal. sext. Vatic. Vict. ed. Vulgò*, cùm tu mihi raras mittas.

Distinebar] *Pal. sext.* destinabar. *Et sic idem statim* destineor.

Ægrotant ii] *Hittorp. & Palat. sext.* ægrotantur ii.

Cum levati morbo videntur] *Sic Amstelod. Palat. sext. Vict. ed. Vulg.* cum levati morbo viderentur.

Gerere conamur] *Al.* gerere cogamur.

Verba pertulit] *Al.* verba protulit.

Quod & orbus senatus] *Lamb.* quod & orbus est senatus.

Quæ conquiritur undique] *Hittorp.* quæ conquiruntur undique.

De

Digitized by Google

De Accio Dionyſio] *Duo Guilielm.* de Ateio Dionyſio. *Vatic. Amſtelodam. & Vict. ed.* de Attio Dionyſio. *Palat. ſext.* de Actio Dionyſio.

Si meis literis obtemperavit] *Sic Amſtelodam. Palat. prim. & ſext. Vict. ed. Vulg.* ſi meis literis obtemperaverit.

LIBER XIII.

EPIST. I. Injuria, quam accepiſti] *Peck. & Stevvech.* injuria, quam recepiſti.

Confici poteſt, agam nunc. Ac te illud] *Sic Vatic. duo Guilielm. Victor. ed. Vulgò*, confici poteſt agam. Nunc à te illud.

Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt] *Sic mſſ. & Victor. ed. Vulg.* cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt communia.

Me habuit ſuorum defenſorum] *Hittorp. Peck. Stevvech.* me habuit ſociorum defenſorum. *Al.* me habuit ſociorum defenſorem. *Amſtelodam.* me habuit otiorum defenſorum. *Gr. ſec.* me me habuit ſociorum defenſorum.

Traditus mihique commendatus] *Palat. ſext.* traditus mihi, commendatúſque eſt.

Nihil ſcripſi ad te] *Hittorp. & Stevvech.* nihil tibi ſcripſi.

Eſt enim omni liberali doctrina politiſſimus] *V. c.* eſt enim omni liberali arte politiſſimus.

Minime in rogando moleſtus] *Sic mſſ. & Vict. ed. Vulgò*, minime in rogitando moleſtus.

Etiamſi ædificaturus eſſes] *Sic Hittorp. Peck. Pal. pr. & ſext. Amſtelod. Victor. ed. Vulgò*, ita etiam, ſi ædificaturus eſſes.

EPIST. II. Qui habitat] *Al.* qui habitabat.

Ut ei de habitatione] *Al.* ut te ei de habitatione.

EPIST. IV. Magno enim meo beneficio affecti] *Lamb.* magno enim à me beneficio affecti.

C. Cæſar primo ſuo Conſulatu] *Hittorp. Stevvech. Palat. ſext.* C. Cæſar ſuo conſulatu.

Eſt tuæ prudentiæ] *Hittorp.* eſt tuæ providentiæ.

Et ſuadeam] *Q. V. C.* & tibi perſuadeam. *Unde Lamb.* & tibi ſuadeam.

EPIST. V. Ut ambitione mea conturbem officium meum] *Peck.* ut ambitione mea turbem officium tuum. *Pal. prim.* ut ambitione mea conturbent officia tua. *Sic & Pal. ſext. Mentel.* ut ambitione mea corrumpant officium tuum.

Injuſtiſſima calamitate dolui] *Peck.* injuſtiſſima calamitate condolui.

Tanquam è naufragio] *Stevvech.* tanquam in naufragio.

Cum ſuperior factus ſit ordine] *Al.* factus ſis.

Ex eo agro] *Hittorp.* ex agro.

Quicquid mea cauſa faceres, ut id C. Curtii cauſa cum feceris, exiſtimes, quod ille per me habuerit] *Sic. Vatic. Pal. prim. & ſext. Victor. ed. Vulgati cum nonnullis mſſ.* quicquid mea cauſa faceres, ut id C. Curtii cauſa cum feceris meum exiſtimes. Quod ille per me habuerit. *Sic & Amſtelod. & Græv. ſecund. Sed Mentel.* quid cum mea cauſa faceres: ut id C. Curcii cauſa meum cum feceris exiſtimes.

EPIST. VI. Et item poſtea pluribus verbis] *Sic prim. & ſext. Pal. Amſtelodam. Victor. ed. Vulgg.* & idem poſtea plurimis verbis.

Et poteſtate tua] *Lamb. fort.* & à poteſtate tua.

Vultu denique expromſeris] *Sic mſſ. Vulg.* expreſſeris. *Et ſic Mentel. Græv. ſec.*

Qui tibi literas dedit] *Sic Vatic. Pal. prim. & ſext. Victor. ed. Amſtelod.* qui tibi literas dedi. *Al.* qui tibi has literas reddidit.

EPIST. VII. Neceſſitudine, quæ tua ſumma in me obſervantia, ad] *Sic Vatic. & Vict. ed. vulg.* neceſſitudine tuáque ſumma in me obſervantia ad.

Libenter mea cauſa] *Pal. prim. Amſtelod. & Stevvech.* libenter mei cauſa.

Integram conſervares] *Fortè* reſervares. *Lambin.*

Qui ſimili cauſa laborent] *Hittorp.* qua ſimili cauſa. *Fortè*, qui à ſimili cauſa laborent. *Guilielm.*

EPIST. VIII. Te mei ſtudioſiſſimum eſſe] *Sic Vatic. Pal. prim. & Vict. ed. Vulgò*, te mihi ſtudioſiſſimum eſſe.

Cognoſſet] *Sic Vatic. Victor. ed. Hittorp. ed.* cognoſcet. *Al.* cognoſceret.

Prædia in æſtimationem acceperit] *Hitt.* prædia in æſtimatione acceperit.

Satisfecerit per me] *Sic Hittorp. & Vict. ed. Stevvech.* ſatisfecerit pro me, ut ego illud. *Amſtelodam.* ſatisfecerit pro me, ut ego. *Vulg.* per me ſatisfecerit, cum ego.

Ut ego illi uni plurimum debeam] *Sic Pal. prim. ſext. Victor. ed. Amſtelod.* ut ego uni plurimum debeam. *Stevvech.* ut ego illud uni plurimum debeam. *Mentel.* ut ego plurimum debeam illud. *Vulg.* cum ego illi uni plurimum debeam.

EPIST. IX. Cum mea commendatione] *Sic Pal. pr. ſext. Hittorp. Vict. ed. Vulgg. & Amſtelod. & Mentel.* cum ea commendatione. *Græv. ſec. & alius Guilielm.* tum ea commendatione.

Qua eſſem erga ipſos voluntate] *Hittorp.* qua eſſem ergà illos voluntate. *Stevvech.* qua eſſem erga eos voluntate.

Publicanorum ſemper libentiſſime tribuerim]

rim] *Sic mss. & Victor. ed. Vulg.* publicanorum multum semper libentissime tribuerim.

Idque magnis ejus ordinis, erga me meritis] *Sic Amstelodam. Mentel. Pal. prim. & sext. Hittorp. Stevvech. Victor. ed. Al.* Idque pro magnis ejus ordinis erga me meritis.

Epist. X. Meam in illum benevolentiam auxerunt] *Vulgò* augerent.

Quo etiam nunc maxime delectamur] *Al. leg.* quo etiam nunc maxime delectatur.

Epist. XII. De illa commendatione comminuam] *Sic Ven. prim. & sext. Pal. Stevv. Amstelod. Vulgò,* diminuam. *Lambin.* deminuam.

Ut ad hanc addam] *Sic Pal. sext. Ment. & Victor. ed. Vulgò*, ut hanc addam, *& sic Amstelodam. Al.* ut ad hanc accedam.

Epist. XV. En hic est ille] *Med.* em hic est ille. *Hittorp. & Pal. sext.* hic est ille, *omisso* en. *Al.* hem hic ille est.

Hic est ille de illis maxime, qui irridere atque objurgare me soliti sunt] *Hittorp. & Pal. sext.* hic est ille, qui irridere atque objurgare me solitus est. *Amstelodam.* en hic illi est, de illis maxime, qui irridere atque objurgare me solitus est. *Mentel.* sed hic ille est de aliis maxime, qui inde obligare me solitus est. *Græv. sec.* en hic est ille, de illis maxime, qui irridere atque objurgare me solicitus est. *Al.* em hic ille est maxime, qui irridere atque objurgare me solitus est.

Idem me consolatur] *Lamb.* iidem me consolantur.

Et jam hominem perustum, etiamnum gloria volunt incendere] *Amstelodam.* etiam hominem perustum & inanem gloriam volunt incendere.

Epist. XVII. In forum veni] *Hittorp. & Palat. sext.* in forum venit.

Aut quæ causa est] *Fort.* aut si quæ causa est. *Lamb.*

Epist. XVIII. Quasi rogatus] *Hittorp.* qui si rogatus. *Ment.* quam rogatus. *Al.* quam si rogatus.

Cùm mihi pro conjunctione nostra] *Sic Vict. ed. Al.* quando mihi pro conjunctione nostra.

Epist. XIX. Sed ea causa etiam cum aliis compluribus] *Al.* sed ea causa communis est cum aliis compluribus

Fortunas absentis] *Palat. quint. & sext.* fortunas præsentis.

Omnia à te studia summa cura peto] *Hittorp. & Palat. sext.* omnia à te summo studio & cura peto. *Stevvech. Palat. prim. Amstelod.* omnia à te studio summo cura peto. *Mentel. & Græv. sec.* omnia à te summo studio curâque peto.

Minus cumulate videbere fecisse] *Sic Stevvech. Amstelod. & Vict. ed. Pal. prim.* minus cumulate videre effecisse. *Hittorp.* minus cumulate viderere fecisse. *Mentel.* si minimus cumulato jubere fecisse. *Vulg.* si minus cumulate videberis fecisse.

Scripsisse putet] *Sic mss. omnes & Victor. ed. Vulgò*, scripsisse de se putet.

Epist. XXII. T. Manlium] *Unus Guilielm.* T. Aulium. *Græv. sec.* T. Manilium.

Qui ita existimavit] *Pal. prim. sext. Hittorp. Stevvech. Victor. ed.* qui tamen existimavit.

Ex ipsiúsque præterea] *Sic Hittorp. Stevv. Palat. prim. & sext. Amstelod. Victor. ed. Vulgg.* ex ipsius præterea.

Epist. XXVI. L. Mescinius] *Sic Hittorp. Palat. prim. & sext. & Vict. ed. Amstelod.* L. Mescennius. *Vulg.* L. Messinius.

Et sua causa] *Sic Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. Vulgg.* te sua causa.

Magnum tamen esse speravit apud te meas quoque literas] *Sic omnes mss. Vulgati*, magnum tamen esse speravit te meas quoque literas.

Qui Eli negotiatus est] *Sic Hittorp. Pal. prim. & sext. Amstelodam. Stevvech.* Helii. *Vulgg.* Elide.

Neque enim id tuæ dignitatis esse arbitramur] *Sic Hittorp. Stevvech. Pal. sext. & pr. Vict. ed. Vulg.* neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur.

Epist. XXVII. Ut vos soletis in formulis] *Stevvech. Palat. prim. & sext. Amstelod. Medic.* ut volet is in formulis. *Al.* & volet is in formulis. *Hittorp.* ut videtis in formulis. *Vulgg.* ut vos in vestris formulis soletis.

Jucundissime conjunctissime vivo] *Sic Stevvech. & Victor. ed. Vulgò*, jucundissime conjunctissiméque vivo. *Al. mss.* jucundissime & conjunctissime vivo. *Amstelodam.* jucundissimo conjunctissime vivo.

Epist. XXVIII. Sed duo sunt, quæ te nominatim rogo] *Pal. prim. Stevvech. Amstelodam. plurimique alii mss. Vict. ed.* duo quidem te nominatim rogo.

Homini gratissimo jucundissimo benigne fecisse] *Sic Amstelodam. Pal. prim. & sext. Vict. ed. Al.* gratissimo jucundissimóque benigne fecisse. *Al.* gratissimo & jucundissimo benigne fecisse.

Epist. XXIX. Quæ speciem habeant magnæ conjunctionis] *Sic Vatic. Palat. prim. sext. Amstelod. Victor. ed. Vulgg.* quæ speciem habent magnæ conjunctionis.

Tantum attigit negotii] *Hittorp.* tantum attigit negotium.

Non possum dicere eum præfuisse] *Hitt.* possum

possim dicere eum non præfuisse.

Omni cursu nostro] *Lamb.* nostræ.

Majore studio nullo possim] *Sic Amstelod. Stevvech. Vict. ed. Hittorp. & duo Pall.* majore studio nullam possim. *Unde conjicit Guilielm.* majore studio nullum possim. *Vulg.* majore studio non possim.

Quod fuerim moderatior] *Tres mss.* quo fuerim moderatior. *Al.* quod fui moderatior.

EPIST. XXX. Doctrinæque præditum] *Pal. sext.* doctrinisque. *Al.* doctrinæque deditum.

Sive aberit] *Sic Vatic. & Vict. ed. Al.* sive aderit. *Hittorp. & sext. Palat.* sive abierit.

EPIST. XXXII. Tam lauta] *Duo mss.* tam laudata.

Quam nobili] *Mss. & Vict. ed.* támque nobili.

Hos mihi maxime esse conjunctos] *Al.* & hos homines mihi maxime esse conjunctos.

EPIST. XLIII. Quod cum ipsum diligo] *Lambin.* quod cum per se ipsum diligo.

Et qui consuetudine quotidiana] *Sic Pal. prim. Amstelod. & vict. ed. Vulgg.* & qui cum consuetudine quotidiana.

EPIST. XLVIII. Quod & tuæ laudi] *Stevv.* quo & tuæ laudi. *Alii mss.* quod tuæ laudi, *sine copula.*

Cum primus in eam insulam Quæstor veneris] *Sic mss. Vulgg.* cum primum in eam insulam Quæstor veneris.

EPIST. L. Multa in illum mea quoque, maximum est] *Sic Amstelod. Pal. prim. ed. Venet. & Victor. Vulgg.* multa in illum mea, quodque maximum est. *Amstelod.* multa in illum mea quoque. Maximus est.

EPIST. LV. Cum multis petentibus denegassem] *Lambin.* quam multis petentibus denegassem.

Pro nostra conjunctissima necessitudine] *Hittorp. & Pal. sext.* pro nostra conjunctissima necessitate.

EPIST. LXIII. Sed tamen, ut plane perspicere possis] *Fortè*, sed ita tamen ut plane perspicere possis.

Tum summa probitate] *Sic mss. & Vict. ed. Vulgg.* tum summa ejus probitate.

Consilio ejus fideli ac etiam bono] *Lamb.* atque etiam bono. *Al.* consilio ejus fideli ac bono.

Me, de quo ea supra scripserim] *Palat. prim. & sext. Hittorp. Stevvech. Amstelod.* me quo ea supra scripserim. Supra *quoque abest à q. v. c.*

EPIST. LXIV. Quod ejus causam Nero suscepit] *Stevvech.* quo ejus causam Nero s.

Ne relinquas] *Sic Palat. prim. Hittorp. Stevvech. Amstelod. Vict. ed. Vulg.* nec relinquas.

Et usus est, amplissimas clientelas] *Sic Vatic. Pal. prim. & sext. Amstelod. Vict. ed. vulg.* & usus est amplissime, clientelas. *Al.* usus est, amplissime clientelas.

Vale] *Abest in mss.*

EPIST. LXVIII. Id est de statu provinciæ] *Hoc totum* id est *abest à Q.V.C Amstelod. & Stevvech. Ment. Græv. sec.* & de statu provinciæ.

De reip. summa] *Hittorp.* de r.p. summa. *Pal. sext.* de rep. summa. *Et sic malebat Lambinus.*

EPIST. LXXIII. Quod si Romæ te vidissem, coràm gratias egissem] *Sic Amstelod. & vulgg. Hittorp. & Pal. sext.* quod si Romæ fuissem, te vidissem, corámque gratias egissem. *Pal. sext. & Vict. ed.* quod si Romæ: te vidissem, corámque gratias egissem.

Quod si fieri possit] *Victor.* quid fieri posset. *Gebhard. ed.* quid fieri, & quid mea causa facere possis.

LIBER XIV.

EPIST. I. Scribis, faciemus] *Al.* scribis, faciendum.

Quo neque Hispo veniret] *Hittorp.* quo nec ipso veniret. *Duo Guilielm.* quo ne Hypso veniret. *Amstelod.* quo neque ipso veniret. *Pal. sext.* quo nec ipse veniret.

EPIST. II. Quidquam difficilius facio] *Palat. sext.* factu. *Hittorp.* facto.

Nisi tam timidi fuissemus] *Hittorp. & Pal. sext.* nisi tam timidi essemus.

Si Pompeii voluntas erit] *Fortè*, accesserit. *Lambin.*

Meæ miseriæ subleventur] *Palat. prim. Mentel. Græv. sec. Vatic. Amstelod.* meæ miseriæ sublevantur. *Probat Gebhardus.*

Eadem nos fortuna premet] *Stevvech.* eadem vos fortuna premet.

Etiámne reliquias tuas miseras projicias?] *Al.* etiámne reliquias tuas misera projicies. *Al.* etiam reliquias tuas misera. *Amstelod.* etiámne reliquias tuas miseras projiceras.

EPIST III. Magis excruciant] *Pal. sext.* plus excruciant. *In Vict. ed. deest* magis.

Mea propria est] *Fortè*, mea proprie est. *Lambin.*

Virtutem & diligentiam præstitisse] *Hitt.* virtutem & indulgentiam præstitisse.

At summum secundis literis tuis] *Sic Pal. Hittorp. Stevvech. Vict. ed. vulg.* aut ad summum secundis literis. *Amstelodam.* ut summum secundis literis. Tuis *abest in Hittorp.*

Debeo spectare] *Sic Palat. prim. duo Guilielm. Amstelod. Vulgg.* debeo expectare. *Pal. sext.* debeo sperare.

Digitized by Google

EPIST. V. Quibus intellexi] *Al.* ex quibus intellexi.

Neque ſum admiratus] *Hittorp.* neque enim ſum admiratus. *Al.* neque ſum miratus.

Venire cupimus] *Amſtelodam. Pal. prim. & ſext. Hittorp. Stevvech. Mentel. Græv. ſec.* venire cupiamus.

EPIST. VII. Quibus & te miſerrimam habui] *Vict.* quibus & te miſerrimam habuit *Stevvech.* quibus te miſerrimam habui.

Quam à vobis diſceſſi] *Hittorp.* quam à nobis diſceſſi.

Satisfacias] *Lambin.* ſatisfacias velim. *Al.* velim facias.

Simul atque conſcendi] *Venet.* ſimul ac conſcendi. *Mentel.* in meam ſimul conſcendi.

Quo animo fortiore] *Pal. prim. & Vict. ed.* quod animo fortiore eſſetis. *Amſtelod.* & quod animo fortiſſimo eſſetis. *Suprà ſcriptum erat*, quod animo fortiores eſſetis. *Et ſic Mentel. & Græv. ſec.*

Rempublicam defenſurum] *Hittorp. Pall. duo. Vatic. Vict. ed.* remp. defenſuros. *Sed Amſtelod. Mentel. & Græv. ſec. ſtant pro vulgata.*

EPIST. XIII. Ignoro. Si metuendus] *Sic Amſtelod. Pal. prim. Victor. ed. Vulgò*, non ignoro. Si metuendus. *Hittorp.* ignoro. Sed ſi metuendus.

Si metuendus iratus eſt, quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur. Totum judicabis quale ſit] *Hittorp.* ſed metuendus iratus eſt, quieſce tamen ab illo. *Pal. ſext.* ſi metuendus iratus eſt, quieſces tamen ab illo: fortaſſe naſcetur totum: judicabis quale ſit.

EPIST. XIV. Quid ſit vobis faciendum] *Hittorp.* quid ſit nobis faciendum.

Satis vobis prodeſſe] *Vatic. Pal. prim. & ſext. Amſtelodam. Vict. ed.* ſatis nobis prodeſſe.

Ne jam intercludamini] *Pal. prim. & ſext. & Mentel.* ne jam intercludamur. *Vatic.* ne jam intercludamus. *Amſtelodam.* ne jam intercludam. *Græv. ſec. ſtat pro vulgata.*

Quomodo quidem nunc ſe res habet] *Sic Pal. prim. duo Guilielm. Amſtelod. Victor. ed. Vulg.* Quomodocunque nunc res ſe habet. *Al.* quoquo modo quidem nunc.

LIBER XV.

EPIST. I. Qui ei regi minorem fidem] *Hittorp. & Palat. ſext.* qui ei rei minorem fidem. *Amſtelodam.* qui eo regi minorem fidem.

Tarcondimoto] *Codex Guilielm.* Tharchondimoto. *Duo alii Guilielm.* Tarcendimoto. *Al.* Tarchond.

Si æquitatis noſtræ] *Sic Vatic. Peck. Hitt. Stevvech. Vict. ed. Sed Amſtelod. cum vulgatis*, ſi equitatus noſtri particeps.

Judicavit vir fortiſſimus] *Sic Pal. ſext. & Vict. ed. Vulgg.* indicavit vir fortiſſimus.

EPIST. II. Conjunctum haberem, cujus] *Sic mſſ. & Vict. ed. Vulg.* conjunctum haberem hominem, cujus.

Firmiores animos omnium faceret] *Sic Hittorp. Stevvech. Vatic. Pall. prim. & ſext. Vict. ed. Vulg.* firmiores animos hominum faceret.

Incolumitatem regnumque def.] *Lambin.* & incolumitatem. *Al.* & incolumitatem regni defenderem.

Quod ei permagnum] *Hittorp. & Pal. ſext.* quod & permagnum. *Stevvech.* quod & ei permagnum.

Idque me gaudere dixiſſem, cohortatus] *Pal. ſext. & Hittorp.* ídque me gaudere dixiſſem: & tamen adoleſcentem eſſe cohortatus.

Poſtero autem die] *Stevvech.* poſtremo autem die.

Propter metum reticuiſſent] *Q. V. C.* propter metum obticuiſſent. *Palat. ſext.* tacuiſſent. *Stevvech.* renunciaſſent.

Amantiſſimum ſui] *Hittorp.* amantiſſimum ſibi. *Stevvech.* amantiſſimum ſuum.

Præſentibus inſidiis liberaret] *Sic Pal. pr. & ſext. Vict. ed. Vulgg.* præſentibus inſidiis liberaſſet.

Tantam curam in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe] *Sic Pal. prim. & ſext. & Victor. ed. Sed Amſtelod.* tantam curam in ejus vos ſalutem diligentiámque videamini contuliſſe. *Mentel.* tantam curam in ejus nos ſalute diligentiáque videamini contuliſſe. *Vulgati*, tantam curam benevolentiámque in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe. *Al.* tantam curam diligentiámque in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe.

EPIST. IV. Eſſe eundum] *Vatic.* eſſe eundem.

Diligenter eſſet actum] *Hittorp. & Pal. ſext.* diligenter eſſet factum.

Equitatum ſatis idoneum] *Pal. pr. ſext. Hittorp. Stevvech.* equitatum ſane idoneum.

Regúmque ſociorum] *Al.* Regúmque & ſociorum.

Tum id, quod jam ante ſtatueram] *Sic Vatic. Pal. prim. Victor. ed. Vulgò*, tamen id, quod jam ante conſtitueram. *Q. V. C.* tamen id quod jam ante ſtatueram.

Magna multitudine hoſtium occiſa] *Peck.* magna multitudine hominum exciſa.

Omnia conſequi me arbitrarer] *Vatic. Pal. prim. & ſext. Amſtelod.* omnia adſequi me arbitrarer. *Q. V. C.* omnia me aſſequi arbitrarer.

Non

Digitized by Google

Non modo non calamitatem] *Pal. sext.* meam non modo calamitatem.

Exercitu imbecillo] *Hittorp.* imbello. *Pall. sext.* in bello.

EPIST. V. Severitatem diligentiámque] *Sic Vatic. Pal. Peck. Stevvech. Hittorp. Amstelod. Victor. ed. Vulgg.* securitatem indulgentiámque.

EPIST. VII. cum te semper amavi dilexíque] *Sic Pal. prim. & sext. & Victor. ed. Vulgg.* cum te semper dilexi amavíque.

Tum mei amantissimum cognovi] *Sic Pal. prim. sext. Victor. ed. Hittorp.* tum te mei amantissimũ cognovi. *Al.* cùm mei jam amantiss. cognovi. *Vulgg.* quod mei amantissimum cognovi.

EPIST. XIII. Sed tamen navare operam volebant] *Pal. sext.* sed tamen eo navare operam volebam. *Lamb. fortè*, tibi navare operam.

Sed ita fato nescio quo contigisse] *Vict. ed.* sed id fato nescio quo contigisse.

Dignas res esse honore] *Sic Hittorp. Pal. sext. quidam alii vett. codd. Vict. ed. Vulgg.* dignas res esse & honore, & gratulatione.

Omniáque spero] *Sic Vict. ed. Vulgò*, omniáque quæ spero.

EPIST. XIV. Sed tamen quod ab eo egregie diligi sensi, multo] *Sic Pal. sext. & Victor. ed. Vulgg.* sed tamen quod te ab eo egregie diligi sensi, multo. *Pal. prim. & Amstelodam. Mentel. Græv. sec.* sed tamen quod egregie ab eo diligeris: multo.

Quanquam profecerunt tuæ literæ] *Sic Vatic. aliique mss. & Vict. Vulg.* profecerint.

Annuam esse voluit] *Pal. prim.* annuam esse volunt.

EPIST. XV. A belli pertinacia voluit] *Sic Hittorp. Pal. sext. Medic. Vict. ed. Vulg.* à belli necessaria pertinacia voluit. *Amstelod.* à belli necessari pertinacia. *In Mentel. & Græv. secundo est* necessaria.

Reprehendit, præter eos] *Ven. Pal. prim. & sext. Amstelod.* reprehendit. Prætereo.

Consuli vellent] *Sic Vatic. & Vict. ed. Pal. prim.* consulere.

EPIST. XVI. Quam tu schedulam] *Vict.* scidulam. *Amstelod. Hittorp. Stevvech.* quam tu scedam aut literam. *Mentel. & Peck.* quam tu secundam aut literam. *Græv. sec.* quam tu Zetam aut literam. *Memm.* quam tu syllabam aut literam.

Fit enim nescio quid] *Fortè*, nescio quomodo. *Lamb.*

Illud occurrat] *Lamb.* accurrat.

Ejus εἴδωλον mihi advolabit] *Sic Pal. pr. sext. unus Guilelm. Victor. ed. Amstelodam. Hittorp. Stevvech.* advolabat. *Vulgg.* advolet.

EPIST. XX. Nunc hæc primo cupio cognoscere] *Hittorp. & Pal. sext.* nunc hæc prima cupio cognoscere.

Ubi Brutum nostrum videris] *Hittorp.* utrum Brutum nostrum videris.

EPIST. XXI. Hunc accepi dolorem] *Lamb.* hunc cepi dolorem.

Cùm incendisses cupiditatem] *Hittorp.* cum accendisses cupiditatem meam.

Quod aliis fortasse non item] *Stevvech. & Pal. sext.* quod alii fortasse non item.

Quæ scriptura persecutus es] *Stevvech.* quæ scripta persecutus es.

Multum tecum recordere] *Pal. pr. & sext.* multum tecum recordare.

LIBER XVI.

EPIST. I. M. T. C. & Cicero meus] *Al.* Tull. & Cicero meus. *omissis* M. C.

Qui à te discesserim] *Lamb.* qui abs te disc.

Neque nunc muto] *Palat.* neque nunc mitto.

Paullum commorari] *Peck.* pullum commorari.

EPIST. IV. Varie sum affectus] *Pal. sext.* valde sum affectus.

Pagina perturbatus] *Pal. sext.* priore pagina deturbatus.

Sed eum tu laudas] *Hittorp. & Pal. sext.* sed eum tu laudasti.

Sumptui ne parcas] *Hittorp. Pal. sext. Vatic.* sumptu ne parcas.

Quod dixisses, daret medico] *Pal. sext.* quod dixisses dare medico. *Lambin. conjicit*, quod dixisses daret. Medico ipsi.

Jam festinare volo] *Pal. sext.* tam te festinare volo. *Lambin.* jam te festinare volo.

EPIST. V. Quam si vixerit tecum] *Hitt. & Pal sext.* quasi vixerit tecum. *Q. V. C.* quam vixerit tecum.

Ut te Leucadem deportares] *Ven. Vatic. Pal. prim. & sext. Vict. ed.* ut te Leucadem deportaret.

Ad me mitteres] *Hittorp. & Pal. sext.* ad me remitteres.

Leucade proficiscens] *Pal. sext.* Leucadem proficiscens.

EPIST. VII. Qui si essent] *Quædam edd.* qui si non essent.

EPIST. VIII. Videre te tota cogitatione] *Hittorp.* videre de tota cogitatione.

EPIST. IX. A portu Corcyræorum] *Hitt. Pal. sext. Amstelodam. Mentel. Græv. sec. Victor. ed.* in portum Corcyræorum.

Retenti ventis sumus] *Palat. prim.* retenti venissemus.

Equum

Digitized by Google

Equum & mulum] *Pal. sext.* metum & mulum. *Hittorp.* medicum & mulum.

Incolumem præstiteris] *Pal. sext.* incolumem steteris. *Peck. & Ven.* incolumem feceris.

Epist. X. Ad diem dictam fient] *Hittorp. Peck. Palat. prim. & sext.* ad diem dicta fient.

Nos adsumus] *Al.* ad summum.

Epist. XI. Paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte] *Sic Palat. prim. sext. Vict. ed. Vulgg.* paratiorem ducem omnino. Ex hac quoque parte.

Epist. XII. Atque universæ reip. ex eo scire potes] *Hittorp.* atque universæ reip. & senatus ex eo scire potes.

Invaserat furor non solum improbis, sed etiam his] *Sic mss. Vulg.* invaserat furor non solum improbos, sed etiam hos.

Qui boni habentur] *Hittorp.* qui boni habebantur.

Se præsentem trinundinum] *Hittorp.* se præsente trinundinum.

Accepimus conditiones] *Hittorp.* accipimus conditiones.

Habet à tergo] *Hittorp.* habemus à tergo.

Posse opprimi] *Hittorp.* posse obrui.

Epist. XV. Tibique conservandum] *Al.* confirmandum.

Epist. XVII. Video quid agas] *Amstelod.* vide quid agas.

Tuas quoque epistolas vis referri] *Sic Hittorp. Pal. sext. Vatic. Victor. ed. Al.* tuas quoque epistolas vis referam.

Satis scis. Tu eum] *Hittorp. & Pal.* satis scire. Tu eum. *Amstelod.* satis scis. Et tu eum.

Epist. XXI. Quam à vobis discesserant] à nobis discesserant.

Adventus adoptatissimus] *Al.* optatissimus. *Al.* exoptatissimus. *Vid. Not.*

Ex humanissimi & carissimi patris epistola] *Pal. prim. sext. Hittorp.* & humanissimi & carissimi patris epistolam.

Quare quod polliceris] *Hittorp.* quare quod pollicetur iste.

Quando igitur tum ex me doluisti] *Pal. prim. & Vict. ed.* quod igitur tum ex me doluisti.

Nam cum & audio] *Fortè*, nam cum audio ill. *Lambin.*

Apud Bruttium] *Sic Victor. ed. Vulg.* apud Brutum.

Habes ubi deponendæ tibi sunt urbanitates] *Al.* Habes ubi sunt deponendæ urbanitates. *Al.* Habes. Deponendæ tibi sunt urbanitates.

Si fortuna me : præsertim] *Aliqui,* si f. me juverit, præsert.

Quod tibi curæ fuit] *Lambin.* quod tibi curæ fuerunt.

Eripitur operæ] *Pal. sext.* eripitur ex opere.

Epist. XXII. Cupio certe] *Sic Pall. duo Guilielm. Amstel. Vict. ed. Vulgg.* cupio equidem certe.

De quadrimo Catone] *Pal. sext.* de quadrivio Catone. *Pal. prim. tert. Hittorp. ed. prim.* de qua primo Catone.

Si quem cum eo sermonem] *Hitt.* siquidem cum eo sermonem.

Epist. XXIV. Si non potes omne] *Hitt.* si non potes omnem.

De domesticis hactenus.] *Sic Hittorp. & Pal. sext. Vulgg.* de domesticis rebus hactenus. *Pal. prim.* de domesticis ejus hactenus.

Sed litteras tuas expecto] *Mss.* sed si litteras tuas expecto. *Unus ms.* sed st ! litteras tuas expecto.

Papiam] *Al.* Appiam.

Epist. XXV. Excusatione intermissionis litterarum] *Vatic. Hittorp. Vict.* excusatione de intermissione litterarum.

De rep. rumoribus] *Al.* de reip. rumoribus.

Assiduitate epistolarum] *Sic mss. fere omnes. & Vict. ed. Vulgg.* assiduitate litterarum.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Qui multiplex Literarum genus indicat.

Acusatoriæ, *Lib.* II. *Epist.* 10.
Admonitoriæ, IV. 15. VII. 7. XI. 20. 26. XII. 19. XIV. 10. 12. 14. 18. 20. 21.
Apologeticæ, III. 7. 8.
Commendatitiæ, I. 3. II. 6. 8. 14. III. 1. V. 5. VI. 9. VII. 5. 21. VIII. 6. IX. 13. 15. X. 17. XI. 29. XII. 6. 12. 21. 24. 26. 27. 29. XIII. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 74. 75. 77. 78. 79.
Condictitiæ, IX. 23.
Consolatoriæ, I. 6. II. 2. III. 3. 5. 13. V. 16. 17. 18. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 10. 12. 21. 22. IX. 6.
Deliberativæ, II. 16. IV. 1. 2. V. 19. IX. 3. 7. XI. 1. 9. XIV. 24.
Excusatoriæ, I. 1. II. 1. 7. 16. III. 8. V. 2. 17. VI. 2. 7. 11. VIII. 1. 5. IX. 26. X. 2. 8. 23. 31. 35. XV. 3. 5. 13. 15.
Gratulabundæ, II. 5. 7. 9. 10. III. 9. 12. VI. 12. 13. 16. VII. 15. 17. VIII. 12. IX. 12. XII. 13. 16. XIII. 73. XV. 5. 7. 8. 9. 10. XVI. 16. 21.
Hortativæ, II. 1. 4. 8. 12. IV. 8. 9. 10. V. 21. VI. 12. 14. VII. 6. 17. IX. 14. X. 1. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. XI. 5. 7. 15. 23. 25. XII. 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. XIII. 68. XIV. 8. XV. 1. XVI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25. 26.
Jocosæ, I. 10. VII. 10. 12. 13. 14. 16. 18. 30. 32. IX. 4. 15. 16. 18. 19. 20. 22. 25. XII. 20. XV. 16. 18.
Laudatoriæ, VII. 18. IX. 14. XII. 5.
Monitoriæ, VI. 21. VII. 6. 9. 10. VIII. 5. 9. IX. 12. 17. 24. XII. 28. XIV. 23. XVI. 11. 12. 13.
Nuntiæ, I. 2. 5. 7. IV. 12. V. 6. VI. 19. VII. 1. 26. VIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. IX. 6. 16. X. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. XI. 8. 11.
Objurgatoriæ, II. 7. 8. V. 5. VII. 8. X. 27. XI. 18.
Officiosæ, II. 11. III. 10. X. 29.
Petitoriæ, II. 11. III. 2. 3. 9. V. 4. 9. 12. VI. 7. 17. VII. 29. VIII. 3. IX. 8. X. 21. 24. XI. 2. 4. XIII. 12. 57. 73. 76. 77. XV. 4. 7. 8. 10. 12. 13. 20.
Præceptoriæ, VII. 19.
Purgatoriæ, III. 10. 12. V. 20. VII. 3. XI. 27. 28. XII. 18. 29. 30. XV. 17.
Queribundæ, VIII. 13. XI. 10. 12. XII. 2. 3. 4. 8. XIV. 1. 6.
Suasoriæ, II. 18. IV. 7. 8. 9. V. 19. VI. 8. 23. VII. 11. VIII. 16. IX. 2. 9.
Variæ, XII. 17. XIV. 2. 3. 4. 5. 6. XV. 14. XVI. 18. 22. 24.

Ad benevolentiam ſignificandam, III. 1. 4. VI. 18.
Ad beneficium commemorandum, III. 5.
Ad confirmandum, VI. 6. 10. 14. 17.
Ad confutandum, III. 7. IX. 21.
Ad defendendum, I. 9. V. 2. VII. 3. IX. 5.
Ad deplorandam calamitatem, IV. 1. 13. VII. 28. 30. IX. 11. X. 1. 33.
Ad diſſuadendum, II. 3. V. 14. VI. 20. VII. 20. X. 6. 25.
Ad expoſtulandum, II. 17. III. 6. V. 1. 7. VII. 24. VIII. 17. X. 28. XI. 3.
Ad gratias agendas, XIII. 28. 41. 54. 62. 64. XV. 11. XVI. 16.
Ad gratum animum teſtificandum, III. 13. VII. 29. X. 11.
Ad invitandum, VII. 31. IX. 1.
Ad narrandum, I. 1. 4. 8. 9. II. 1. 10. IV. 4. X. 8. 30. 32. XII. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30. XIV. 7. 11. 15. XV. 1. 2. 3. 4. 17. XVI. 9. 10. 11.
Ad reprehendendum, XII. 28. XVI. 17. 26.
Ad reſpondendum, II. 17. XV. 19. XVI. 21. 27.
Ad reſpondendum accuſationi, VII. 27.
Ad reſpondendum commendationi, V. 11. IX. 24. XI. 6.
Ad reſpondendum conſolationi, IV. 6. V. 13. 15.
Ad reſpondendum excuſationi, XV. 6.
Ad reſpondendum gratulationi, IV. 14. VIII. 2. XV. 6.
Ad reſpondendum hortationi, IV. 11. X. 4. 7. XI. 24.
Ad reſpondendum monitioni, II. 13. VII. 25. XI. 21.
Ad reſpondendum nuntiæ, II. 15. XI. 14.
Ad reſpondendum petitioni, V. 10. X. 22.

Eorum

Digitized by Google

Eorum nomina, ad quos scribit Cicero.

ACILIUS, XIII. à 30. *ad* 39.
ALLIENUS, XIII. 78. 79.
AMPIUS, VI. 12. X. 29.
•ANCHARIUS, XIII. 40.
ANTONIUS, V. 5.
APPIUS PULCHER, III. à 1. *ad ult.*
APULEIUS, XIII. 45. 46.
AUCTUS, XIII. 50.
BASILIUS, VI. 15.
BITHYNICUS, VI. 17.
D. BRUTUS, XI. 5. 6. 7. 8. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 21. 22. 24. 25. 26.
M. BRUTUS, XIII. 10. 11. 12. 13. 14.
CÆCINA, VI. 5. 6. 8.
CÆLIUS, II. à 8. *ad* 16. & 19.
CÆSAR, VII. 5. XIII. 15. 16.
CÆSIUS, XIII. 51.
CANINIUS, II. 17.
CASSIUS, XII. à 1. *ad* 10. XV. à 14. *ad* 18.
CATO, XV. 3. 4. 6.
CICERO Fil. XIV. 1. 2. 3. 4. 14.
CLUVIUS, XIII. 7.
CORNIFICIUS, XII. à 17. *ad ult.*
CRASSIPES, XIII. 9.
CRASSUS, V. 8.
CULLEOLUS, XIII. 41. 42.
CURIO, II. à 1. *ad* 7.
CURIUS, VII. 28. 30. 31. XIII. 49.
CURTIUS, XIII. 59.
DOLABELLA, IX. à 10. *ad* 14.
DOMITIUS, VI. 22.
FADIUS, V. 18.
FURFANIUS, VI. 9.
FURNIUS, X. 25. 26.
GALLUS, VII. 24. 25. 26. 27. 28. XIII. 43. 44.
LENTULUS, I. à 1. *ad* 9.
LEPIDUS, X. 27.
LEPTA, VI. 18. 19.
LIGARIUS, VI. 13. 24.
LUCCEIUS, V. 12. 15.
C. MARCELLUS, XV. 7. 8. 10. 11.
M. MARCELLUS, IV. 7. 8. 9. 10. XV. 9.
MARIUS, VII. 1. 2. 3. 4.
MATIUS, XI. 27.
MEMMIUS, XIII. 1. 2. 3.
MESCINIUS, V. 19. 20. 21.
METELLUS CELER, V. 2.
METELLUS NEPOS, V. 4.
MUNATIUS, XIII. 60.
OPPIUS, XI. 29.
PÆTUS, IX. à 15. *ad ult.*
PAULUS, XV. 12. 13.
PHILIPPUS, XIII. 73. 74.
PLANCIUS, IV. 14. 15.
PLANCUS, X. 1. 2. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. 22. XIII. 29.
POMPEIUS, V. 7.
REX, XIII. 52.
RUFUS, V. 19. 20. XIII. 48.
RUTILIUS, XIII. 8.
SERVILIUS, XIII. à 66. *ad* 72.
SEXTIUS, V. 6. 17.
SILIUS, XIII. 47. 61. 62. 63. 64. 65.
SULPICIUS, IV. à 1. *ad* 4. XIII. à 17. *ad* 28.
TERENTIA, XIV. à 1. *ad ult.*
THERMUS, II. 18. XIII. 53. 54. 55. 56. 57.
TIRO, XVI. à 1. *ad ult.*
C. TITIUS, V. 16. XIII. 58.
T. TITIUS, XIII. 75.
TORANIUS, VI. 20. 21.
TORQUATUS, VI. 1. 2. 3. 4.
TREBATIUS, VII. à 6. *ad* 22.
TREBIANUS, VI. 10. 11.
TREBONIUS, X. 28. XV. 20. 21.
TULLIA, XIV. 1. 2. 3. 4. 5. 14. 18.
L. VALERIUS, I. 10.
Q. VALERIUS, XIII. 4. 5. 6.
VARRO, IX. à 1. *ad* 8.
VATINIUS, V. 11.
VOLUMNIUS, VII. 32. 33.

Digitized by Google

Eorum nomina, quorum aliquæ in his sexdecim libris epistolæ extant Ciceronianis adjunctæ.

Bithynicus, VI. 16.
D. Brutus, XI. 1. 9. 10. 11. 12. 13. 19. 20. 23. 26.
M. Brutus, XI. 2. 3.
Cæcina, VI. 7.
Cælius, VIII. à 1. *ad ult.*
Cassius, XII. 11. 12. 13. XV. 19.
Cato, XV. 5.
Cicero Fil. XVI. 21. 25.
Curius, VII. 30.
Dolabella, IX. 9.
Galba, X. 30.
Lentulus, XII. 14.
Lepidus, X. 34. 35.
M. Marcellus, IV. 11.
Matius, XI. 28.
Metellus, V. 1. 3.
Plancus, X. 4. 7. 8. 9. 11. 15. 17. 18. 21. 23. 34.
Pollio, X. 31. 32. 33.
Quintus Frater, XVI. 8. 16. 26. 27.
Sulpicius, IV. 5. 12.
Trebonius, XII. 16.
Vatinius, V. 9. 10.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google